







600044142L






600044142L



HERMENEUTICA

BIBLICA GENERALIS.



AUCTORE

JOSEPHO KOHLGRUBER,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, STUDII BIBLICI N. F. IN UNIVERSITATE GRAECENSI AC VINDOBONENSI C. R. PROFESSORE EMERITO, ECCLESIAE METROPOLITANAE AD S. STEPHANUM CANONICO CAPITULARI, CONSILIARIO ECCLESIASTICO VIENNENSI ATQUE BRIXINENSI.





VIENNAE.

TYPIS. CAES. REG. AULAE ET STATUS TYPOGRAPHIAE.

1850.

Approbatio.

Opus praesens, cui titulus: HERMENEUTICA BIBLICA GENERALIS auctore JOSEPHO KOHLGRUBER, ss. Theologiae Doctore et Prof. em. nec non Canonico capitulari E. M. V. ad S. Stephanum, non solum nihil continet, quod doctrinae Ecclesiae catholicae aut bonis moribus adversetur, sed ad justam potius s. Scripturae interpretationem egregie inservire potest; quare ab Archiepiscopali Ordinariatu Viennensi et approbari et commendari omnino meretur.

Viennae 4. Augusti 1850.

Ad mandatum Reverendissimi ac Celsissimi Principis Archiepiscopi Viennensis



Vincentii Eduardi.

Mathias Pollitzer,
Episcopus Telm. i. p. et Vicarius generalis.

Praefatio.

Si quaeris, benevole lector, quae me in nulla librorum, quorum nomen iste in fronte habet inscriptum, penuria ad augendum eorundem ut videtur temere numerum impulerint, quid Tibi respondeam, non nescio. Quam sit difficile ea, quae diuturno tempore adamaveris, cito relinquere, ex sua cuique natura liquet. Quo factum est, ut quae olim ex munere, quo fungebar, publico tractabam, cum ab eo vacarem, retractare in deliciis esset. Augustissimi enim Imperatoris Francisci I. felicissimae memoriae gratia in Graecensi primum, inde ab anno 1825 ad 1829 usque, in Vindobonensi deinde literarum Universitate ad annum 1835 me iis ducem in interpretandis N. T. sacris libris esse voluit, qui ss. Theologiae operam navabant. Quod ut facilius atque commodius facerem, statim animum induxi aliorum interpretandi praecepta, quod ingenio meo non ubique satisfacerent, ita in meum usum convertere, ut quae in commodum meorum discipulorum in opus unum coalescerent, meo, quod ingenuus fateor, haud exiguo studio mea esse viderentur. Quod quantumcunque meum opusculum, cum inter Canonicos Ecclesiae Metropolitanae ad S. Stephanum relatus essem, non totum negligendum, sed potius, quantum per alia munia liceret, perficiendum limandumque duxi, quo magis, quibus in animarum cura praesidiis carebam, jam in Urbe abundabam; me enim ante jam in montibus et valli-

bus patriae meae Tirolensis ad hoc studium esse tractum non negaverim. Cum tandem limatius aliquid in manibus mihi esse videretur, atque de opera mea ad Studii Theologici eo tempore Directorem, Rev. D. Josephum Pletzium referrem, is iterato monuit, ut quibus olim voce, nunc scriptis prodessem. Nescio quo pacto res aliquamdiu quieverat, cum novus rerum ordo reipublicae civilis et ecclesiasticae, qui tempore recentissimo emersit, me ejusdem resuscitandae atque usui publico offerendae fortius moneret.

Cum enim sub gloriosissimo regimine Francisci Josephi I., quem Deus diu salvum incolumemque conservet, non solum liberalibus artibus ac scientiis promovendis et excolendis singularem curam impendi viderem, verum etiam Reverendissimi Praesules, quos in terris austriacis Spiritus s. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, nuper publice professi sint fore, ut, plena institutionis theologicae libertate recuperata, cultura scientiarum sacrarum ad primas sollicitudinis eorum pastoralis partes referatur, ego meum esse duxi, Hermeneuticam, quam elucubravi, sine mora typis impressam, utut subsidium tenue ad fines adeo sublimes conferre.

Quodsi agitur de consilio, quo Hermeneutica haec a me conscripta sit, ipsum argumentum respondet: contendi, ut legibus universalibus, a quibus explicatio cujusvis libri humani pendet, peculiaris quoque ratio, quae sublimioris s. Scripturae indolis, praesertim ejus intimi cum magisterio et doctrina Ecclesiae catholicae nexus habenda est, disciplinae lege amice conciliaretur. Quem finem utrum attigerim, lectori judicandum relinquitur; auctori autem monere liceat, non facile in isto opere desiderari, quae ad complendum id pertineant, resque facili nexu eoque diluculo sese excipere.

Quod reliquam operis formam attinet, textus, qui praecepta hermeneutica exhibet, plerumque brevi serie, contextu non interrupto, decurrit; notae vero subjectae copiosa exempla, dilucidationes et notitias literarias suggerunt.

Cui modum in congerendis exemplis non tenuisse videar, is sciat oportet, praecepta multis exemplis esse illustranda et ita in ipsius interpretationis usum convertenda. Neque frustra praecepta, quae ad linguas biblicas spectant, majori exemplorum copia illustrata volui; illarum enim linguarum studiosis materiam, qua ingenium exerceretur, subministrandam sat largam censui. Sane nostris temporibus plerumque adversarii, qui nullam auctoritatis Ecclesiae catholicae rationem habent, doctrinas nostras lacessunt, haud mediocri nonnunquam linguarum et antiquitatum biblicarum cognitione instructi, quibuscum paribus armis agendum est. Quam ob rem nonnisi exoptatissimum esse potest, ut Catholicorum theologi, quibus ingenii vires non desunt, adminicula eruditae s. Scripturae interpretationis sibi acquirant, eaque rite applicare doceantur, ut quando decertandum, fortiter resistere et vincere valeant.

Plura exempla semel producta per decursum operis data occasione eo consilio repetenda existimavi, ut ostenderem, qua ratione interpretatio diversis praesidiis hermeneuticis comprobari et confirmari possit.

Fieri potest, ut nonnulli offendantur, quod in mea elucubratione tam frequenter opera Acatholicorum inferre nec non laudare non dubitarim; quos observare oportet, Acatholicos quantum ad linguarum studium et cognitiones historicas haud raro eximia praestitisse, imo etiam, si Hermeneuticam universalem spectas, principia sat bona professos esse. Quid impedit, quominus, quae bona habent,

in rem nostram convertamus? Nonne ipse S. Hieronymus ingenue profitetur, se in linguis biblicis addiscendis magistros Judaeos adhibuisse? Perversas Acatholicorum interpretationes, ubicunque occurrerint, semper ea, qua par erat, reprobationis nota perstrinxi; imo §. 248 quam maxime cavendum esse tironibus in Protestantium usu monui. Utinam Acatholici, sicut nos ea, quae in interpretatione biblica bona habent, non respuimus, ita nostram, quae secundum ipsius Christi dispositionem genuina et in rebus fidei et morum certa solaque vera est, interpretandi normam sequantur! Quod enim si fieret, ipsi ad unitatem fidei redirent, nec ullo amplius nos intervallo distaremus, quo quid sincero Catholico magis exoptatum esse possit?

Quod, quae ex s. Scriptura allegantur, attinet, adhuc monere juvat, me tum ratione librorum Samuelis et Regum, tum ratione numerorum, quibus Psalmi designantur, textum hebraicum secutum esse.

Quod mihi ultra in votis sit, non restat, quam ut Deus Optimus Maximus huic labori benedicat, quo fiet, ut ad studium sacrarum literarum augendum, ad genuinam earum interpretationem, quae non solum legibus universalibus, sed et divinae Bibliorum indoli, nec non Redemtoris nostri dispositioni congruit, promovendam revera conferat, et hac ratione in bonum Ecclesiae catholicae, cui totus quantus filiali cum pietate addictus sum, opera mea sat exigua cedat.

Auctor.

OPERIS CONSPECTUS.

Prooemium.

PARS I.

DE SENSU EXPLORANDO.

SECTIO I.

DE SENSU EXPLORANDO PER LEGES INTERPRETANDI UNIVERSALES AD SACRAM SCRIPTURAM APPLICATAS.

CAPUT I.

DE SENSU EXPLORANDO PER USUM LOQUENDI.

TRACTATUS I.

DE USU LOQUENDI IN GENERE.

A. *EJUS INDOLES,*

B. *FONTES, EX QUIBUS USUS LOQUENDI PETENDUS.*

TRACTATUS II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO.

ARTICULUS I.

DE USU LINGUAE HEBRAICAE COGNOSCENDO.

A. *INDOLES LINGUAE HEBRAICAE BIBLICAE.*

B. *FONTES AC SUBSIDIA LINGUAM HEBRAICAM COGNOSCENDI.*

Pag.

I. TRADITIO JUDAEORUM.

II. COMPARATIO LINGUAE HEBRAICAE INTERIOR.

III. DIALECTORUM COMPARATIO.

ARTICULUS II.

DE USU LINGUAE GRAECAE COGNOSCENDO.

A. *INDOLES LINGUAE GRAECAE, ET QUIDEM*

I. OMNIBUS SCRIPTORIBUS SACRIS COMMUNIS.

II. INDOLES LINGUAE GRAECAE PRO DIVERSITATE AUCTORUM SACRORUM ET QUIDEM

TRACTATUS II.

CONSIDERATIO AUCTORIS ORATIONIS.

ARTICULUS I.

CIRCUMSTANTIAE LOQUENTIS EXTERNAE.

ARTICULUS II.

LOQUENTIS CULTURA AC ANIMI DISPOSITIO.

CAPUT III.

DE LOCIS PLURIBUS AD SENSUM EXPLORANDUM COMPARANDIS.

TRACTATUS I.

DE LOCIS PARALLELIS.

TRACTATUS II.

DE LOCIS ENANTIOPHANIS.

TRACTATUS III.

DE LOCIS ANALOGIS.

SECTIO II.

DE SENSU EXPLORANDO PER LEGES INTERPRETANDI SACRAE SCRIPTURAE PECULIARES

CAPUT I.

LEGES EXPLORANDI SENSUM S. SCRIPTURAE RATIONE HABITA DIVINAE EJUS ORIGINIS IN SE SPECTATAE.

A.

B.

LEGES SPECIALES.

I. RATIONE REVELATIONIS.

II. RATIONE INSPIRATIONIS.

III. RATIONE REVELATIONIS ET INSPIRATIONIS SIMUL CONSIDERATAE.

CAPUT II.

DE AUTHENTICA ECCLESIAE CATHOLICAE INTERPRETATIONE.

A.

QUOD AUTHENTICA ECCLESIAE CATHOLICAE INTERPRETATIO EXISTAT.

B.

RATIO AUTHENTICAE INTERPRETATIONIS ECCLESIAE CATHOLICAE.

I. GENERATIM PER DEPOSITUM FIDEI, SEU ANALOGIAM DOCTRINAE CATHOLICAE.

II. PER SPECIALES DECISIONES, ET QUIDEM

C.

USUS INTERPRETATIONIS AUTHENTICAE.

I. QUID INTERPRETATIO ECCLESIAE AUTHENTICAE GENERATIM PRAESTET?

Pag.

CAPUT I.

JUDAEORUM EXPOSITIO.

CAPUT II.

CHRISTIANORUM EXPOSITIO A TEMPORE CHRISTI USQUE AD REFORMATIONEM.

CAPUT III.

CHRISTIANORUM EXPOSITIO A REFORMATIONE USQUE AD NOSTRA TEMPORA.

I. CATHOLICORUM INTERPRETATIO.

II. ACATHOLICORUM INTERPRETATIO.



HERMENEUTICA

BIBLICA GENERALIS.

Prooemium.

---

§. I. Notio et divisio Hermeneuticae.

Hermeneutica vi etymologiae est scientia vel ars interpretandi [1]). Interpretari vero est exponere, quid scribens aut loquens cogitaverit senseritve, adeoque efficere, ut vi orationis cognita lector vel auditor eundem percipiat sensum, quem auctor verbis testatum esse voluit. Quo in labore cum Hermeneutica regulis quibusdam, caeterae ut scientiae et artes, regatur sit necesse, *objective* est complexus, *subjective* vero cognitio regularum, secundum quas e scribentis vel dicentis verbis genuinum eruere sensum oportet.

Quatenus autem vel universales solum leges praescribuntur, quarum usus valet in omnis generis oratione interpretanda, vel vero ad easdem leges eae quoque conditiones et cautiones adduntur, quarum ope in certi generis libris exponendis pro rerum varietate procedatur, Hermeneuticam *universalem* et *specialem* distinguere licet [2]).

Nos jam in eo sumus, ut pertractemus Hermeneuticam specialem, et quidem *biblicam,* quae est *scientia, sacram scripturam recte interpretandi* [3]); et prout vel ad omnes libros biblicos simul, vel ad certam eorundem speciem, puta veteris aut novi Testamenti libros refertur, Hermeneutica biblica *generalis* vel *specialis* audit, quibus forte et *singularem* addere juvat, quatenus singulis libris occupatur.

Hoc tamen loco nonnisi Hermeneuticam generalem trademus, cum speciales regulae pro vetere et novo Foedere exponendo fere

Introductionibus inserantur, quarum pars specialis etiam notiones exhibere solet, quae singulorum librorum interpretationi inserviunt.

[1]) Hermeneutica, vox originis graecae ab Ἑρμῆς, quod est nomen Mercurii, Deorum internuntii et interpretis voluntatis eorum, unde derivatum verbum ἑρμηνεύειν interpretari (praecipue *e lingua peregrina transferre in vernaculam*, vel *in eadem lingua exponere clarius dictorum sensum*), a quo nomen ἑρμηνευτικὴ scilicet ἐπιστήμη vel τέχνη scientia vel ars interpretandi.

[2]) Hermeneutica universalis est pars logicae applicatae. Etenim cum logica universalibus cogitandi legibus statuendis et firmandis occupetur, Hermeneutica vero doceat, sensum loquentis tum a verbis, quibus utitur, ad ejus cogitatus legitime concludendo, tum ad leges, quibus omnes cogitatus humani adstricti sunt, respiciendo eruere: patet, Hermeneuticam universalem disciplinam esse, qua ad logices leges in eruendo cujusvis orationis sensu rite applicandas instituimur. Conf. §. 13.

Ad literaturum Hermeneuticae universalis pertinent:

Herm. Hardt, Exegeseos universalis elementa. (Philologica doctrina omnis generis auctores legentibus perutilis et necessaria, in gratiam auditorum delineata.) Helmst. 1691.

J. Mart. Chladenius, Einleitung zur richtigen Auslegung vernünftiger Reden und Schriften. Leipz. 1742.

J. Ehrenf. Pfeiffer, Elementa Hermeneuticae sacrae et univers. Jen. 1743.

G. Frid. Meier, Versuch einer allgem. Auslegungskunst. Halle 1757.

F. H. Germar, Beitrag zur allgemeinen Hermeneutik, und zur Anwendung auf die theologische. Altona. 1828.

Hermeneutica specialis tam multiplex effingi potest, quam multiplicia argumenta sunt, ad quae regulae Hermeneuticae universalis traduci possunt; reapse tamen praeter Hermeneuticam biblicam solum juridica seorsum tractari solet.

[3]) Sunt, qui Hermeneuticam biblicam *artem* potius quam scientiam dicendam esse existiment, quia principiorum hermeneuticorum justa et proficua applicatio, adeoque facultas rite interpretandi nonnisi frequenti exercitio acquiritur, et quia supremo principio destituitur. Ast aliae etiam disciplinae theologicae et philosophicae, uti pastoralis, mathematica, nec non ipsa logica multa ac sedula solum exercitatione ad perfectioris cognitionis fastigium provehuntur, quin propterea a scientiae dignitate excludantur; supremum vero principium Hermeneuticae non deesse, §. 8. demonstrabitur. Conf. Jahn, Enchiridion Herm. §. 3. Ranolder, Hermeneut. §. 1. n. 4. Arigler, Herm. §. 7. Unterkircher, Herm. §. 10. Ersch und Gruber, allg. Encyclop. II. Sect. T. VI. pag. 300 seqq.

Hermeneuticam biblicam subjectivo acceptam sensu dicunt *Exegeticam* ejusque usum *Exegesin*, quin tamen hae expressiones apud omnes eodem prorsus sensu veniant. Vide Ersch und Gruber l. c. p. 300 n. 1.

Ranolder l. c. §. 1. n. 2. S. F. N. Morus, Acroases acad. Vol. I. Prolegg. IX. p. 21.

Quodsi sensus s. Scripturae proponitur, *interpretatio* audit, quae est vel mera expositio verborum loquentis, vel accuratior explanatio rationum, quibus sensus quidam solus genuinus esse evincitur. Distinguitur vero triplex interpretatio, nempe *doctrinalis*, etiam *artificialis* dicta, quae secundum Hermeneuticae regulas ab interprete proprio Marte instituitur; *usualis*, quae expositionibus antiquiorum innititur, et *authentica*, quae fit ab ipso orationis auctore. Conf. Andr. Bened. Feilmoser, Einleitung in die Bücher des N. B. II. Aufl. Tübing. 1830. pag. 690 seqq.

§. 2. Limites Hermeneuticae biblicae.

Quum itaque Hermeneuticae biblicae sit, s. Scripturam interpretari, seu efficere, ut orationis biblicae vis cognoscatur, patet,

1. interpretis non esse, *objectivam* explorati sensus *veritatem* examinare. Satisfaciet omnino muneri suo, si effecerit, ut, in quorum commodum interpretatio fit, easdem sententias vocibus libri sacri subjiciant, quas iis subjectas ipse auctor vocum voluerit, istoque pacto expediatur *veritas hermeneutica*, quae cum objectiva, ut dicunt, congruere potest, nequaquam vero semper cum illa conspirare debet, quid, quod haud raro ab eadem abhorreat? *)

2. Quod attinet *usum* excussi sensus *dogmaticum* vel *moralem*, nec minus *asceticum* vel *homileticum*, de eo non est interpreti biblico de industria disserendum, quamvis pro ea, quae apud nos nunc viget, studii theologici ratione, cum s. Scripturae interpretatio practica per se non tradatur, nec illum usum prorsus negligendum existimaverim, quoniam omnis disciplina tandem ad vitam est conferenda.

3. Denique de *styli elegantia* judicium penes aestheticum potius quam penes interpretem est, licet nec hic dictionis proprietatem negligere possit, cum Hermeneuticae ab elocutionis subsidio nonnulla ad inquirendum genuinum sensum praecepta deriventur.

*) Quemadmodum in libris profanis, ita etiam in iis s. Scripturae partibus interpretandis, in quibus personae loquentes inducuntur, quae aut altiori praesidio non sunt munitae, aut si ejusmodi divino lumine destitutae non sunt, ex sua non loquuntur sententia, quod hermeneutice verum est, objective falsum esse potest. Aliter res se habet, si agitur de expenendis s. Scripturae locis, ubi personae divinitus inspiratae suam sententiam enuntiant; in his enim veritati hermeneuticae veritatem objectivam nunquam non conjunctam esse, dicemus P. I. Sect. II. Cap. I. §. 167.

§. 3. Munus Hermeneuticae.

Quid contra Hermeneutica praestare debeat, intelligitur ex eo, quod s. Scripturam interpretari, seu quod idem est, sensum ejusdem eruere doceat. Sensum vero biblicum ille tantum plenum eruerit, qui singulorum vocabulorum integrarumque sententiarum, dein partium minorum et majorum biblicarum, tandem absoluto libro sacro eam totius argumenti notionem animo sibi effictam tenebit atque sua oratione exprimet, quam ipse auctor sacer mente conceptam habuit, et sermone cum lectoribus communicare intendit. Ad quod requiritur:

1. Ut e pluribus, quae voci cuidam fors insunt, significationibus ea ubivis eligatur, quam scriptor acceptam voluit;

2. Ut haec notio talis accipiatur, qualis peculiari scribentis menti respondeat, cum alii alia vocabuli vis arrideat[1]);

3. Ut ex notionibus hisce singularibus generalis efformetur notio, quam illae, qua ejus partes e mente auctoris constituunt[2]);

4. Ut haec ipsa notio generalis ita mente concipiatur, sicut auctori obversabatur;

5. Ut denique, ubi oratio explicanda plura continet, quae ad eundem spectant finem, animo integra confingatur notio, quam et qualem auctor orationis expressam voluit.

Quodsi interpres ita suo functus fuerit munere, fiet, ut interpretationis auditor vel lector easdem prorsus sententias vocibus auctoris subjectas deprehendat, quas ipse subjectas voluit, in quantum humani ingenii imbecillitas, quae impedit, quo minus, quae diversi scribant et explicent, accurate conspirent, labori tam difficili perficiendo non sit omnino impar. [3])

[1]) „Quanta animi intentione cavendum sit, ne in verbis utcunque perceptis haereas, et quantopere enitendum, ut verborum notiones, seu potius res ipsas verbis designatas comprehendas, paucis et obviis exemplis illustrabo. Sic, ut verbis *Jahnii* (Enchirid. §. 1. nota p. 5.) utar, nihil magis vulgare, quam בַּיִת δικος *domus*, בֵּית אֵל . הֵיכַל יְהוָֹה δικος Θεοῦ vel κυρίυ, *domus Dei, palatium Jehovae, templum;* חַלּוֹן Θυρίς *fenestra;* עִיר πόλις *urbs;* haesitabis tamen in pluribus Bibliorum locis, nisi cogitaveris domum orientalem, templum antiquum et inprimis Jerosolymitanum, fenestram et urbem antiquam orientalem, ut nihil dicam de eo, urbes passim sisti ut virgines, filias, uxores, viduas, prostitutas etc. Si de animalibus, de arboribus et plantis, de lapidibus et gemmis non teneas nisi nomina, nec ubi proprie, nec ubi improprie usurpantur, quidquam intelligis. Nisi cog-

noveris, quid geographice sibi velit *ascendere*, *descendere*, *antica*, *postica*, *dextera*, *sinistra* etc., et quid sensu militari sit *exire*, *ascendere*, in permultis locis caecuties. — — Si noveris קֶשֶׁת esse *arcum*, et דָּרַךְ *calcare*, vertes quidem דָּרַךְ קֶשֶׁת *calcavit arcum*, et ex nexu orationis forte colliges, idem esse, ac tetendit arcum; ast qua ratione arcus per calcationem tendatur, non perspicies. Facile quidem observabis, a scriptoribus Arabibus alteram extremitatem arcus dici manum, alteram vero pedem, unde colliges, in illam agere manum, in hanc vero pedem, cum arcus tenditur; ast qua ratione id fiat, ignorabis. Quodsi autem cognoveris, quod refert *Asara*, Reise in Südamerica, Th. II. S. 46, Americanos tendentes arcum, alteram extremitatem ejus pede intrudere in terram, et alteram manu sinistra comprimere, et dextera nervum adstringere: rem ipsam hac phrasi expressam comprehendes. — — Ita denique etiam ex solis verbis non percipitur, quid reapse sit, si Deus dicitur, in bonam vel malam partem, venire ad aliquem vel aliquos, aut esse cum aliquo, et alia similia."

[2]) E. g. legis cujusdam, aut facti, aut vaticinii.

[3]) Haud inepte *Ernesti*, Instit. Interpretis N. T. Edit. III. 1775 p. 4. scribit: „Subtilitas intelligendi duabus rebus cernitur, quarum altera est, videre quid intelligas, nec ne, et difficultates intelligendi earumque causas exacte animadvertere; altera autem, sensum eorum, quae difficilia sunt, rite indagando invenire. Scilicet decipimur saepe, putantes, intelligere nos, quae tamen non intelligimus, i. e. ita cogitamus, sicut scriptor sibi repraesentavit."

§. 4. Significatio differt a Sensu.

Ex his simul patet, quid sit significatio, quid sensus, et quantum prior a posteriori differat.

Significatio enim est notio vocibus in se spectatis subjecta; *sensus* vero est notio vocum seu singularum seu plurium a loquente spectata, adeoque determinatus animi conceptus, quem loquens vocibus expressit, et harum ope in aliis excitare voluit. Inde fieri potest, ut aliquis singularum vocum significatum optime teneat, verumtamen sensum ipsum orationis non comprehendat.

Praecipua autem discrimina, quae inter significationem et sensum intercedunt, sunt sequentia:

1. Significatio unius ejusdemque vocis vel formulae nisi semper, plerumque tamen est multiplex; sensus vero in regula est unica in dato loco a loquente spectata notio vel sententia. [1])

2. Significatio ad vocabula refertur; sensus ad loquentem, qui vocabulis utitur.

3. Significatio semper immediate e verbis patescit; sensus vero haud raro nonnisi e rebus significatis colligitur. [2])

4. Denique significationes per se plerumque vagae sunt, et diversi ingenii hominum cogitationibus exprimendis inserviunt sensus vero nunquam non est certa notio, a certo homine, in certis vitae et doctrinae adjunctis constituto spectata, ita ut illi neque quoad ambitum neque quoad perfectionis gradum vaga atque indeterminata esse possit [3]). Ex quibus facile perspicitur, sensum ab eo minime comprehendi, qui nonnisi vocabulorum vim noverit.

[1]) Sic e. g. vocabula דָּבָר λόγος, ῥῆμα, רוּחַ πνεῦμα plurimas tum propria tum translatas significationes habent. — Praeter sensum literalem dari in quibusdam s. Scripturae locis sensum realem, sublimiorem, suo loco dicetur

[2]) E. g. in actionibus symbolicis et typis propheticis.

[3]) Exemplo sit ipsa vox Θεός, *Deus*, quae, cum serviat ad conceptus, quos homines diversissimae culturae religiosae, veluti Ethnici, Muhamedani, Judaei vel Christiani de supremo Numine habent, exprimendos, vagae est significationis; sed si spectatur ab Ethnico, Muhamedano, Judaeo vel Christiano prolata, sensus ejus certus est atque determinatus. Conf. *Arigler*, Hermeneut. §. 4. Praesertim vero de discrimine inter significationem et sensum legi meretur *Vicentii Reichel* Introductio in Hermeneuticam biblicam. Viennae 1839. Sect. II. §§. 13—15.

§. 5. Divisio sensus.

Theologi in sacris literis semper distinxerunt plures sensus, et quidem inprimis *verbalem* et *realem*. Ille, qui immediate per verba indicatur, etiam *immediatus, literalis, grammaticus* et *historicus*, quinimo *grammatico-historicus* dicitur [1]); hic non immediate verbis, sed per res verbis significatas indicatur, quare et *mediatus* appellatur. [2]) Sensus verbalis dividitur in *proprium* et *improprium*, ita ut prior ille sit, quem verba secundum propriam, posterior vero, quem secundum impropriam significationem sumta praebent.

[1]) Quidam praeterea sensum *literalem* a *sensu literae* distinguendum existimant; ast praeterquam, quod ex indole linguae latinae sensus literalis et sensus literae expressiones sunt prorsus synonymae, haec distinctio parum congruit menti usuique antiquiorum, qui promiscue adhibeban hosce terminos. Conf. *Morus*, Acroases acad. Vol. I. Sect. I. num. XVI.— Si vero sensus verbalis appellatur *literalis*, *grammaticus*, *historicus*, *grammatico-historicus*, vel omnino *grammatico-logico-historicus*, respicitur ad conditiones, ad quas in sensu hoc eruendo attendendum est.

Attamen quia vocabulum *literalis* in se ipso spectatum adeo latum est, ut commode omnem sensus investigationem possit designare, compellatio haec propter brevitatem reliquis praeferenda videtur. Conf. *Arigler* l. l. §. 8. *Ranolder* l. l. §. 8. *Morus* l. l. num. XVII.

[2]) Sensus realis seu mediati *mysticus* et *symbolicus* duae diversae nobis species sunt, de quibus infra §. 189 seqq. plura dicemus. — Ad sensum mediatum porro referre solent sensum, ut vocant, *accommodatum* vel *accommodatitium*, quem locum habere dicunt, ubi res verbis designata non aliam quidem rem significat, sed ad aliam rem applicatur. Unde jam ex natura rei intelligitur, eum veri nominis sensum non esse. Conf. §. 119. nota 3. §§. 194. 195.

§. 6. Unitas sensus literalis.

Quum homines cum aliis loquentes generatim verbis suis nonnisi unum sensum literalem subjicere soleant, profecto supponendum est, etiam scriptores sacros eadem ratione cogitata sua cum lectoribus communicasse. Nihilominus non defuerunt Theologi, qui *multiplicem sensum literalem* s. Scripturae defenderent [1]).

Juvat jam primum ostendere, argumenta, quae in rem suam adducunt, non esse firma; dein rationes, quibus unitas sensus literalis evincitur, proferre.

Argumenta multiplicis sensus literalis tum ex indole s. Scripturae divina, tum ex quibusdam locis biblicis, tum ex auctoritate antiquorum petuntur. Scilicet:

1. Deus, inquiunt, qui in Scriptura per prophetas et apostolos loquitur, pro sui intellectus amplitudine vocibus et loquendi for, mulis omnes, quos admittunt, sensus complecti potuit, et in quantum veri ac pii sunt, pro sua sanctitate ac bonitate etiam complecti voluit.

2. Quosdam locos biblicos tales deprehendi dicunt, quibus manifeste plures subsint sensus literales, et qui ab ipsis sacris scriptoribus aliisque Bibliorum interpretibus ita explicentur, ut plures eorum interpretationes literales pari ratione se commendent [2]).

3. Denique non tantum ad antiquos Judaeorum doctores, qui *e quovis apice Scripturae pendere montes sapientiae* dixerint [3]), sed et ad s. Patres, praesertim ad s. *Augustinum* et s. *Thomam Aquin.* provocant, qui plures sensus literales ejusdem loci perspicue profiteantur [4]).

Verumtamen his argumentis patronos multiplicis sensus literalis causam suam nequaquam evincere putamus. Quod enim spectat

ad 1. Deum per auctores sacros loquentem expressionibus, quae adhibebantur, omnes, quos admittunt, sensus pro infinito suo intellectu complecti *potuisse* non negamus; verum, ut auditis divini sermonis verbis homines etiam omnes hosce complectantur sensus, id intendere nec voluit nec potuit, nisi humanam in divinam voluerit convertere naturam, ut nihil non capiat; quod Deum sublata hominum natura voluisse, nunquam concedemus.

Si porro multiplicis sensus literalis patroni urgent, Deum tamen praevidisse, quidquid lectores pro ingenii sui et animi viribus ac cultura s. Scripturae verbis sint subjecturi, non repugnamus; verum eundem etiam *voluisse*, ut id faciant, probari nequit, nisi aliquis id inde inferat, quod ejusmodi cogitatus ex natura sua sint veri, pii et gloriam Dei et salutem hominum promoventes. Quodsi autem ita argumentari liceret, nihil obstat, quo minus etiam adstruatur, in ipso Corano et quocumque alio libro quaevis bona et ad aedificationem hominum servientia esse contenta, quum talia ex istis scriptis depromta Deo certe non displiceant.

Quod 2. locos attinet, quibus plures sensus literales subesse existimant, re accuratius discussa vere nonnisi unum continere deprehenduntur. Etenim alii notionem vel sententiam generalem enuntiant, quae utique ad plura specialia referri potest; quorum itaque sensus amplioris ambitus vel *foecundus*, non vero *multiplex* dicendus est [5]). Alii vero loci ita comparati sunt, ut defectu aut usu minus recto subsidiorum ab interpretibus in varios trahantur sensus. Neque ejusmodi locos vere plures sensus literales complecti, sed solum pluribus modis explicari manifestum est. Plerumque adminicula diligenter adhibita sufficiunt, ut si non certe, tamen cum verisimilitudine eliciatur sensus unus, quem loquens spectavit [6]).

Quod denique 3. ad auctoritatem antiquorum spectat, veteres Judaeorum magistri, quorum dicta etiam ad interpretationem allegoricam, qua nimium delectabantur, referri possunt, nos non impediunt, quo minus unitatem sensus literalis firmiter teneamus. Quin et laudata sanctorum Patrum effata nobis non adeo adversantur. Sic s. Augustinus, ubi quascumque interpretationes verborum Mosis, dummodo interpretis sententia sit vera et pia, non tantum admittit, sed et ab auctore praevisas fuisse asserit, suam religiosam opinionem, non autem Ecclesiae catholicae doctrinam proponere eo magis censendus est, cum neque ipse in ea tuenda omnino sibi constet [7]).

Accedit, quod adducta s. Patris sententia de lectione, ut vocant, aedificante, conjuncta cum meditatione religiosa valere videtur, quae minime reprobatur, neque nobis, unitatem sensus literalis defendentibus, repugnat, utpote qui solam eruditam s. Scripturae interpretationem respicimus. S. Thomas vero ab unitate sensus literalis non adeo dissidet. In laudato enim loco, si verba ipsius attente considerantur, non tam multiplicem, quam potius unum sensum, ast amplioris significatus, profitetur, dum dicit: „*Sensus literalis est, quem auctor* (Deus) *intendit*"; quibus verbis manifesto eadem denominatione cum sensu literali mysticum simul complectitur, quem illi ex Dei intentione in quibusdam s. Scripturae locis superadditum esse, suo loco dicetur [8]).

E quibus liquet, patronos multiplicis sensus literalis argumentis, quae adducunt, rem suam nequaquam evincere.

Restat, ut rationes, quibus unitas hujus sensus demonstratur, proferamus:

a) Generatim unitatem notionis vocabulorum in dato loco spectatae [i. e. unitatem sensus] postulat finis omnis humani sermonis, qui est, ut sensa et cogitata nostra per voces — qua signa eorum — aliis manifestemus, eadem sensa et cogitata in iis excitaturi. Hoc vero obtineri nullo modo posset, si eaedem voces in eodem nexu iisdemque adjunctis plures possent significare notiones a loquente spectatas, imo tanta ambiguitas et confusio oriretur, ut nemo definire valeret, quid alter dicere voluerit; ut taceam, leges psychologiae impedire, quo minus eadem vocabula in eodem contextu diversarum notionum vel sententiarum signa sint.

b) Quod speciatim s. Scripturam attinet, quae confusio oriretur, si, ut multiplicis sensus literalis patroni volunt, cuilibet lectori relictum esset, e quovis textu, quidquid verum et bonum est, pro arbitrio eruere? Sane fieri non posset, quin tot ejusdem loci prodirent sensus, quot lectores existerent. Quam procedendi rationem si concederemus, omnis interpretatio plane incerta redderetur, quum legentes sensum sibi placentem potius, quam legibus hermeneuticis exploratum, e s. Scriptura eruere, aut ei subjicere praesumerent, cujus rei rationem reddere nequeant aliam, quam quod ipsi sensum, quem verbis s. textus subjecerunt, bonum atque pium putaverint.

Quae cum ita sint, persuasissimum nobis est, nonnisi unum ejusdem loci sensum literalem admittendum esse.

[1]) *Jacobus Bonfrerius*, praecipuus defensor multiplicis sensus literalis, in *Proloquiis* in totam s. Scripturam (Antv. 1623) C. 20. Sect. X. locos adducit, in quibus duplicem sensum literalem admittit.

[2]) *G. Riegler*, biblische Hermeneutik, p. 56 seqq. et *J. Hofmann*, Herm. biblica cathol. p. 10 seqq. locos biblicos recensent, qui pro multiplici sensu literali adferri solent.

[3]) Huc etiam spectant, quae Talmud, tract. Sanhedr. fol. 34 col. 1. in Jerem. c. 23. v. 29. leguntur: „Sicuti malleus in multas dividit scintillas, ita locus s. Scripturae multos habet sensus''.

[4]) *S. Augustinus* Confessionum libro XII. sic ait cap. 30. „Eundem famulum tuum, scripturae hujus dispensatorem (scil. Mosen), Spiritu plenum, ita honoremus, ut hoc eum te revelante, cum haec scriberet, attendisse credamus, quod in eis maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit''. (cap. 31.) „Ita cum alius dixerit: hoc sensit, quod ego; et alius: imo illud, quod ego; religiosius me arbitror dicere: *cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum* quisquam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit. — — Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea scriberet, *quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest*''.

S. Thomas, Summae P. I. Quaest. I. Artic. X. (Edit. Lugd. 1686 Vol. I. p. 4) haec scribit: „Quia *sensus literalis est, quem auctor intendit;* auctor autem sacrae scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconveniens, ut dicit Augustinus, XII. Confess., si etiam *secundum literalem sensum in una litera sacrae scripturae plures sint sensus.*''

[5]) Id e. g. obtinet Rom. I., 12. in verbo συμπαρακληθῆναι, quod merito de mutua consolatione et confirmatione accipitur, quae duplex notio eidem vocabulo subest, et consilio loquentis congruit. Pari modo sentiendum est de Psalm. II, 7. ,,*Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*'', cui ipse Paulus tres sensus literales adscribere videtur. Ast si loci adcuratius considerantur, res non ita se habet, sed locus Psalmi cujus sententia generalis est, Messiam esse Filium Dei, pro diversitate consilii Apostoli tribus modis specialibus adhibetur; et quidem Act. XIII. 33. ,,*Resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo II. scriptum est: Filius meus es tu etc.*'', de resurrectione, quia ,,demonstratus est Filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum''. (Chrysostom. ad Rom. I. 4.) Porro Hebr. I. 5. Apostolus ostendit, Messiam angelis longe esse excellentiorem, quia laudatis Psalmi verbis Filius Dei declaratus est. Denique Hebr. V. 5. legitur: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu etc.*, quibus verbis indi-

cator, aeternum Patrem iisdem Psalmi verbis, quibus Messiam Filium suum declaravit, eum etiam summum Sacerdotem constituisse. — Idem statuendum est de Jes. LIII. 4. „*Vere languores nostros* (חֳלָיֵנוּ) *ipse tulit, et dolores nostros* (מַכְאֹבֵינוּ) *ipse portavit*"; ubi laudatae expressiones hebraicae generatim de infirmitatibus corporis et animae intelligi possunt, Matth. VIII. 17. vero speciatim de morbis, et I. Petr. II. 24. de peccatis adducuntur.

6) Ejusmodi est locus Jes. LIII. 8. „*Generationem ejus quis enarrabit*?" qui ab aliis de divina, ab aliis de humana Christi generatione, ab aliis aliter explicatur; ratione vero habita hebraici vocabuli דּוֹרוֹ *genus hominum* denotat, id est homines Christi aetatis vel potius posteritatis, nempe spiritualis, seu homines futuros Ecclesiae a Christo instituendae innumerabiles sectatores.

7) Sic libro I. c. 36 de doctrina Christ. *Augustinus* scribit: „Quisquis in scripturis aliud sentit, quam ille, qui scripsit, — — *fallitur*. Sed tamen — — si ea sententia fallitur, qua aedificet charitatem, — — ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. *Corrigendus est* tamen, et quam sit utilius viam non deserere, demonstrandum est etc." Quibus verbis certe non quascumque veras ac pias interpretationes indiscriminatim probat, sicut loco cit. Confess. XII. facere videtur.

8) *S. Thomae*, ut videtur, sensus literalis modo *latioris*, modo *angustioris significatus* est. Quodsi eum in adducto loco tam late accipit, ut ejusdem denominatione simul spiritualem seu mysticum comprehendat, alterum ab altero probe distinguit, dum sensum literalem significatu angustiori accipiens in eodem Artic. X. paulo ante supra allegata verba scribit: „Auctor sacrae scripturae est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significent aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est *sensus historicus* vel *literalis*. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur *sensus spiritualis*, propter quod *sensus spiritualis super literalem fundatur, et eum supponit*." Et paulo inferius: „Ita nulla confusio sequitur (scil. ex multiplicitate horum sensuum) in sacra scriptura, cum omnes sensus fundentur *super unum, scilicet literalem*, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quae secundum allegoriam dicuntur".

§. 7. Ad quae interpres s. Scripturae in sensu eruendo attendere debet.

Exposito jam interpretis munere (quod, ut diximus in eo versatur, ut quantum fieri possit, suas sententias auctoris sententiis conformare studeat, accurate sua oratione reddendo, quod ille sensit,) ratio rei exigit, ut ostendatur, quo pacto partes interpretis

acturus id, quod intendit, consequatur. Quum jam interpretem cujusvis orationis modum respicere oporteat, quo, qui scripsit, pro generalibus cogitandi ac loquendi praeceptis ad illius specialem indolem applicatis notiones suas mente conceperit et aliorum in usum verbis expresserit (§. 1. not. 2.); procul dubio non minus in sensu biblico eruendo videndum est, quibus conditionibus adstrictum fuerit commercium intellectuale scriptores sacros inter et eorum lectores. Quod ut intelligatur, diligenter considerare juvat *sacrorum indolem librorum prorsus singularem*, qua, cum non humanae tantum sed divinae quoque sint originis, ab ipsoque Deo profectas revelationes involvant, toto coelo ab omnibus caeteris libris distant.

Nec opus est, ut hoc loco demonstremus, s. Scripturam esse codicem revelationis, ab auctoribus divinitus inspiratis consignatum, cum id Introductionis biblicae et Dogmatices positionibus exploratum sit, et Catholicis, qui unanimiter, quidquid etiam singuli de inspirationis modo ac limitibus sentiant, utriusque veteris nempe et novi Testamenti auctorem unum Deum habent [1]), Protestantes, si Naturalismi et Rationalismi sectatores excipias, hac in re adstipulentur [2]).

Inde necessario sequitur, ad elucubrandos libros s. Scripturae humanam et divinam conspirasse operam. Qui ista volumina exararunt scriptores, ea aequalibus suis scripta esse voluerunt; quam ob rem ut penitus intelligerentur, more suae aetatis cum illis notiones suas communicare debebant, secuti leges, juxta quas cogitationum, ut ita dicamus, commercium fieri solebat ea aetate. Quid, quod ipsi Deo s. Scripturae principi auctori, consilia sua per eam hominibus manifestanti, ut ab iis intelligeretur, leges, quibus istud cogitationum inter homines commercium continetur, non migrare placuit? [3]) Quodsi vero ratio communicandi notiones communis ac vulgaris etiam ab auctoribus biblicis usurpata fuit, prono alveo fluit corollarium, leges interpretandi universales, quae in eruendo cujuscunque libri sensu valent, etiam in explicando codice sacro, modo utique ei congruente, applicandas esse.

Licet de his nemo dubitet, non minus tamen certum est, et jam ex revelationis ac inspirationis, qua libri sacri caeteris omnibus praestant, notione ac natura liquet, rationem communicandi notiones in his libris peculiari divini Numinis efficaciae ac direc-

tioni fuisse subjectam, et propterea in interpretatione eorum ad sublimiorem quoque eorumdem naturam necessario respiciendum esse.

Itaque in interpretatione s. Scripturae, ut omnibus numeris absoluta sit, primum ad leges interpretandi *universales*, quatenus *humanae est indolis*, omnibus aliis libris comunis; dein ad leges interpretandi *peculiares*, quatenus praerogativa *divinitatis* gaudet, qua ab omnibus aliis scriptis differt, est attendendum [4]).

[1]) Vide Concilium Trident. Sess. IV. Decretum de Canonicis Scripturis.

[2]) Cum Protestantes immediatam Dei revelationem et inspirationem ratione s. Scripturae usque ad medium saeculum XVIII. ad unum omnes tenuissent, ab hoc tamen tempore in eorum Theologia invaluit axioma: scriptores biblicos tum in genere tum in specie eadem prorsus ratione, qua alios antiquitatis auctores considerandos ac tractandos esse. Quod principium non omnes Protestantes comprobarunt, ita ut plures ab ultimis praesertim decenniis existerent, qui quo facilius Naturalismo et Rationalismo in dies magis invalescenti obicem ponerent, s. Scripturam, revelationem et theopneustiam a tanta injuria tuendam censerent. Plura hac de re vide infra §. 238.

[3]) Huc pertinent, quae s. Augustinus scribit: „In Scripturis per homines more hominum loquitur Deus". De civit. Dei l. XVII. c. 6. „Nullo locutionis genere loquitur Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur, quia utique hominibus loquitur." De Trinitate l. I. c. 12. — Idem jam doctores Judaeornm gemarici monuerunt:

דִּבְּרָה תוֹרָה כִּלְשׁוֹן בְּפִי אָדָם:

Loquitur Lex secundum linguam in ore hominis.

[4]) In s. Scriptura interpretanda praeter generales Hermeneuticae leges non minus speciales, quae ex divina ejus indole derivari solent, esse tenendas, antiquioribus Catholicorum interpretibus exploratum fuit omnibus. Qui recentiori aetate hac de re scripserunt, vide infra §. 170. not. 2. §. 188. nota. §. 194. not. 3. Quam legum peculiarium in exponendis Bibliis necessitatem etiam Protestantibus prioris aetatis aequioribus ratam fuisse, intelligere licet ex J. Chr. W. *Augusti*, Versuch einer hist. dogm. Einleitung in die heil. Schrift. Leipz. 1832, p. 318 — 330, et H. A. Ch. *Haevernick*, Handbuch der hist. krit. Einleilung in das alte Testament. Erlangen 1836. I. Th. I. Abth. VI. Cap. p. 136 — 142; quamvis ab illis, quippe qui opinionibus praejudicatis, quod attinet istam rem, tenerentur, principia sat firma et solida isto nomine non sint exspectanda.

§. 8. Supremum Hermeneuticae biblicae Principium.

Principium generatim dicitur propositio vel enunciatio, quae fundamentum et normam constituit plurium ejusdem generis veritatum. *Primum* vero vel *supremum principium* illud est, quod

omnium veritatum vel praeceptorum certi generis rationem ultimam in se continet.

Cum nulla disciplina, quae systema exhibere et dignitatem scientiae sibi vindicare cupit, supremo principio carere possit, etiam scientia interpretandi s. Scripturam principium in fronte gerat oportet, ex quo ceu ex ultimo fonte regulae et praecepta descendant, et ad quod ascendant. Tale vero principium pro disciplina nostra repetendum esse ex illis duplicis generis *legibus, generalibus* nempe et *peculiaribus*, ad quas in interpretatione biblica attendendum esse monuimus (§. 7.), facile intelligitur. *Priores* interpretem biblicum attendere jubent ad eas *conditiones*, quibus, — quia quivis, qui cum aliis cogitationes suas communicare intendit, ab iis pendet, — etiam hagiographi tenebantur, cum scripta sacra in usum lectorum suorum elucubrassent, nempe ad eam loquendi consuetudinem, qua illi uti debuerunt, ut ab his intelligerentur, et ad normas illas universales, quibus mens humana in producendis et consociandis ideis vi indolis suae adstricta est, et quas proinde etiam personae biblicae, cogitantes et aliis ope verborum cogitata significantes missas facere non potuerunt. (P. I. Sect. I. §. 13.)

Posteriores vero, ex divina s. Scripturae natura repetitae exigunt, ut interpres biblicus etiam ad *peculiarem Bibliorum dignitatem* respiciat, vi cujus auctores afflatu Spiritus sancti in scribendo suffulti ab omni errore immunes doctrinas supernaturales divinitus revelatas tradiderunt. (P. I. Sect. II. §. 165. seqq.) Jam in ratione habenda tum earum *conditionum, ex quibus auctores biblici vi indolis suae humanae* pendebant, tum *concursus divini*, quo commercium eorum intellectuale afficiebatur et adjuvabatur, cardo justae interpretationis s. Scripturae versari videtur. Quapropter supremum Hermeneuticae biblicae principium hac formula enunciandum existimo:

Cura, ut e sacra Scriptura idem percipiatur sensus, quem hagiographi consideratis legibus, quibus biblicum cogitationum commercium tenetur, in ea deposuisse censendi sunt.

Cui enunciationi inesse omnes supremae normae interpretationis biblicae dotes, sequentibus evincitur:

1. Est principium revera *primum* seu *supremum*, utpote quod non ab alio quodam hujus disciplinae principio deductum, aut alii subordinatum est, sed immediate descendit tum *ex interpretatio-*

nis fine qui non nisi in eo est, ut s. Scripturae idem prorsus sensus tribuatur, quem hagiographi ipsi subjecerunt, tum *ex ipsa norma,* ad quam oratio biblica formata est.

2. Non minus hoc principium *adaequatum* esse intelligitur, quod omni et soli Hermeneuticae biblicae conveniat. Etenim quaecumque extant subsidia ad sensum e s. Scriptura eruendum apta, ex considerata ratione notiones communicandi apud sacros Scriptores obvia sive communi sive peculiari promanant; quae vero ex indole hujus cogitationum commercii derivari nequeunt, neque ad praecepta Hermeneuticae biblicae referri possunt.

3. Est *necessarium* utpote ex natura rei derivatum, cum sensum e s. Scriptura eruere jubeat respiciendo non minus ad universales cogitandi et loquendi leges, quam ad speciales, promanantes ex interventione divina, a qua auctores sacri pendebant, cum scripta sua elucubrarent.

4. Inde simul patet, allatum principium etiam *justa perspicuitate* et *prona applicatione* commendari. Nam leges illae *universales,* quas nostrum principium interpreti praescribit, praeterquam quod naturae et sanae rationi adeo perviae sunt, ut nobis quasi per se innotescant, et in lectione classicorum nobis quasi insciis praesentes esse soleant, partem logicae applicatae constituunt; leges vero *peculiares* cuilibet, qui justam de divina s. Codicis dignitate notionem tenet, ultro se offerunt.

5. Denique principium nostrum non solum *materiale,* sed etiam *formale* est; docet enim non solum quid interpreti biblico sit propositum, sed etiam qua ratione possit consequi.

§. 9. Sensus certus, minus certus.

Ex allato jam principio atque firmato facile erit decernere, utrum sensus aliquis sit *certe verus,* an *certe falsus,* an *dubius,* num *probabilis,* an *improbabilis.* Quodsi enim quaesitum Scripturae sensum respectis universalibus illis atque peculiaribus praeceptis, quibus loquens in communicandis cogitatibus suis tenetur, plane determinatum esse intellexerimus, ita ut liqueat, quid voluerit ille aut non voluerit cum aliis oratione communicare, sensum esse *certum* dicimus. Quando vero sensus exploratus illorum praeceptorum uni aut pluribus plane non respondet, aut probabilius repugnat, aut nescitur, num plus minusve eisdem conveniat, aut de-

nique potiores eum tuentur rationes, quin omne excludatur dubium, sensus *falsus*, *improbabilis*, *dubius*, *probabilis*, generatim *non certus* dicitur.

Fontes sensus minus certi sunt duo; quorum prior residet in subsidiorum insufficentia ad principia hermeneutica rite applicanda [1]; posterior vero in usu subsidiorum minus recto, sive is fiat ex defectu cognitionum, quae requiruntur, ut quis in sensu eruendo ope illorum recte procedere valeat [2], sive ex animo perverso, qui non ita adhibet subsidia, uti regulae jubent, etiamsi possit, sive ex praejudicatis opinionibus quibuscunque [3], sive denique ex negligentia, quae difficilem solidi interpretis laborem abhorret.

[1]) Huc spectat, si e. g. circa usum loquendi, praecipue V. F. quaedam voces aut phrases ex defectu testimoniorum minus certe liquent.

[2]) Sic, si interpres perfecta cognitione linguarum, in quibus libri biblici exarati sunt, aut Archaeologiae in tota sua extensione instructus non est, munus suum rite obire non valebit.

[3]) Quo fit, ut in sacris literis non quae sacri scriptores cum suis lectoribus communicare intendunt, sed quae suis placitis conveniunt, quaerat, vel mysteria ac miracula, utut perspicue relata, quia suis praejudiciis repugnant, respuat.

§. 10. Utilitas Hermeneuticae.

Quamvis s. Scriptura lecta et ut plurimum intellecta fuerit, priusquam regulae sensus eruendi traderentur, hujus tamen disciplinae systema haud minus utilitate se commendabit, quam logica artificialis, licet nec haec nec illa doceat, nisi quae rei ipsius natura observanda praecipiuntur, eaque duce non attentis regulis passim observata deprehenduntur. Nam disciplina laudata

1. finem exegeseos, ipsiusque interpretis nec non lectoris s. Scripturae munus proponit, ut sciatur, quid sit isto labore praestandum, et a quibus in sensu eruendo sit abstinendum, ut agendi ratio minus recta hac in re evitetur.

2. Dein si, quod haud raro ob linguae proprietatem, dicendi rationem ad rigorem logicum minime compositam, rerum sublimitatem, circumstantiarum externarum varietatem accidit, loci s. Scripturae intellectu difficiles aut dubii occurrunt, hujus disciplinae regulis modus superandi difficultates et solvendi dubia monstratur, quo destituti interpretes ejusmodi locorum sensum magis conjectura, quam solida ratione assequuntur.

3. Porro sensus excussus aut ipsius Ecclesiae catholicae aucteritate decisus nostrae doctrinae praeceptis et probari et firmari poterit, quod quanti sit momenti, nemo non videt, cum acatholicorum doctores, et nostra praecipue aetate novarum rerum cupidissimi homines sua placita argumentis ex s. Scriptura petitis confirmare soleant, secusque sentientes erroris insimulare non erubescant.

4. Quamvis, qui excellunt ingenio, interpretes aliquo modo, quae ab Hermeneutica praecipiuntur, ex se haurire posse videantur, firmati tamen nostrae disciplinae legibus facilius et cautius procedent; illi vero, qui pinguioris Minervae censentur, si quid suo Marte investigare, aut contra aliorum commenta defendere coeperint, quantum erroris discrimen ubique subibunt, nisi ad disciplinae hermeneuticae lumen oculos converterint!

5. Quid? quod ratio interpretandi justis regulis obstricta inter illos continet limites, extra quos evagari non liceat, qui nimiae licentiae indulgere noluerit, interpreti.

6. Demum lapidem lydium exhibet, ad quem aliorum expositiones probentur *).

*) Perperam Hermeneuticae principia impugnari consueverunt ob *interpretationum diversitatem*, quarum auctores iisdem ducibus uti videntur. Si enim haec diversitas oritur *ex interpretum culpa*, qui principia minus recte applicant, disciplina ista haud majori jure accusatur, quam doctrina morum ob leges, quas haud pauci, licet optimas, transgrediuntur. Si vero *indoles s. Scripturae* vel *insufficientia subsidiorum*, quae ab Hermeneutica pro solida expositione petuntur, diversitatis hujus causa existit, praeceptorum culpa non erit, muniisse viam, qua tandem ad certitudinem ac veritatem ducamur. Quodsi difficilis et ardua nonnullis in locis esse videatur, quis duci imputandum existimabit, quod illam munierit et sic circumspectionem commendarit, ubi de certitudine sensus agitur, dummodo alia ratio ad propositum finem securius perveniendi iniri nequeat? De utilitate Hermeneuticae conf. Dr. Arigler, Orat. Academ. Vien. 1809.

§. 11. Quaedam de historia Hermeneuticae literaria.

Quanto detrimento sit, destitutum esse regulis hermeneuticis, primus intellexisse videtur saeculo IV. *Tychonius* Donatista, cujus septem regulas interpretandi s. *Augustinus* in libris de doctrina christiana recensuit, quibusque, praesertim libro III. et alias adjecit; quam ob rem parens Hermeneuticae biblicae habetur. Hisce regulis saeculo VI. *Adrianus* in Isagoge ss. literarum, *Cassiodorus* in Institutione ad divinas lectiones, in qua monachis suis

optimos auctores ad interpretationem s. Scripturae proponit, et *Junilius Africanus*, De Partibus literarum sacrarum, vix utiliora addiderunt. Medio aevo cum reliquis ista quoque disciplina minus curata fuit. Quamquam caeterum studium biblicum ante sic dictam reformationem renasceretur, Hermeneutica tamen serius excoli coepit. Nihilominus usque ad recentiorem aetatem observari licet,

1. ipsam Hermeneuticam nondum ita suis finibus circumscriptam fuisse, ut caeterae disciplinae biblicae ab ea excluderentur;

2. sensum, quem dicunt mysticum, isti aetati nimium in deliciis fuisse;

3. justo minorem curam explicandi, quae ad auctorum *culturam*, adeoque ad aevi, quo vigebant sacri scriptores, cogitandi sentiendique rationem spectant, ubique usque ad *Semlerum* (an. 1767) occurrere, qui vero hac in re justos limites transgressus est commendata interpretatione, quae Jesu et Apostolis tribuit accommodationem dogmaticam. Conf. infra §. 120 not. 1. §. 238. not. 2.

Notatu digniora *opera hermeneutica* assignari possunt sequentia:

I. Catholicorum:

Sixti Senensis Ars interpretandi Scripturas sacras absolutissima. Venetiis 1566; opus ob praestantiam saepissime recusum. — Bernardi Lamy Apparatus biblicus. Lugd. 1723 (Venet. 1740), in quo etiam regulae s. Scripturam interpretandi traduntur. — Augustini Calmet Bibliotheca sancta, dictionario biblico praemissa. Paris. 1722, in qua septem regulae hermeneuticae proponuntur. — Sebast. Seemüller, Institutiones ad interpretationem s. Scripturae. Augustae Vind. 1779. — Gregorii Mayer Institutio interpretis sacri. Vindobonae 1789. — J. Nep. Alber, Institutiones hermeneuticae s. Scripturae. Pesthini 1818. — J. Balth. Gerhauser, Biblische Hermeneutik, herausg. von A. Lerchenmüller. Kempt. 1829; quibus omnibus tamen plura continentur, quae ad alias disciplinas biblicas, speciatim ad Introductionem spectant. Talia exclusa sunt in subsequentibus:

Joan. Jahn, Enchiridion Hermeneuticae generalis. Viennae 1812, in quo regulas de sensu, de contextu, materia substrata, consilio auctoris aliisque adjunctis, de locis parallelis, tropis, emphasibus, ἐναντιοφάνοις, et de exercitatione hermeneutica singulis trac-

tatibus proponit, et exemplis abundat, licet nimiae indulsisse audaciae dicatur.

Altmanni Arigler Hermeneutica biblica generalis. Viennae 1813, in qua auctor systema accuratius dedit; vituperatur vero, quod omnem sensum mysticum rejecerit, et Protestantibus nimium tribuerit. Hinc Casparus Unterkircher idem opus elegantiori stylo et correctius quoad ordinem et principia reddere studuit (Oeniponti 1831. II. edit. 1834), quamvis ratione literaturae et regularum de accommodatione, quas omisit, Ariglero postponendus sit. Hujus Hermeneuticae tertiam editionem procuravit J. V. Hofmann (Oeniponti 1846), quam editor reformatam et auctam profitetur, et quae reapse tum ob accuratiorem notionum definitionem ac claritatem, tum ob rectiorem rerum ordinem prioribus editionibus multum praecellit.

Georgii Riegler Biblische Hermeneutik. Augsburg 1835. — Joannis Ranolder Hermeneuticae biblicae generalis principia rationalia, christiana et catholica. Quinque-Ecclesiis 1838, quod opus praecepta quoque hermeneutica, quae divinae s. Scripturae originis rationem habent, tradit, ac copiosis exemplis et eruditione literaria eminet. — Jonath. Mich. Athan. Loehnis, Grundzüge der biblischen Hermeneutik und Kritik. Giessen 1839.

Antonii Schmitter Grundlinien der biblischen Hermeneutik. Regensb. 1844. — Conradi Lomb Biblische Hermeneutik, nach den Grundsätzen der katholischen Kirche dargestellt. Fulda 1847. — Gabr. Joan. Güntner, Hermeneutica biblica generalis, juxta principia catholica. Pragae 1848.

Hermeneuticam Antiqui tantum Foederis pertractavit: Jos. Jul. Monsperger, Institutiones hermeneutices V. T. Vindobonae 1776—77. II Tomi. Editio II. 1781.

Hermeneuticam Novi Foederis vero ediderunt: Stephanus Hayd, Introd. hermeneut. in sacros N. T. libros. Viennae 1777. — Damianus Czerny, Institutionum hermeneut. N. T. libri II. Brunae 1780. — Christoph. Fischer, Institutiones hermeneut. N. T. Pragae 1788.

II. Acatholicorum:

Matthiae Flacii Illyrici Clavis Scripturae sacrae. Basileae 1567; saepius recusa. — Sal. Glasii Philologia sacra. Jenae 1623; saepissime recusa, an. 1776 a *Dathio*, et ann. 1795—97

a *Bauero* emendata. — Dan. Wittenbach, Elementa Hermeneuticae sacrae. Marburgi 1760. — Joach. Ehrenfr. Pfeiffer, Institutiones hermeneuticae s. Erlangae 1771. — Georg Lorenz Bauer, Entwurf einer Hermeneutik des A. und N. T. Leipzig 1799. — Fr. H. Germar, Panharmonische Interpretation der heiligen Schrift. Schlesw. 1821. — Herm. Olshausen, Biblische Schriftauslegung. Hamburg 1825. —

Solum Antiquum Foedus pertractarunt: Jo. Salomo Semler, Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem. Halae 1773. — G. L. Bauer, Hermeneutica sacra V. T. Lips. 1797. — J. H. Pareau, Institutio interpretis V. T. Trajecti ad Rh. 1822.

Novum Testamentum tractandum sibi sumserunt: Joan. Aug. Ernesti, Institutio interpretis N. T. Lipsiae 1761. Editio V. cura Ch. F. Ammon 1809. — J. Sal. Semler, Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem. Halae 1767. — Sam. Frid. Nath. Morus, Super hermeneutica N. T. Acroases academicae. Edidit H. C. Abr. Eichstaedt. Lipsiae 1797-1802. II Tomi. — K. Gottl. Bretschneider, Historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Leipzig 1806. — K. Aug. Keil, Lehrbuch der Hermeneutik des N. T. Leipz. 1810. Latina editio a Chr. A. G. Emmerling. Lips. 1811. — Frid. Lücke, Grundriss der neutestamentlichen Hermeneutik. Gött. 1817. — J. Chr. K. Doepke, Hermeneutik der neutest. Schriftsteller. Leipzig 1829. — Christ. Gottl. Wilke, Die Hermeneutik des N. T. systematisch dargestellt. I. Th. Die hermeneutische Grundlehre. Leipz. 1843. II. Th. Die hermeneutische Methodenlehre 1844. *)

*) Sunt vero et alia scripta, ex quibus principia hermeneutica haurire licet, scilicet:

a) *Praefationes versionum et commentariorum*, in quibus autores principia solent indicare, quae in vertendo et exponendo secuti sunt. E. g. Rückert, Commentar über den Brief Pauli an die Römer. Leipz. 1831. Matthies, Erklärung des Briefes Pauli an die Epheser. Greifswalde 1834.

b) *Scripta*, quae vocantur *periodica*, ita ut aut de s. Scriptura sola, aut simul de aliis disciplinis theologicis disserant. E. g. Catholicorum: Linzer Monatschrift, Frint's und Pletz's Theologische Zeitschrift, Tübinger Quartalschrift, Annali delle Scienze religiose, qui Romae eduntur etc. Acatholicorum: Joan. Dav. Michaelis, Oriental. und exeget. Bibliothek 1771. Ejusdem Neue oriental. und exeget. Bibliothek 1786. Eichhorn, Repertorium für biblische und morgenländische Literatur 1777, seqq. Ejusdem Allgemeine Bibliothek der bibl. Litera-

tur 1790. H. Eb. Gottl. Paulus, Neues Repertorium für bibl. und morgenl. Literatur 1790. Ejusdem Memorabilien 1787-1796. G. W. Lorsbach, Archiv für bibl. und morgenl. Literatur 1791. Theologische Studien und Kritiken, herausg. von Ullmann und Umbreit, etc.

c) *Censurae* operum hermeneuticorum vel expositionum biblicarum, quae haud raro principia generalia proponunt, e. g. recensio Hermeneuticae Joannis Ranolder et Introductionis in Hermeneuticam bibl. Vincentii Reichel, scripta a Prof. W. Kozelka, in Pletz's Theol. Zeitschrift 1839. Tom. II. p. 205-229, 351-372. et aliae recensiones in scriptis periodicis supra laudatis.

§. 12. Divisio Hermeneuticae biblicae.

Ex iis, quae diximus, Hermeneutica facili negotio in suas dividitur partes. Quia nimirum interpretis biblici est curare, ut e s. Scriptura idem excipiatur sensus, quem Hagiographi in ea deposuerunt, ad quod duo requiruntur, nempe ut eum sensum rite inquirat, et exquisitum sive in suum, sive in aliorum usum apte reddat: Hermeneutica sua sponte abit in duas partes, quarum altera agit *de sensu biblico explorando*, altera *de sensu explorato exponendo.* [1]) Quia vero sensus ex s. Scriptura eruendus est consideratis legibus, quibus commercium cogitationum *biblicum* adstrictum est, et propterea, quatenus Hagiographi eadem, qua omnes alii scriptores, ratione cum lectoribus cogitationes suas communicabant, ad easdem s. Scriptura cum quovis alio libro leges explicanda est, — quatenus vero in ea elucubranda divina sese exseruit virtus, peculiares exposcit respectus (§§. 7-8): patet, in utraque parte prius *universales* interpretandi leges, ad s. Scriptaram applicatas [2]), deinde vero eas pertractandas esse, quae huic divino libro sunt *peculiares.*

[1]) Alii alia ratione Hermeneuticam dividunt. Imo J. Herm. Janssens, Hermeneutica s. ed. Leodii 1818, lib. II. p. 266 seq. J. N. Alber, Institutt. herm. lib. III. p. 14. seq. J. Jahn, Enchiridio p. 21. seq. singulos tractatus jungunt, quin nexum et ordinem, licet non prorsus desit, defendant divisionemque logicam enuntient. Quod idem valet de Dogmaticis, qui veterum more, ut e. g. Libermann, Institutiones theol. Vol. II. P. II. et Joan. Perrone, Praelect. theol. Vienn. 1843. Vol. III. P. II. cap. III. operibus suis praecipua Hermeneuticae momenta interponenda existimarunt. Juxta Ernesti, Instit. Interpr. edit. III. p. 4. „Interpretatio omnis duabus rebus continetur: sententiarum (idearum) verbis subjectarum intellectu, earumque idonea explicatione. Unde in bono interprete esse debet *subtilitas intelligendi* et *subtilitas explicandi*". Quam divisionem a pluribus adoptatam utpote claram et naturae rei convenientem, aliis praeferendam

existimamus. Partem priorem, quae sensus exploratione occupatur, *Heuristicam*, posteriorem vero, quae de sensus expositione agit, *Prophoristicam* appellant. Conf. Ersch und Gruber l. c. Artic. Bibl. Hermeneutik. p. 304.

[2]) Etiam in legibus interpretandi universalibus ad s. Scripturam applicatis eas rationes esse observandas, quas singulares, quae huic libro jam ex parte humana spectato inhaerent, proprietates e. g. circa usum loquendi, loquentis consilium etc. exposcunt, quis non facile intelligit?

PARS I.

DE SENSU EXPLORANDO.

SECTIO I.

DE SENSU EXPLORANDO PER LEGES INTERPRETANDI UNIVERSALES AD SACRAM SCRIPTURAM APPLICATAS.

§. 18. Supremae sensus explorandi conditiones et leges.

Quia principium nostrum jubet, in sensu s. Scripturae eruendo ad eas leges attendere, quibus in ipsa commercium cogitationum adstrictum est, quod, quatenus Hagiographi ex humana solum, qua utebantur, efficacitate spectantur, a consuetudine loquendi apud eos eorumque lectores recepta atque ab universalibus cogitandi legibus pendere diximus (§. 8): jam dispiciendum est, num reapse communicatio notionum inter homines, ac proin etiam intelligentia orationis humanae istis conditionibus innitatur. Et sane in omni hominum oratione, sive ore prolata sive literis signata, duo sunt, quae eam constituunt, nempe vocabula qua *signa* et cogitationes loquentis qua *res significatae*. Ad haec duo ergo respiciendum erit, ut oratio intelligatur.

Quod primum *vocabula* attinet, omnibus notum est, quidquid animo effingimus (sensa et cogitata) ope vocabulorum ita cum aliis communicari, ut pro ratione idearum associationis idem sibi cogitatione effingant. Adest itaque nexus inter voces et eas notiones, quas usus vocabulorum exeriri facit, cum priores qua signa continuo posteriores qua res significatas producant. Nexus hic inter voces earumque notiones, cui commercium hominum intellectuale innititur, *usus loquendi* dicitur. Et quia scriptores quicunque sanae mentis ab aequalibus intelligi volunt, et propterea vocibus a se ad-

hibitis eas notiones subjiciant necesse est, quas usus gentis et aetatis suae probavit, usus loquendi lectorum, quibus auctor scripsit, non tantum est conditio auctoris intelligendi omnium prima, qua deficiente nulla cogitatus in animo latentis cognitio obtineri potest, sed etiam suprema Hermeneuticae universalis lex eo, quod auctor, qui intelligi volebat, nec dixit nec dicere potuit, quae usus loquendi non fert, sed tantum communicare voluit et potuit, quae ex usu loquendi cognito intelligi possunt et debent.

Licet vero haec sint certissima, usus loquendi tamen minime omnia in sensu investigando decernit. Ipse quidem pandit notiones vocabulis et dictionibus expressas; ast cum hae plerumque variae sint et vagae, utpote neque quoad ambitum, neque quoad perfectionis gradum definitae (§. 4), ita ut vocabula signa sint pluribus ex titulis sat imperfecta: respiciendum porro erit ad res ipsas significatas, id est ad *cogitationes*, quas loquens per verba usurpata utcunque indicavit, ut ope legum, ex quibus eae pendent, decernatur, quod usus loquendi circa sensum loquentis incertum reliquit. Et profecto *leges cogitandi* in sensu cujusvis orationis, ex verbis non sat perspicue excutiendo, in subsidium vocandas esse, ex natura rei intelligitur. Etenim oratio quaevis non est, nisi imago eorum, quae secundum cogitandi leges animo concepta loquens vocabulis seu corporibus induit, ut ab aliis percipiantur. Quapropter quia interpres ex auctóre explicando easdem prorsus notiones eruere voluerit, quas iste lectoribus suis oratione exposuit, easdem quoque *leges*, quibus tenebatur loquens, sequetur, ut earum virtute totum ejusdem cogitandi processum construat, et sic easdem plane cogitationes revocet, quas loquens animo conceptas habebat. Itaque in *universalibus ideas producendi et consociandi normis*, quae vel ad ipsam cogitatuum naturam, vel ad cogitantis individui relationes respiciunt, altera sensus inquirendi conditio posita est, qua vocabulorum notiones, quas usus loquendi docet, ita declarantur ac definiuntur, ut inde non solum cognoscatur, quae ex pluribus notionibus, singulis expressionibus forte adhaerentibus, a loquente in dato loco spectatae sint, sed etiam quis sit earum ambitus, et quis perfectionis gradus.

In hac igitur sectione agendum erit de sensu sacrae Scripturae explorando

I. per *usum loquendi;*

II. per *universales cogitandi leges*. Quibus duobus capitibus per modum appendicis subjungemus:

III. Tractatum *de pluribus locis inter se comparandis*, quia ista collatio praecipuum ad priores sensus inquirendi conditiones adjuvandas subsidium constituit, ne eadem fere ad singula capita repetere cogamur *).

*) Sunt nonnulli, qui rationem sensus inquirendi in interpretationem *grammaticam* et *historicam* dispescendam autumant, ita ut illâ praeter usum loquendi contextum complectantur, istam vero ad omnes temporis, loci ac personarum circumstantias, quae ad librum explicandum pertineant, trahant. Quae divisio, cum historiae quoque sit, firmare loquendi usum, contra logicam nobis peccare videtur. Conf. Ersch und Gruber l. c. p, 302. sqq.

§. 14. Canones, qui ad istas conditiones ac leges spectant, generales.

Cum itaque hae sensus investigandi conditiones ac leges, utpote in natura rei fundatae, sint certissimae, ubi eas rite applicandi locus datur, sensum certo definiunt. Priusquam vero ad singulas tractandas accedamus, juvat *canones generales* praemittere, juxta quos sensus ex eis statuendus erit. Sunt autem sequentes:

1. Quae usui loquendi vel universalibus cogitandi legibus manifesto et certo *repugnant*, sensum auctoris constituere nequeunt; et proinde interpretatio uni alterive illarum conditionum repugnans ut falsa repudietur.

2. Quae his conditionibus *respondent*, *possunt*, sed non debent auctoris sensum constituere, quia plures in singulis locis notiones eis convenire possunt, quarum nonnisi unam scriptor cum lectoribus communicare intendit.

3. Quodsi *una solum notio respondet* his conditionibus, procul dubio haec sensum auctoris efficit. Si id nescitur, majori minorive probabilitate contentos nos esse oportet *).

*) Huc spectant, quae apud Ersch et Gruber, sub articulo: Allgemeine Hermeneutik, p. 304. de principiis hermeneuticis leguntur: „Ihre Sätze haben nur *negativ* zwingende Geltung; gegen Sprachgebrauch und Geschichte darf sie keine Auslegung dulden; weniger entscheidend sind sie *positiv*, weil im einzelnen Falle mehrere Erklärungen grammatisch und historisch zulässig sein können, unter denen die Auswahl weder a priori noch a posteriori einer sichern Norm unterworfen werden kann, sondern einem gewissen exegetischen Tacte überlassen bleiben muss. Es hat sich daher der Ausleger, statt im einzelnen Falle das objectiv und absolut

Wahre getroffen haben zu wollen, dahin zu bescheiden, das subjectiv und relativ Richtigste erreicht zu haben." Conf. etiam, quae Jahn, Enchirid. §. 11 de criterio sensus certo falsi, et §. 20. de contextus vi probandi scribit.

CAPUT I.

DE SENSU EXPLORANDO PER USUM LOQUENDI.

§. 15. Dicendorum conspectus.

Cum itaque in sensu loquentis perscrutando tanti momenti sit usus loquendi, ut ex eo genuini sensus inventio inprimis pendeat, ad eum omne studium conferre oportebit. Quapropter ut prefectiorem usus loquendi biblici cognitionem acquiramus, prius *generales de usu loquendi observationes* statuemus, dein easdem ad *usum loquendi biblicum* et interpretationem s. Scripturae accommodabimus. Quia vero in usu loquendi, tum generatim tum biblice accepto, dispiciendum venit, qui sit, ac unde ejus cognitio comparetur, in utroque isto tractatu animus ad duo referendus erit, ad *indolem* nimirum usus loquendi cognoscendam, et ad *fontes*, ex quibus istam haurire licet cognitionem, designandos.

TRACTATUS I.

DE USU LOQUENDI IN GENERE.

A. *EJUS INDOLES*,

§. 16. ratione duplici consideranda.

Quo accuratius indolem usus loquendi perspiciamus, eam in *internam* et *externam* dispescere juvat, quatenus ratione prioris ipsam naturam nexus, qui in quavis lingua inter voces earumque significationes intercedit, spectamus, ratione vero posterioris relationem (cognationem et discrepantiam), quae inter diversas linguas locum habet, attendimus. Interioris indolis ratio est habenda, quia ex firmitate et constantia illius nexus omnis certitudo hermeneutica pendet; externa autem respicienda est, quia inde tum egregium, quod pro linguarum studio in earum collatione latet subsidium, et simul cautiones in hac collatione habendae derivantur, tum, quae singulis linguis propria sunt et peculiaria, intelliguntur, tum denique

difficultates in addiscendis linguis peregrinis, praesertim biblicis superandae dispiciuntur. Quare prius de *nexu inter voces ac significationes*, dein de mutua linguarum relatione, seu de earum *cognatione* et *discrepantia* tam lexicali quam grammaticali pauca dicemus.

§. 17. Nexus inter vocabula et notiones non quidem absolute, sed tamen hypothetice necessarius est.

Quodsi usum loquendi inter sensus inquirendi praesidia primo loco esse diximus, nexum vocabula inter et notiones, quo eum consistere putamus, firmum atque constantem esse posuimus. Quaeritur jam, num reapse ea sit natura hujus nexus? Equidem diversitas linguarum manifestissime probat, necessitatem absolutam non adesse, certis vocabulis certas notiones subjiciendi, adeoque vocabula ex origine sua esse signa aeque arbitraria ac illa, quae e. g. honoris causa statuuntur. Ad summum in paucis interjectionibus [1]) et nonnullis vocibus onomatopoeticis [2]) plurium linguarum concentus quidam, adeoque nativus hominum nisus consono modo istas notiones exprimendi, deprehenditur, quae tamen oppido paucae sunt, ac vel ipsae adeo diverse sonant, ut conformis earum designationis necessitas nulla appareat.

Attamen adscitus semel ab hominibus secum conversantibus nexus inter voces et notiones in consuetudinem abiit, et ita firmus constansque evasit, ut moralem necessitatem sese ita exprimendi induxerit, nisi commercium cogitationum desinat, et confusio Babylonica oriatur. Quod ex artis lege paucis ita enunciari solet: *Usus toquendi non quidem absolute, hypothetice tamen necessarius est* [3]).

[1]) E. g. אוי, οἶ, οἴμοι ah, eheu, ach! etc.

[2]) Tales sunt רַעַם, βροντὴ, *tonitru*, Donner, item ψιθυρισμὸς, *susurrus*, Lispeln, Säuseln, Gezische etc.

[3]) Huc spectat, quod jam Aristoteles, De interpret. cap. 2. adnotavit: Οὐδὲ φύσει εἶναι τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ πατὰ συνθήκην.

§. 18. Mutationes nihilominus in linguis locum habentes.

Haec constantia nexus inter vocabula et notiones non impedit, quominus variae mutationes in linguis locum habeant, et quidem praesertim in rudibus adhuc et incultis; at neque in linguis per regulas

grammaticas et scriptores jam excultis abesse solent. Cujusmodi mutationes prodeunt:

1. *A tempore*, quocum voces aliae obsolescunt, aliae adolescunt, aliis novae accedunt significationes, dictionibus aliis valedicitur [1];

2. *a regione et loco*, ita ut eadem lingua pro diversitate plagarum et locorum plus minusve dissonet, et in alias atque alias abeat dialectos, quae non tantum in quibusdam minutiis, id est literis et flexionibus, sed etiam in ipsis vocibus earumque notionibus et constructionibus discrepent [2];

3. *a religione, secta et disciplina*, cui nonnumquam desunt respondentes voces et dictiones, quo fit, ut expressiones communes, ubi de religione sermo est, aliam vim habeant, vel etiam nova vocabula cudantur [3];

4. *a republica civili et ecclesiastica*, pro cujus diversa ratione diversae vocum notiones enascuntur [4];

5. *e vita communi*, ex qua passim etiam in libris voces et dictiones depromtae usurpantur [5].

6. Denique usus loquendi quodammodo etiam determinatur *a scriptore*. Quamvis enim auctor genere dicendi et scribendi suae aetatis usus ponatur, pro ingenio tamen suo, nec non eruditione ab eo discessisse videri potest; quo fit, ut in singulis ejusdem aevi scriptoribus voces et dictiones prae caeteris usurpatae, aut earum quoad usum tenuiora discrimina observanda et tenenda occurrant [6].

[1]) Sic אִי, אִיִּים tempore Mosis est *ora maritima*, *tractus maritimus*, inprimis maris mediterranei. Postea eadem vox pro quacunque *regione remota* adhibetur, Genes. X, 5. Psalm. LXXII, 10. XCVII, 1; recentiori autem aevo *insulam* denotat, Esth. X, 1. Porro נתוּנִים *dati* vel *donati* Mosi sunt Levitae, Num. III, 19. VII, 17. 19.; ast post exilium hoc nomine sub forma נְתִינִים veniunt *mancipia* templo donata, Ezr. II, 43—59. 70. VIII, 17—21. Germanicum Pfaff, quod nunc notam despectus involvit, ante tria saecula bene audiebat. — De hac mobilitate usus loquendi Horatius, De arte poetica canit v. 70—72:

„Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi."

[2]) Ita e. g. νομὸς (i. q. νομή) *pascuum*, locus, ubi pascitur pecus, solum Aegyptiis *districtus*, *praefectura* est. Dialecti Graecorum notae sunt. Conf. etiam Jud. XII, 6. Matth. XXVI, 73.

[3]) Huc spectat e. g. מִנְחָה, quod generatim *donum*, Mosi *fertum* est, Genes. IV, 3. Levit. II, 1. Num. XV, 4—9. עָשָׂה, quod in vita communi

facere, ubi vero de cultu Dei sermo est, *sacrificare* notat, uti Levit. IX, 6. 16 Num. XXVIII, 24. sicut et antiqui Graeci teste Athenaeo, Deipnosoph. XIV. p. 660. edit. Casaub. ῥέζειν et δρᾷν pro θύειν, et Romani ipsi (Virgil. Bucol. Ecloga III. v. 77.) *facere* pro *sacrificare* ponebant. Voces γνῶσις, ἀγάπη, χιλιασμὸς, ὑπόςασις, *incarnatio, communio, justificatio, praedestinatio* aliasque quam plurimas primis Ecclesiae christianae temporibus ad orthodoxorum dogmata et disciplinam vel sectarum placita designanda introductas et technice usurpatas fuisse, nemo ignorat.

4) Inde זָנָה, נָאַף, μοιχεύειν, *fornicari*, *adulterari* cum derivatis apud Judaeos respectu habito ad theocraticam regiminis formam saepissime *de apostasia* a Jehova (Deo rege) usurpantur. זָקֵן *senex* Hebraeis a regimine patriarchali etiam *superior* est; apud Romanos *tyrannus* antea rex generatim, post Tarquinium rex crudelis dicebatur.

5) Tales sunt: כֶּלֶב, *canis* pro *homine abjecto*, II. Sam. III, 8. כֶּלֶב מֵת, *canis mortuus* pro *abjecto homine impotente*, I. Sam. XXIV, 15. II. Sam. IX, 8. XVI, 9. χοῖρος, *porcus*, Matth. VII. 6. et apud scriptores profanos pro *homine immunditiei ac desidiae dedito*. Conf. *Vorstium*, de adagiis N. T. Cap. IV. pag. 779. edit. *Fischeri*. Huc etiam spectat ἐξουσία, I. Cor. XI, 10 quod I. D. Michaelis (Einl. p. 169.) cum aliis pro nomine vulgari certi *pepli muliebris* habet.

6) Quantopere scriptores etiam ejusdem aetatis peculiari loquendi usu distinguantur, quilibet rei peritus facile observabit, qui auctores antiquos vel etiam recentiores inter se comparaverit. Sic magnum discrimen inter *Jesaiam* et *Jeremiam*, *Joannem* et *Paulum*, *Caesarem* et *Livium* etc. deprehenditur. Ad *Thucydidem* et *Tertullianum* intelligendum vix linguae graecae vel latinae accuratissima cognitio sufficit, adeo pendet uterque scriptor ab ingenio suo et peculiari plane usus scribendi ratione, quae nihil sibi uspiam simile habet. Conf. quae hac de re prolixius scripsit J. Jahn in Enchiridio p. 23—32. secutus *Ernestium*.

§. 19. Linguarum cognatio.

Quodsi jam ratio spectatur, quae inter linguas caeterum diversas intercedit, in aliis concordes, discordes in aliis deprehenduntur. Equidem similitudinis ratione habita frequentissime quaedam voces, dictiones, iisque substratae notiones, earumdemque discrimina unius linguae mirum in modum conspirant cum alius vocibus, dictionibus ac notionibus; quid? quod nonnumquam ita aequantur, ut sibi substitui possint. Quae res nemini rerum perito mira videbitur, qui intellexerit, in linguis, quae vel a communi stirpe natae, vel ab invicem procreatae sint [1]), licet successu temporis multum ab invicem discesserint, plurima tamen tum *lexicalia* tum *grammaticalia*, quae vel communem originem, vel mutuum populorum, qui iis utebantur, commercium ac nexum prodant, abesse non posse [2]).

Sed ne in diversis quidem linguis omnis similitudo penitus deest. Quia enim, quae sensibus tum externis tum internis percipiuntur, homines, qui ejusdem sunt naturae, eadem ratione afficere solent, factum est, ut in rebus potissimum, quae in sensus cadunt, quaedam consensio in usu loquendi omnium linguarum obtineat [3]). Accedit, quod si non omnes, pleraeque tamen gentes, habuerint inter se aliquid saltem commercii, quod migrationes ex aliis terris in alias genuere, quo factum est, ut ab unius gentis lingua aliquid in linguam alterius derivaretur [4]).

1) Sunt, qui inter *dialectos* et *linguas cognatas* distinguunt, nimirum ad priores referentes, quae a communi stirpe natae, uti Graecorum et Semitarum dialecti, ad posteriores vero, quae ab invicem procreatae sunt, uti graeca et latina, latina et italica, vetus germanica et, quae nunc viget, danica etc. Conf. Morus l. c. Vol. I. p. 172. seqq. Ast licet discrimen inter linguas analogas non sit negandum, quia tamen illae compellationes passim promiscue usurpantur, hanc loquendi consuetudinem retinendam existimamus.

2) Confer infra §. 23. II. 2. de dialectis proposita.

3) Sic quia tenebrae nos omnes quodam tristitiae sensu afficiunt, et lux omnibus aliquid hilaritatis affert, evenit, ut diversissimae linguae lucem dicant de gaudio, et tenebras faciant imaginem moestitiae. Similiter, quia imago rei nobis obversatur, quum ideae quaedam in mente nostra formantur, factum est, ut notiones rerum in mente orientes in omnibus linguis ideae, imagines, species, effigies, figmenta etc. appellarentur.

4) Hac de causa inprimis gentes, quae opibus et imperio valuerunt, ut Graeci et Romani, in linguas caeterarum maximam vim habuerunt.

§. 20. Linguarum discrepantia.

Quemadmodam autem linguae omnes, et quidem eae, quarum est aliqua cognatio, in multis, illae vero, quae minus inter se concordes existunt, in nonnullis tamen concinunt; ita omnes tum ratione *lexicali*, id est quoad vocabulorum originem, delectum et significationem, tum ratione *grammatica*, seu quoad formas, formarumque usum et constructionem, nominatim antiquiores cum recentioribus, orientales cum occidentalibus collatae, multum differre cognoscuntur. Et quidem quod *lexicalia* attinet, praeterquam quod jam radices respectu habito ad elementa, quibus constant, in variis linguis multum varient, — quippe quae non solum in aliis linguis magnam partem onomatopoëticae sunt, in aliis non item, sed etiam pro diversitate idiomatis diverso literarum et syllabarum nu-

mero plus minusve definito ac constanter servato se distinguant [1]), — quaedam linguae eximia vocabulorum copia et varietate abundant, contra aliae adeo inopes sunt, ut integris orationis partibus aut prorsus aut partim carentes plurium notionum notionumve discriminum proprios non habeant terminos, aut certe notione aliis linguis accurate respondente eas exprimere non valeant [2]).

Si porro ad vocabulorum et phrasium, prout diversis linguis exhibentur, potestates attenderis, videbis eas multum discrepare, et quidem quoad significatus ambitum ac modificationes, praesertim vero quoad frequentiam polysemorum atque numerum et rationem translatorum [3]). Accedit quod, dum idiomata alia classica puritate ac elegantia splendeant, alia plura vel pauciora exotica et deterioris notae admixta habeant [4]).

Simili modo linguae inter se dissident ratione *grammatica.* Et quidem linguae duplicem rationem inire cognoscuntur, si *structura grammatica* generatim consideratur. Aliae enim notiones relativas et determinationes significationis primariae accessorias *flexione,* seu interna radicis immutatione designant; aliae contra voces et particulas, quae ad istas relationes ac determinationes designandas sua potestate valent (*suffixa, praefixa*), radici ita adnectunt, ut cum illa plus minusve in unam vocem contrahantur atque coalescant [5]).

Quodsi vero speciatim formationem diversarum orationis partium observaveris, multa et haud levia videbis discrimina. Ut praecipua tantum delibemus, alii articulum definitum, quo utuntur, declinant, qui apud alios indeclinabilis est [6]); pronomen apud diversos formarum copia ac varietate valde differt [7]); maxime tamen grammaticae diversarum linguarum ratione verbi et nominis in diversa abeunt [8]).

Nec minus ratione *syntactica* linguae in formis, quae suppetunt, adhibendis, in notionibus earumque discriminibus, quibus peculiaris formae voces desunt, supplendis, et tandem in construendis suo ordine vocabulis aliae alias sequntur leges [9]).

[1]) Frid. Schlegel in opere: Ueber die Sprache und Weisheit der Indier, p. 60. sq. respectu habito ad redices duo suprema linguarum originalium genera distinxit, quorum alterum maximam partem onomatopoëticis originem debet, alterum expressiones suas inventorum arbitrio et reflexioni in acceptis refert; prioris generis lingnam dictam *Mont - chou,*

onomatopoëticis refertam, posterioris vero linguam *indicam* exemplum posuit. — Linguae *Semiticae* singulari ac constanti radicum conformitate se distinguunt, ita ut paucis exceptis non habeant nisi trium literarum radices.

[2]) Ampliores tum vocabulorum tum formarum thesauri apud Graecos, Latinos, Germanos aliosque, qui magis culti sunt, populos inveniuntur; contra singulari penuria tam lexicali quam grammaticali laborant monosyllabae, uti Sinensis, et, quae aliae ad ejus familiam spectant, linguae, nam non tam voces, quam potius vocum elementa, habentes formis ad notiones relativas et accessorias exprimendas destituuntur. Quoad singulas orationis partes articulum definitum, qui Graecis, Germanis multisque aliis in usu est, Persae, Latini, Malaeones cum aliis non habent. Porro adjectivis et particulis plures linguae, uti graeca et latina cum aliis, abundant, contra semiticae eorum penuria laborant. Similiter pronomina, si personalia excipias, penes Semitas valde defectiva inveniuntur, vocabula vero composita, praeter nomina propria, iis fere prorsus desunt, quo fit, ut plures expressiones nostras e. g. grundlos, lichtscheu, himmelblau, singulis terminis reddere non valeant.

[3]) Hac in re ne in linguis quidem magis cognatis discrimina plus minusve subtilia deesse solent, ita ut earum expressiones et formae analogae rarissime inter se plane conveniant et sibi respondeant. Quod translationes verborum attinet, ex natura rei praesertim linguae orientales et occidentales in diversa abeunt.

[4]) Ipsa quoque idiomata, quae aetate sua aurea eximiam puritatem ac elegantiam praeseferebant, aevo sequiori expressionibus ac significationibus exoticis ac deterioris notae valde corrupta inveniuntur. Exemplo sint auctores Hebraeorum, Graecorum ac Latinorum aetatis inferioris.

[5]) Prior ratio structurae grammaticae in pluribus linguarum stirpibus, e. g. graeca, indica, posterior in semitica praedominatur, licet neque in hac desint plura, uti pluralis fractus Arabum, et formae verbales et nominales omnium Semitarum, quae ad priorem referri debent. Conf. C. G. Anton, Versuch, das zuverlässigste Unterscheidungszeichen der orientalischen und occidentalischen Sprachen zu entdecken. Leipzig 1792.

[6]) Sic e. g. Graeci, Germani, multique alii articulum pro diversitate generis, numeri ac casuum declinant; contra اَلْ Arabum sicut *the* Anglorum indeclinabile est.

[7]) Quemadmodum linguae asiaticae generatim copia pronominum personalium se distinguunt, ita Semitae cum Graecis, Latinis et Germanis comparati singularem quamdam in hac re ubertatem et varietatem ostendunt, utpote pronominis *separati* et *suffixi* et in secunda ac tertia persona masculini quoque et feminini speciales formas habentes; contra quoad reliqua pronomina his longe inferiores sunt.

[8]) Quoad *formationem verbi* diversae linguae potissimum numero ac varietate conjugationum, modorum ac temporum divergunt. Sic e. g. verba

Graecorum et Latinorum in plures classes, quas conjugationes nuncupare Grammaticis placuit, abeunt; contra Semitae omnia verba regularia una eademque ratione inflectunt, et hanc quoque flexionem juxta diversos modos ac tempora, quae illi accurate distinguunt, negligentius tractant.

Ratione *nominis* praecipuae differentiae grammaticales ad genus, numerum et casus referuntur. Quoad genus quaedam linguae, uti graeca, latina et germanica praeter masculinum ac femininum etiam neutri speciales formas attribuunt; contra aliae, uti semiticae et quaedam recentiores tales formas non habent, malaica omnis generis discriminis videtur esse ignara. Numeros pleraeque linguae duos habent, singularem et pluralem, quibus aliae, uti graeca et semiticae formas speciales dualis addunt; contra malaica nonnisi singularem habens, pluralem nominis singularis repetitione compensat. Denique casus quod attinet, aliis plures, aliis pauciores sunt; Semitae, si Arabes excipias, tales cum propriis terminationibus prorsus non habent.

*) Hoc fit, cum linguae quaedam modo ab aliis recedente certis grammaticae formis utuntur, e. g. cum graeca vel nomen proprium cum articulo definito construit, quod in aliis fieri non solet; porro cum aliae formis, quibus carent, alias substituunt, vel, quocunque modo licet, eas circumscribunt, e. g. cum semiticae deficientibus pronominibus reflexivis pro: *ego me laedo*, dicunt: *ego laedo animam meam;* denique cum a quibusdam diversus constructionis ordo servatur, uti cum articulus definitus, qui a plerisque voci, ad quam pertinet, praeponitur, ab Aramaeis et Scandinavis postponitur.

Caeterum qui de indole linguarum generatim considerata plura scire cupit, adeat praecipue sequentia opera:

A. Reland, De linguis insularum quarumdam orientalium Dissert. Miscell. Pars III. Traject. 1708.

Versuch einer allgemeinen Sprachlehre von J. Severin Vater. Halle 1801.

Mithridates, oder allgemeine Sprachkunde von J. Ch. Adelung. Berlin 1806.

Principes de Grammaire generale. P. A. J. Sylvestre de Sacy. Paris 1832.

Ueber die Verschiedenheit des menschlichen Sprachbaues und ihren Einfluss auf die geistige Entwickelung des Menschengeschlechtes, von Wilhelm von Humboldt. Berlin 1836.

Annali delle Scienze religiose. Roma 1837. Art. I. II. Conferenze di Monsig. N. Wiseman sopra la connessione delle scienze colla religione revelata. Conferenza prima e secunda: Sullo studio comparativo delle lingue. Traduzione dall' Inglese di G. Mazio.

B. *FONTES, EX QUIBUS USUS LOQUENDI PETENDUS.*

§. 21. Usus loquendi historice cognosci debet.

Delineata jam usus loquendi indole, qualis tum ratione nexus, qui in quavis lingua inter voces et significationes intercedit, tum ratione relationis unius linguae ad alias observatur, restat altera quaestio, qua nempe ratione usus loquendi linguae nobis ignotae cognosci queat, ad quam responsio in promptu est. Etenim quas notiones homines certae nationis et aetatis vocibus ac phrasibus a se usurpatis, certo modo formatis atque constructis jungere soliti sint, seu quae eorum loquendi consuetudo fuerit, est res facti, adeoque *testimoniis* comprobanda, sicut res historicae omnes solis testimoniis firmantur. En legem pro usu loquendi cognoscendo gravissimam! Haec testimonia vero vel sunt, quae proxime et *per se* de significatione vocabulorum fidem faciunt, vel quae proxime et per se aliud factum probant, ope conclusionis autem plus minusve justae pro usu loquendi agunt; illa *directa*, haec *indirecta* vocantur *).

*) Conf. Morus l. c. Vol. I. p. 74 seq. Jahn, Ench. Herm. p. 39 seq.

§. 22. Testimonia usus loquendi directa.

Quibus subsidiis in linguis vivis, e. g. arabica, germanica, gallica usus loquendi cognitio comparetur, res est apud omnes nota. Nec non linguae mortuae usus facile cognoscitur, cujus testimonia ex aevo, quo adhuc vigebat, sat ubera supersunt. Cujus generis testimonia petuntur:

1. *Ex scriptoribus, qui aut ipsi eo sermone vernaculo usi* ¹), aut ab iis, qui eodem vernaculo utebantur, *edocti sunt* ²). Inter hos autem *illi ipsi, in quorum interpretatione versamur,* caeteris praeferendi sunt, qui, dum haud raro in eodem contextu vocabula definiunt, vel exemplis, synonymis aliisve additamentis explicant, aut in locis parallelis eandem vocem vel phrasin, qua utuntur, clariori in luce ponunt, merito dictorum suorum optimi censentur interpretes. Verum etiam *aequales* seu coaetanei vix minores habendi sunt, qui, quoniam cum scriptoribus explicandis eadem aetate vixerunt, eundem prorsus usum suppeditant ³).

2. *Ex antiquis interpretibus, lexicographis, scholiastis, glossatoribus, aliisque auctoribus, qui illo aevo, quo lingua ad-*

huc vivebat, voces ejus ac phrases interpretati sunt[4]). Quid contra haec testimonia, quae omnia directe et immediate usum linguae emortuae comprobant, excipi queat, non patet, cum ab iis, qui factum, de quo agitur, optime noverunt, deposita sint, atque omnis sublestae fidei suspicio desit.

[1]) Sic ubi Xenophon voci graecae aut Cicero latinae tribuit quamdam significationem, directum ac immediatum habetur testimonium, quo intelligitur, hanc fuisse apud Graecos aut Latinos illius vocis vim, quum lingua graeca prioris, latina vero posterioris fuerit vernacula.

[2]) Quo referendus e. g. Terentius Afer, qui dum latine scripsit, non vernaculam habebat linguam illam, longo tamen usu cognitam; porro Marcus Antoninus, Josephus Flavius ac Philo, qui dum commentarios suos graece elucubrarunt, etsi prior Romanus, posteriores Judaei fuerunt, idonei tamen sunt testes linguae graecae, quoniam haec ipsorum aetate adhuc vigebat, ipsisque bene cognita erat.

[3]) Ita in epistolis Ciceronis explicandis inprimis scripta ejusdem auctoris, sed et Coelii, Sulpicii aliorumque epistolas interpres recte adhibet, quoniam hi Romani omnes cum Cicerone eadem aetate vixerunt, et usum latinum optime noverunt.

[4]) Dum e. g. Cicero multos Platonicorum dialogorum locos vertit, hi loci totidem testimonia suppeditant de vi ac potestate verborum Platonis. Scripsit enim Romanus ille lingua graeca adhuc viva, ejusque fuit peritissimus.

§. 23. Testimonia usus loquendi indirecta.

Quid vero si ejusmodi testimonia usus loquendi directa aut prorsus desint, aut non sufficiant? Tum in subsidium vocanda sunt testimonia indirecta, ad quae spectant:

I. *Traditio domestica*, quae nobis est cognitio linguae, quam ab antiquitate ejusdem gnara vel viva voce vel scriptis propagatam accepimus. Neque hujusmodi traditionis subsidium scrutatorem linguae mortuae facile prorsus destituet, quum nulla lingua, nisi natio ipsa, cujus vernacula fuit, penitus subjugata et ad alienas leges vivere coacta fuerit, ita exstirpata sit, ut non ejus cognitio apud cultiores, et eo certior ac amplior, quo viciniores fuerint viventi linguae, servaretur et ad posteros propagaretur[1]). Fontes vero hujus traditionis sunt:

1. Cognitio linguae mortuae *institutione in scholis propagata*

2. *Scripta post linguae fatum exarata*, veluti versiones immediatae, verbales praesertim ac etymologicae, lexica, scholia et glossae, libri grammaticorum atque commentarii philologici, pro-

fecta a viris eruditis, qui institutione scholari, vel alia ratione, linguam mortuam edocti erant.

II. *Subsidia philologica*, ad quae referuntur:

1. *Etymologia et analogia linguae.*

Prior est investigatio aut primigeniae significationis ex elementis linguae, aut secundariae ex similitudine quadam aliove nexu cum primigenia petita. Unde per se patet, elementorum et originis significationem historice prius cognitam esse debere, ut significationes derivatae exinde statuantur [2]). Etsi autem omnia, quae modo innuimus, prius diligenter degustata fuerint, nihilominus etymologia est res aleae plena, cum significatio etymologica frequenter differat ab ea, quam usus loquendi cum vocabulo conjunxit, et praeterea nemo hominum quasi a priori ex sola cognitione radicis divinare queat, quasnam alias significationes gens quaedam cum significatione illius connexuerit [3]), sed id nonnisi ex testimoniis auctorum vocabulis utentium erui possit, qui testes idonei sunt usus loquendi. Caeterum alia commoda, quae interpreti etymologia praestat, non negantur [4]).

Analogia pro majori vel minori similium formarum vel dictionum eadem potestate venientium numero significationem similis formae vel dictionis definit, licet etiam haec certitudine careat, cum exceptiones vix unquam abesse soleant. Quia tamen homines, ut plerumque fit, similitudinis rationem sequuntur, et revera similes formae et dictiones ratione potestatis suae frequenter congruunt, hoc subsidium non repudiandum, et eo majoris momenti erit, quo major est similitudo, et quo major est numerus similium exemplorum, quae eandem significationem praeseferunt [5]).

2. Cum collatione linguae mortuae interiori conjungenda est *comparatio dialectorum.* Etenim quia inter omnes linguas, praesertim inter dialectos ejusdem stirpis, quaedam cognatio, eaque sive major sive minor tum quoad lexicalia tum quoad grammaticalia intercedit (§. 19), cum lingua emortua etiam aliae linguae, nominatim dialecti cognatae optime conferuntur ad usum ejus illustrandum ac confirmandum; attamen ad eum constituendum minus certum exhibent subsidium, quum non solum linguae magis diversae, sed etiam singulae dialecti ejusdem familiae plurima propria habeant (§. 20), et posteriores vocabulis quoque ex lingua matre aut sorore assumtis novas non raro, plus minusve discrepantes, signi-

ficationes addant, demantque antiquas, ita ut ex significatione vocabuli in dialecto ad eandem significationem in lingua matre aut sorore certo concludi non possit [6]). Circa phrases major observatur omnium, inprimis cognatarum, linguarum convenientia [7]).

[1]) Exemplo sit lingua *latina*, quae medio aevo, cum in ore populi dudum jam conticuisset, imo nostro adhuc aevo quasi viva, et in rei summa usu loquendi immutato remansit.

[2]) Sic significatio verbi compositi μοσχοποιέω *vitulum facio*, prius cognitis partibus μόσχος et ποιέω, et significatio translata substantivi γάμος *convivium*, perspecta hujus vocis potestate primaria: *nuptiae*, ad quas convivium apparabatur, perspicua est.

[3]) Quis e. g. ex cognita significatione radicis ἕω aut ἵημι conjicere poterit quasnam significationes Graeci cum derivatis et compositis conjunxerint? Hoc ex usu loquendi Graecorum discendum est.

[4]) Cujus generis sunt: dum etymologia investigat primam vocabulorum significationem, et modum, qua ad alia significanda translata sunt, hoc ipso illustrat significationes derivatas, easque clariores et distinctas reddit. Cur e. g. שְׁאוֹל significet *infernum, receptaculum mortuorum*, ex significatione radicis שָׁאַל *rogavit, poposcit*, liquet, quia nempe ad locum istum omnes mortales requiruntur. Pari ratione significatio formae mediae verbi ἐφιέμαι *desidero*, ex significatione prima formae activae ἐφίημι *mitto*, *remitto super*, *ad* vel *versus* (aliquam rem) declaratur. Porro syntaxis, quae videtur singularis, ex significatione primitiva lucem capit. Cur e. g. עָגַב *amavit* cum עַל et אֶל construatur, ex significatione prima: *admiratione alicujus ductus est*, patescit. Et quae sunt alia hujusmodi.

[5]) Similitudinis ratio, quae analogia vocatur, in eadem lingua aut in pluribus (cognatis, imo et diversis linguis) locum habere potest, et in formis vocabulorum, phrasibus ac significationibus vim suam exserit. Quatenus in eadem lingua obtinet, alias etiam *analogia grammatica* appellatur; quatenus vero comparatis pluribus linguis observatur, *analogiam dialectorum*, *linguarum cognatarum* et *linguarum diversarum* distinguunt. Nos hoc loco per analogiam linguae intelligimus similitudinis rationem *in eadem lingua*, analogiam plurium linguarum ad dialectorum subsidium referentes. — Caeterum conf. *Morus* l. c. Vol. I. p. 168 sqq. *Loehnis*, Hermeneutik p. 52 seqq.

Exempla analogiae haec sunto: Quia formae verborum latinorum activae etiam significatio activa adhaeret, recte concludimus, talem significationis rationem verbis: *amo*, *doceo*, *lego*, *audio* annexam esse; ast verba *vapulo* et *veneo* contra omnem analogiam cum forma activa significationem passivam conjungunt. Pari modo quia ἐθέλω vocibus graecis junctum notat *affectare aliquid*, et proin ἐθελόσοφος est *affectator sapientiae*, et ἐθελόπονος dicitur, *qui vanae gloriae captandae causa laboriosus videri affectat*, hinc voci ἐθελάστειος recte tribuitur significatio *urbanitatem et elegantiam affectans;* ast ἐθελόδουλος deserta hac ana-

logia est, *qui se sponte in servitutem dedit.* Similia in omnibus linguis occurrunt.

[6]) Quantopere studium linguae mortuae collatione dialectorum seu analogia linguarum adjuvetur, Tib. Hemsterhusius ratione linguae graecae et latinae, et Alb. Schultensius ratione linguae hebraicae et arabicae, licet non ubivis recte (conf. infra §. 33 not. 2) ostendit. Nihilominus magna cautione opus esse, ne, quae uni dialecto priva sunt, alii tribuantur, innumera fere exempla discrepantiae dialectorum abunde evincunt. Talia sunt: Hebr. אָמַר est *inquit*, arab. أَمَرَ *jussit*, hebr. אָבַד *periit*, arab. أَبَدَ *perennavit;* φήμη (dorice φάμη) a Graecis etiam de responsis Deorum, de auguriis avium etc. ponitur, qua potestate *fama* apud Latinos non venit. Similiter *parens* Latinis patrem matremve, Italis vero *(parente)* *consanguineum* indicat; *mittere* latine est *ablegare*, gallice vero *(mettre)* *ponere; missus* (gall. *mets)* notat *ferculum*, Anglis *meat caro* est; germ. *Futter esca animalium*, angl. vero *food esca hominum* est.

[7]) Ex copiosis hujus analogiae linguarum exemplis duo adduxisse sufficiat. Hebraei dicunt אִישׁוֹן עַיִן *homunculus oculi*, id est *pupilla*, in qua tanquam in speculo hominis imaginem conspicimus, Deut. XXXII, 10. Prov. VII, 2. Plenius אִישׁוֹן בַּת עַיִן id est: *pupilla filia oculi.* Ps. XVII, 8. Lepidissima haec imago a multis linguis frequentatur, veluti arab. إِنْسَانُ ٱلْعَيْنِ, graec. κόρη, κοράσιον, κορασίδιον; lat. *pupa*, *pupilla*, *pupula*; hisp. *la niña del ojo.* Pari ratione phrasis הֲלוּמֵי יַיִן *vino obtusi. percussi* vel *prostrati*, Jes. XXVIII, 1. aut. מִתְרוֹנֵן מִיָּיִן *victus vino*, Ps. LXXVIII, 65. pro *ebrio* frequentatur, cum eadem locutione etiam utantur Arabes (conf. Gesenii Comment. in Jes XXVIII, 1.), et apud Graecos οἰνοπλήξ, sicut apud Latinos *vino sauciatus* (apud *Livium)*, *mero saucius* (apud *Martialem)* et *percussus tempora Baccho* (apud *Tibullum*) dicatur.

§. 24. Subsidiorum recensitorum ordo atque auctoritas.

Si quaeritur, quo ordine subsidia recensita adhibenda sint, et quae singulis competat auctoritas, facile intelligitur, quoad certitudinem primo loco ponendos esse, si qui supersint, fontes ex ea aetate, qua lingua mortua adhuc vigebat, utpote argumenta usus loquendi subministrantes inprimis idonea. Inter eos vero primas partes deberi *scriptoribus ipsis*, in quorum interpretatione versamur, ex supra dictis (§. 22) patet, quum secum collati voces ac phrases vel in eodem contextu vel in aliis locis (parallelis) recurrentes saepius sat feliciter definiant, plurimasque observationes grammaticales exhibeant, testibus directis hac in re prae caeteris adnu-

merandi [1]). Quibus proxime accedit *traditio domestica*, quae cum complectatur cognitionem linguae mortuae derivatam ab iis, quibus sive ob propinquam, qua vivebant, linguae vivae aetatem, sive ob institutionem vel voce vel stylo acceptam peritia illius merito tribuenda est, testimonio usus loquendi directo vix non aequiparanda erit. Quanti habenda sit haec traditio, ex eo intelligitur, quod non solum plurima, praesertim ubi fontes ejusdem uberiores praesto sunt, tam lexicalia quam grammaticalia historice docet, sicque penitiori linguae investigationi viam munit, materiam subministrans eorum, quae ad comparationis leges et disciplinae praecepta examinari oporteat, sed etiam arbitrio eruditorum et conjecturandi petulantiae, quibus comparatio interior (etymologiae et analogiae linguae studium) et subsidium dialectorum locum dant, limites statuit, testimonium suum ceu lapidem lydium exhibens, ad quem utriusque subsidii relationes exigantur. Scripti hujus traditionis fontes vero eo majoris erunt auctoritatis, quo antiquiores et quo sunt pleniores, et quo minus suspicandum est, auctores proprio judicio fretos vocibus ac phrasibus antiquis significationes tribuisse, quin monumenta historica has confirmantia ad oculos haberent [2]). Postremo recensenda venit *comparatio linguae mortuae interior* (quoad etymologiam et analogiam linguae) *et dialectorum*, quarum utramque, licet ad notiones vocum ac phrasium inveniendas et constituendas minus faciat, ad usum loquendi confirmandum et multifariam illustrandum egregie servire, ex antecedentibus constat (§. 23. II. not. 2—7). Caeterum vel haec posterioris ordinis subsidia in quibusdam casibus omne fere dubium de potestate alicujus vocis aut phrasis tollunt, praesertim ubi plura illorum pro ea militant, quin quidquam repugnet [3]).

[1]) Ad collationem parallelorum verbalium egregium adjumentum afferunt *Concordantiae* verbales, quae omnes, in quibus vox aliqua occurrit, locos uni obtutui objiciunt, de quibus vide infra §. 150. nota 2.

[2]) Ex parte antiquitatis *scholia* et *glossae*, — quae inter id discriminis intercedit, ut illa illustrent locos ob contextum aut rerum naturam minus claros, hae verba ob antiquitatem aut raritatem obscura, — utpote ex antiquissimis saepe auctoribus repetitae magna auctoritate gaudent: quoad ubertatem vero et fidem *lexica* iis anteponenda sunt, siquidem haec opes linguae complectuntur, et simul, saltem praestantiora, significationis mutationes, quae successu temporis vocabulis accesserunt, indicant, cum contra scholia et glossae nonnisi breviter voces ac res declarent, et non-

numquam observato contextui potius, quam perfectiori usus loquendi cognitioni originem debeant. Lexica ob rationem allatam etiam versionibus et commentariis praestant. Quodsi *versiones* et *commentarii* inter se comparentur, hi dummodo officiis suis satisfaciant, illis sine controversia anteferendi sunt; etenim versiones simplici modo sensum textus originalis reddunt, commentarii vero plura exempla afferendo et locos parallelos consulendo luculentiorem linguae cognitionem praebent. Accedit in versionibus antiquis etiam illud incommodum, quod prius dijudicandum est, utrum incorruptae ad nos pervenerint, an aliam forsan lectionem sequantur.

*) E. g. etymologia, ubi in compositis potestas partium aparta est. Nam quis in adducto jam μοσχοποίεω de significatione *vitulum facio* (Act. VII, 41.) dubitabit, licet nullum aliud testimonium pro ea afferri possit? Non minus significatus alicujus vocabuli linguae emortuae, quem omnes dialecti cognatae tuentur, et cui nec traditio antiquorum nec contextus adversatur, tantam probabilitatem acquirit, ut a certitudine parum distet.

§. 25. Transitio.

Quibus ex dictis jam facile colligere licet, studium linguarum antiquarum, quae simul emortuae fuerint, laborem esse sat arduum. Ut enim, cujus ejusmodi linguae sint indolis, probe percipiatur, sedulo indagandum erit, quae earum in remotissima, cujus plerumque sat tenuia restant vestigia, antiquitate fuerit conditio, quas per plurima, quae inde elapsa fuerint saecula, per varia, quae in iis vim habuerint, adjuncta successu temporis subierint mutationes, et quae demum altioris, ad quem fors evectae fuerint, culturae gradus, subsequentis corruptionis et ultimi fati exstiterint causae, ut sic cognoscatur, quae proprietates plus minusve subtiles in diversis aetatibus, regionibus atque scriptoribus eis adhaerescant, ne generalia cum specialibus ac peculiaribus, peregrina cum propriis, recentiora cum antiquioribus commisceantur atque permutentur. Quae res certe eo difficilior erit, quo magis linguae emortuae a nostris recedant, quo longiori temporis spatio extra usum positae atque emortuae fuerint, quo magis denique deficiant subsidia, quibus earum cognitio comparetur.

Ea vero ratio est potissimum linguarum, quibus sacer codex consignatus est. Praeterquam enim quod nostrarum sunt dissimillimae, ex multis jam saeculis conticuerunt adeo, ut quoad A. T. imo etiam quoad elementa hebraica et aramaica N. T. sufficientibus destituantur testimoniis, quod mox videbimus. Quapropter interpreti

s. Scripturae sedulo studio laborandum erit, ut linguarum biblicarum ingenii exactam sibi comparet cognitionem in subsidium vocando, ubi certa usus loquendi testimonia desunt, etiam minus liquida, eaque diligenter examinando ac ponderando, atque ubi singula non sufficiant, plura consociando, ut sic eorum ope cum certitudine, vel si haec haberi nequeat, cum magna saltem probabilitate definiri possit, quae dictionibus biblicis potestas competat.

TRACTATUS II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO.

§. 26. Ad quem usum in Bibliis sacris sit attendendum?

Quae sint linguae biblicae, ad quarum usum investigandum praemissa principia generalia applicanda sunt, omnibus notum est. Libri protocanonici A. T. (si fragmenta chaldaica Dan. II, 2. — VII, 28. Esr. IV, 17. — VI, 18. VII, 12. — 26. Jerem. X, 11. excipias) hebraice conscripti sunt; reliqua vero opera biblica aut primitus graece exarata, aut certe non amplius supersunt nisi in graeco idiomate qua primo, ex quo versiones aliae fere omnes emanarunt. Quapropter priori loco de lingua *hebraica*, posteriori de *graeca* agendum erit. Singillatim vero de utriusque usu disserendum existimamus, quia ingens, quod in utriusque indole ac fontibus est, discrimen diversa sibi deposcit praecepta.

Num vero catholicus interpres ad usum originalium s. Scripturae linguarum et possit et debeat confugere, postquam concilium Tridentinum Sess. IV. Vulgatam versionem latinam declaravit authenticam, nostris temporibus vix amplius quaeritur, cum illud concilii decretum de meris versionibus, iisque latinis tantum et illius aevi, earumque usu publico praecipiat, quin de textu originali, qui ex natura rei qua fons rivulis ex eo manantibus praeferri debet, vel verbulum praescripserit *). Quod si licet, adeat ergo theologus, cui facultas non deest, idioma originarium, quia omnium judicio versiones plus minusve hallucinantur, et difficilius, quam idioma originarium intelliguntur, dein quia heterodoxi, contra quos religionis nostrae dogmata

defendere convenit, versionibus exceptiones opponere solent, et demum quia theologus hoc nomine dignus primos in omnibus doctrinarum suarum fontes exquirat.

*) Conf. Ackermann, Introd. in lib. ss. V. T. pag. 65 sqq. Caeterum de vi obligante laudati decreti Trid. recurret sermo Sect. II. §. 176. coll. §. 179. nota 2.

ARTICULUS I.

DE USU LINGUAE HEBRAICAE COGNOSCENDO.

§. 27. Quae in ejus studio interpres respicere debeat?

Lingua hebraica, populi Israelitici olim vernacula, dialectus est *Semitarum* [1]), a dialecto, qua Chamitae seu Canaanitae in Palaestina et Phoenicia utebantur, parum vel prorsus non diversa, quod ex pluribus indiciis liquet [a]). Hinc lingua hebraica nuncupatur etiam canaanitica (Jes. XIX, 18.), quia Abrahamus Semita, ex Ur Chaldaeorum in Palaestinam delatus, dialectum Canaanitarum, utpote cum patria fere eandem, adoptaverit et ad posteros propagaverit. Quae cum ab illis postea egregie exculta Davidis et Salomonis aetate in perfectionis fastigio stetisset, nec usque ad exilium notabilem mutationem subiisset, eo deinceps tempore puritate prioris aevi deperdita pluribus peregrinis ac recentioribus deformari coepit. Etenim exules Hebraei assuefiebant linguae vernaculae locorum, in quibus degebant, nempe aramaeae orientali seu chaldaicae, ita ut lingua hebraica per hanc, qua primitus praeter illam, et quidem solum in sermone vulgari, utebantur, corrupta post reditum ex captivitate sensim sensimque ex ore populi non amplius percepta ad scribendum tantum retineretur, non tamen sine momento linguae vulgaris cognatae atque recentiorum commixtione majori vel minori pro scriptorum diversitate, donec sub finem aetatis Maccabaeorum penitus emoreretur.

Nostrum jam est, hujus linguae biblicae primum *indolem* describere, dein ejus cognoscendae *fontes ac subsidia* assignare.

[1]) Linguas populorum Asiae anterioris, ad quarum stirpem hebraica spectat, antiquiores passim appellabant *orientales*, Patres ecclesiae, nominatim s. Hieronymum, secuti. Quae compellatio, licet ex eo defendatur, quod

dictae linguae inter caeteras regionum orientalium linguas sint notiores et potiores, recentioribus tamen non placuit, utpote minus adaequata, cum plures aliae Orientis linguae ad eandem stirpem referri non possint. Repudiata itaque hac denominatione alii, Eichhornio postissimum auctore, easdem linguas non tamen sine contradictione aliorum *semiticas* dixerant, eo quod juxta genealogiam Gen. X, 21 seq. plurimi eorum populorum, qui eis utebantur, a *Sem* descenderint. Fatendum quidem est, nec hoc nomen prorsus adaequatum esse, cum Elamitae et Assyrii, licet caeterum semiticae originis (Gen. X, 22.), diversis loquerentur linguis, contra Chamitae, quales Cuschaei, Canaanaei et Sidonii (Phoenices) erant (Gen. X, 6. 7.), lingua semitica uterentur; illud tamen, utpote in scriptis recentioribus magis usitatum, retinemus. Conf. W. Gesenius, Geschichte der hebr. Sprache. Leipzig 1815. p. 5. et H. A. Ch. Haevernik, Handb. der hist. Krit. Einleit. in das A. T. I. Th. I. Abth. pag. 92 seq,

2) Cujus generis indicia sunt:

a) Nomina propria personarum et locorum Canaanitarum cum manifesta etymologia et forma hebraica, e. g. שְׁכֶם, אֲבִי מֶלֶךְ, מַלְכִּי־צֶדֶק etc.

b) Canaanitae expugnati ab Abrahami posteris longiori adhuc tempore cum his terram Canaan inhabitarunt, quin unquam discrepantis linguae mentio fieret.

c) Denique nomina in diversis inscriptionibus et nummis reperta cum hebraicis vel plane coincidunt, vel ad eam potius, quam ad aliam quamlibet dialectum, accedunt.

Conf. Bellerman, De Phoenicum et Poenorum inscriptionibus. Berolini 1810. Herbst, Einleitung in die heil. Schriften des A. T. Karlsruhe und Freiburg 1840. §§. 15. 16.

A. *INDOLES LINGUAE HEBRAICAE BIBLICAE.*

§. 28. Materiae conspectus.

Quantopere linguae semiticae, ad quas hebraica referenda est, ab aliis, praesertim nostris occidentalibus, discrepent, supra (§. 20) pluribus indigitatum est, et insuper nemo rerum peritus ignorat. Quodsi proprietatibus universi Semitismi adduntur ea, quae Hebraismo sunt peculiaria, justa indolis hujus posterioris, generaliter accepti, notio habebitur. Ast linguae hebraicae, qualis in libris sacris occurrit, diversae partes probe secernendae sunt. Et primum quidem haud exigua inter scripta ante exilium exarata et ea, quae durante exilio eoque finito confecta sunt, discrepantia conspicitur, ita quidem, ut haud inepte priora, utpote generatim puritate linguae, concinnitate ac elegantia orationis conspicua, ad

aetatem auream; posteriora vero, quorum oratio humilior et minus concinna invenitur, et lingua, nisi opera antiquiora imitatur, puritate prioris aetatis neglecta multa peregrina et deterioris notae, praesertim aramaica et neohebraica, admixta habet, ad aetatem argenteam referantur. Dein opera poëtica ratione tum lexicali tum grammaticali plurimum ab operibus sermone pedestri conscriptis differunt. Denique ipsi, quotquot sunt auctores, alius ab alio manifesto discedunt *). Quapropter ut linguae hebraicae indoles ea, quam s. Scriptura exhibet, accuratius conspiciatur, non a re nostra esse existimamus, si paucis describamus

I. proprietates hujus linguae communes, et quidem

a) quatenus nativa sua conditione ab aliis discernitur,

b) quatenus elementa peregrina ac recentiora complectitur;

II. proprietates operum poeticorum, et

III. proprietates singulorum quorumdam scriptorum.

*) Conf. Gesenius l. c. p. 21 seq. Haevernick l. c. p. 17 seq.

§. 29. I. Proprietates linguae hebraicae communes et quidem

a) *quatenus nativa conditione ab aliis differt.*

Proprietates Hebraismi biblici generatim accepti primitivae, quas partim cum reliqua stirpe semitica communes, partim sibi privas, vel certe magis familiares habet, sequentibus potissimum consistunt:

Semitarum more primum ratione lexicali radices habet plerumque tribus consonantibus constantes [1]); voces compositae, si nomina propria excipias, ei paucae sunt [2]); quarumdam orationis partium inopia laborat, aliisque defectivis tantum gaudet [3]). Si dein characterem grammaticalem consideraveris, solum generi masculino et feminino propriam formam tribuit, forma neutrius deficiente; articuli definiti omnis generis, numeri et casus unam solum formam habet; pronomen ad relationes personarum exprimendas ei inprimis multiplex ac varium, quoad alias vero relationes designandas vel mancum, vel omnino nullum suppetit. Quoad formationem verbi Hebraei conjugationes diversas sic dictas non habent, cum omnia verba una eademque ratione inflectant, neque sicut caeteri Semitae modis ac temporibus, quae negligentius excoluerunt, verbis auxiliaribus succurant. Quod nomen attinet, solum numerus et genus spe-

ciali termininatione insigniuntur, cum casus diversis terminationibus careant. Neque pro comparatione adjectivorum Hebraeis propriae formae praesto sunt. Nec minus denique in vocibus formisque construendis, vel, si quae desunt, supplendis a caeterorum via deflectant, ita, ut haud paucos styli hebraici sibi consciscant, ut dicunt, idiotismos [4]).

Quodsi linguam hebraicam cum aramaica et arabica contuleris, illam inter secundam et tertiam nominatarum tum quoad copiam verborum ac synonymorum, tum quoad formarum supellectilem, tum quoad ipsam adeo orthographiam et vocalium usum medium fere locum tenere videbis [5]).

1) Paucae radices plurium, quam trium literarum, plerumque ab initio, in medio vel fine aliquam literam consonam adjectam exhibent, ut אַבְנֵט *baltheus*, קַרְדֹּם et גַּרְזֶן *securis;* aut duae voces similis soni et significationis, raro aliae, in unam contractae habentur, ut עֲרָפֶל *caligo maxima.*

2) Nomina composita, ut lat. *causidicus*, paucissima, verba vero composita, ut lat. *abeo* prorsus nulla sunt.

3) Praesertim ratione adjectivorum et particularum valde inops et manca est lingua hebraica. Sic e. g. si requiris conjunctiones, in unica conjunctione וְ acquiescit, ubi cultiores linguae particulis adversativis, causalibus et finalibus uti solent.

4) Proprietates Hebraismi biblici tum ratione characteris grammaticalis, tum ratione syntaxeos abunde exhibent grammaticae meliores, ad quas ablegamus.

5) Quod de copia vocabulorum ac significationum, singulis dialectis semiticis competentium, est commemoratum, lexica confirmant; quoad formas, praesertim verbi, Hebraeos Arabibus longe inferiores, Aramaeis superiores esse, grammaticae docent, quam rationem in orthographia et vocalium usu recurrere, neminem, qui rei est peritus, potest fugere. Constat enim Arabum, qui certos pronuntiationis modos earumdem literarum propriis characteribus distinguunt, alphabeto illud Hebraeorum sex consonantibus superari, Syros vero his una consonante inferiores esse, utpote pro שׂ semper ס scribentes. Pari ratione in obviis vocabulis cernitur, vocalibus Arabes largius quam Hebraeos, Aramaeos vero his parcius uti, e. g. قَتَلَ, קָטַל, ܩܛܰܠ.

§. 30.

b) *Quatenus elementa peregrina et recentiora complectitur.*

Proprietatibus Hebraismi biblici originariis accedunt elementa, quae aliis linguis ad illum momentum habentibus et corruptioni a sequente aevo profectae originem debent. Ex iis primo loco ponimus *aramaica* et *neohebraica.* Priora ex dialecto aramaica oriunda,

licet in scriptis antiquioribus non desint, generatim tamen in libris recentioribus frequentiora reperiuntur, et ob arctum, quod exilium inter populos aramaice loquentes et Hebraeos introduxit commercium, in hebraicam inferioris aetatis linguam irrepsisse existimantur. Posteriora complectuntur ea, quae ex ipsius Hebraismi recentioris corruptione enata, propterea neohebraica (hebraica recentiora) dicta sunt. Praeterquam enim, quod quaedam voces linguae antiquae postmodum abolitae, aliae vero, antea non notae, in usum receptae sunt, quam plurimis novae accesserunt significationes aut significationum variationes, in aliis contra originaria vis, vel tamen subtiliores antiquae potestatis distinctiones in oblivionem venerunt; non minus recentiori aevo invaluerunt formae a linguae hebraicae indole abhorrentes, flexiones ac constructiones rariores et abnormes; generatim omnis linguae color naturam quasi rudiorem et minus politam induit. Caeterum elementa ex Aramaismo et Neohebraismo illata frequenter adeo conspirant, ut facile non sit definire, utrius quodque esse videatur [1]).

Peregrinis ex Semitismo profectis accedunt quaedam alia ex linguis non semiticis derivata, inter quae primum nominanda sunt *Aegyptiaca*. Antiquissima enim terra, quacum Hebraeos jam olim arctius conjunctos fuisse, historice constat, est Aegyptus; quare non mirum est, si quaedam aegyptiaca jam in Pentateucho obvia sunt. Quodsi in scriptis recentioribus quoque nomina propria Aegyptiorum reperiantur, id inde explicant, quod etiam aevo inferiori, praesertim Salomonis, et, quod eum secutum est, tempore Hebraei cum Aegyptiis vario usi sint commercio [2]).

Dein huc spectant nonnulla vocabula *persica*, quae vero aevo longe posteriori, quo Hebraei idiomate chaldaico, in Babylonia usitato, linguae persicae cognato, usi, et demum ipsi Persarum imperio subjecti fuerunt, in Hebraismum biblicum venerunt. Quo factum est, ut demum in postremis A. F. libris non dubia momenti, quod Persicismus ad Hebraismum habuit, vestigia deprehendantur [3]).

Denique occurrunt in s. Scriptura quaedam nomina propria Deorum et hominum, quae pro reliquiis linguae *assyriacae*, quam ad familiam Medo-persicam referunt, habentur [4]).

Si vero plures eruditi quasdam voces Hebraismi biblici ob nexum, qui antiquissimo jam tempore inter populos Asiae anterioris et Graeciam locum habuit, ex lingua *graeca* desumtas existimant,

nos non habent consentientes, quia exempla graecorum, quae afferunt, partim non sunt certa, quippe quae non minus commode ex Semitismo explicari possunt, partim sensum fundunt contextui vel historiae minus convenientem [5]).

[1]) Exempla Aramaismi et Hebraismi recentioris promiscua:

a. *Proprietates lexicales*:

α) *Orthographia recentior*, qualis est *scriptio plena*, uti דָּוִיד pro דָּוִד; מוֹרִיגִים *tribulae* (I. Chron. XXI, 23.) pro מֹרָגִים; dein א prostheticum, e. g. אִישַׁי *Isai* (I. Chron. II, 13.) pro יִשַׁי; denique radices trium literarum Syrorum more *prolongatae*, praecipue intrusa liquida ר, uti שַׁרְבִיט *sceptrum* (Esth. IV, 11 sq.) pro שֵׁבֶט, דַּרְמֶשֶׂק *Damascus* (I. Chron. XVIII, 5. 6.) pro דַּמֶּשֶׂק. Quibus addimus ת femininum per apocopen obliteratum, e. g. רִבּוֹ *myrias* (I. Chron. XXIX, 7.) pro רִבּוֹת, נְוָלוּ (Esr. VI, 11.) et נְוָלִי (Dan. II, 5. *stercus* pro נְוָלוּת et נְוָלִית.

β) *Voces et phrases:* בּוּץ *byssus* (I. Chron. XV, 27. al.) pro antiquiori שֵׁשׁ, בִּירָה *arx, sedes regia* (Esth. I, 2. al.), גּוּפָה *corpus* (I. Chron. X, 12.) pro גְּוִיָּה, טָעָה *erravit* (Ezech. XIII, 10.) pro תָּעָה, כְּתָב *scriptura, edictum, liber* (Esth. III, 14. IV, 8. Dan. X, 21 al.), מִדְרָשׁ *commentarius* (II. Chron. XIII, 22.), נָשָׂא אִשָּׁה *uxorem duxit* (II. Chron. XI, 21. XIII, 21.) pro לָקַח אִשָּׁה (Genes. IV, 19. al.), תֹּקֶף *robur* (Esth. IX, 29. XI, X, 2. Dan. XI, 17.). Alias mittimus.

γ) *Significationes*: מִנָּה *praefecit* (Dan. I, 11.), נִצֵּחַ *praefuit* (I. Chron. XXIII, 4. II. Chron. II, 1. al.). Huc spectant etiam plures *termini technici*, oriundi ex commercio Hebraeorum cum Babyloniis et ex posteriori status civilis conditione, uti: מְדִינָה *provincia, ditio* (Thren. I, 1. I. Reg. XX, 15 seq.), סָגָן *praefectus, princeps* (Jerem. LI, 23. 28. 57.), פֶּחָה *praeses provinciae* (I. Reg. X, 15. Esr. VIII, 36. Neh. II, 7. 9. al.), רַב titulus honoris pro antiquiori שַׂר, praesertim in compositione cum aliis nominibus, e. g. רַב־טַבָּחִים *dux praetorianorum* (Jerem. XXXIX, 9—11. 13. Conf. Dan. II, 14.) etc.

b. Proprietates aramaicas et neohebraicas *grammaticales* quod attinet, quo referimus *formas pronominales, nominales* ac *verbales*, nec non constructiones recentioris aevi rariores et abnormes, in libris grammaticis melioris notae copiosis exemplis illustrantur, quae proin hoc loco nota supponimus. Conf. Hofmann, Grammat. Syr. p. 221. Ewald, Krit. Grammat. p. 582. 609. 632. not. 7.

[2]) *Aegyptiaca antiquiora* sunt: אָחוּ *gramen palustre* (Genes. XLI, 2. 18. Job. VIII, 11. in LXX, ἄχει, ἀχι, conf. Sir. XL, 16. Jes. XIX, 7.), יְאוֹר *fluvius*, nominatim *Nilus* (Genes. XL, 1 seq. Exod. I, 22. seq.), בְּהֵמוֹת *hippopotamus* (Jol. XL, 15.), פַּרְעֹה Pharao, communis regum Aegyptiorum titulus, צָפְנַת פַּעְנֵחַ *Salvator mundi*, interprete Hieronymo in Quaest. in Genes. cognomen Josephi (Genes. XLI, 45.).

Ad *Aegyptiaca recentioris aetatis* referunt: מֹף (Hos. IX, 6.) et נֹף (Jes. XIX, 13.) Memphis, חָנֵס Anysis (Jes. XXX, 4.) etc. Plura ha-

bent: S. Quatremère, Recherches sur la langue et les antiquités de l'Egypte. Paris 1808; Ig. Rossi, Etymologiae aegyptiacae. Romae 1808, et praecipue Jablonskii, Opusc. ed. te Water. Tom. I. p. 45. 374. Tom. II. p. 160.

[1]) Ex *lingua persica* repetunt: טִפְסַר *princeps*, Satrapa (Nah. III, 17.), אַרְגְּוָן *purpura* (II. Chron. II, 6. Dan. V. 7. 16. 29.), coll. ارغوان *frutex cum flore rubro;* פַּרְדֵּם *paradisus, hortus arborum* (Cant. IV, 13, Nah. II. 8.)

Aliae voces origine persicae cum hebraicis vel aramaicis copulatae sunt. Sic גְּנָז, גִּנְזַ *thesaurus* (Ezech. XXVII, 24. Esth. III, 9. Esr. V, 17. al.), descendens a גַּז *gaza* (quo nomine *pecuniam regiam* Persis appellatam fuisse testatur Curtius III. 13. 5.), cum radice כָּנַס, כְּנַז *(collegit, congessit)* conjunxerunt, unde גִּזְבָּר *thesaurarius, quaestor* (Esr. I, 8.) et גְּדָבְרַיָּא *thesaurarii* (Dan. III, 2. 3.) derivantur. Conf. Lorsbach Archiv. II. p. 273. Gesen. Thesaur. p. 296. Pentateuchus persica non novit. Etenim vexatum דָּת *lex, mandatum* (Deut. XXXIII. 2.) minus recte a persico داد *(justitia, aequitas)*, Pehlvi *dadha*, derivatur, cum praeterquam, quod formae illius non exacte convenit, derivatum ex radice hebraica דּוּן, דִּין *judicare*, unde est דֶּנֶת et contractum דָּת (ad analoniam בַּת contracti ex בֶּנֶת) *jus, lex* commodissimum sensum fundat. Per quod non negatur, idiomatis persici auctoritate esse tribuendum, quod hoc vocabulum in recentioribus scriptis frequentatur. — Qui plura scire cupit, legat Silv. de Sacy, Memoires sur diverses antiquités de la Perse. Paris 1793, p. 32. 100. 111. et Hadr. Reland, Dissert. miscell. de reliquiis veteris linguae persicae. Vol. II. p. 97 seq. Appellativa persica collecta extant in Simonis Arcano Form. p. 639. et nomina propria in ejus Onomast. V. F. p. 967.

[1]) *Assyriacis* adscribuntur: נְבוֹ *Mercurius* (planeta), quem tanquam scribam coelestem Chaldaei (Jes. XLVI, 1.) et veteres Arabes cultu divino prosequebantur (Vide Gesen. Comment. in Jes. T. II. p. 344. 366); מְרֹדָךְ (Jerem. L, 2.) *idolum Babyloniorum* probabiliter *Mars* planeta; נְבוּכַדְנֶאצַּר Nebucadnezar, nomen proprium regis Babyloniae; quod LXX vertunt Ναβουχοδονόσορ (II. Reg. XXIV, 1. al.). Alia vide II. Reg. XXV, 8. Jes. XXXIX, 1. Jerem. XXXIX, 13. — Conf. Jablonski Opusc. T. III. p. 139. Lorsbach l. c. T. II. p. 247.

[5]) Inter alia eruditi praesertim voces jam in Pentateucho obvias פִּלֶגֶשׁ *pellex* (Genes. XXXV, 22. al.) et לַפִּיד *lampas* (Genes. XV, 19. Exod. XX, 18) a graecis πάλλαξ, παλλακὶς et λαμπὰς derivarunt, sicut alii recentiori vocabulo אַפִּרְיוֹן (Cant. III, 9.) originem graecam tribuerunt, com parantes illud cum φορεῖον *lectica, sella gestatoria* (II. Maccab. III, 27. IX, 8.); ast perperam, cum dictae voces ex linguis semiticis commode expediri possint, et significatio ultimae ex lingua graeca petita repugnet contextui, cui nonnisi *torus nuptialis* convenit. Vide Gesenius, Geschichte der hebr. Sprache, p. 64, 65 et Haevernik, Einleitung I. T. I. Abth. pag. 169—171.

§. 31. II. Proprietates operum poëticorum.

Non est hujus loci indolem poëseos Hebraeorum] ejusque diversa genera ac scribendi rationes exponere. Quia tamen proprietates linguae hebraicae nobis recensendae sunt, non possumus silentio praeterire, linguam poëseos hebraicae a prosa tum quoad selectum et significationes vocum [1]), tum quoad formas grammaticales et constructiones [2]) plurimis discrepare. Porro monere juvat, haud pauca, quae in lingua hebraica poësi sunt peculiaria, in dialectis, praesertim in syriaca, ad orationem vulgarem spectare; quo fit, ut plura, quae in scriptis aureae aetatis poëtica censentur, in soluta aetatis argenteae oratione aramaissante recurrant.

1) Voces et significationes poëticae habentur: אֹמֶר et מִלָּה *verbum*, *sermo* pro דָּבָר, אֹרַח, נָתִיב *semita*, alias דֶּרֶךְ, חִוָּה *indicavit* pro הִגִּיד, חָרוּץ et כֶּתֶם *aurum* pro זָהָב, נָחַת *descendit* pro יָרַד, aliaeque plurimae. Quo etiam spectant quaedam *epitheta poëtica*, posita pro certis substantivis, quibus per eminentiam conveniunt, uti אָבִיר *fortis* pro Deo (Genes. XLIX, 24. Jes. I, 24 al.), אַבִּיר *fortis* pro equo et tauro (Jerem. VIII, 16. XLVII, 3. L, 11. Jes. X, 13), חַמָּה et לְבָנָה *calida* et *alba*, pro sole et luna (Cant. VI, 10), יְחִידָה *unicum*, dein *carissimum* pro vita (Psal. XXII, 21. XXXV, 17).

2) Ad formas et constructiones poëticas referuntur: sing. אֱלוֹהַּ pro plur. אֱלוֹהִים *Deus; feminina terminatio* in ־ָת pro ־ָה, ut זִמְרָת *cantus* (Exod. XV, 2. al.), עֶזְרָת *auxilium* (Ps. LX, 13. CVIII, 13); *particulae plurales* אֱלֵי, עֲלֵי, עֲדֵי; *formae prolongatae* per ה paragogicum ob rhythmum, ut אֵימָתָה *terror* (Exod. XV, 16), יְשׁוּעָתָה *salus* (Ps. III, 3); porro *suffixa* in ־מוֹ, et ־ֵימוֹ et in ־ֵיהוּ, וֹהִי, e. g. לָמוֹ *ei* (Genes. IX, 26, 27), אֱלֹהֵימוֹ *Dii eorum* (Deuteron XXXII, 37), עֵינֵיהוּ *oculi ejus* (Job. XXIV, 23), תַּגְמוּלוֹהִי *retributiones ejus* (Ps. CXVI, 12); dein frequens usus substantivorum abstractorum pro concretis vel adjectivis, uti אֱמֶת *veritas* pro vero (Ps. XIX, 10), חֹשֶׁךְ *tenebrae* pro tenebroso (Ps. XXXV, 6) et alia. Conf. Ewald, Krit. Gr. p. 323 et 624 seq.

Plura de proprietatibus linguae poëticae Hebraeorum legi possunt in Guil. Jones, Poëseos Asiaticae Commentariorum libb. VI. Lond. Recudi curavit J. Gfr. Eichhorn. Lips. 1777. — Rob. Lowth, De sacra Hebraeorum poësi praelectiones academ. Lond. 1753. Notas et epimetra adj. J. D. Michaëlis. Göttingae 1770. Suis animadversionibus adjectis edidit E. F. C. Rosenmüller. Lips. 1815. — H. Ewald, Die poetischen Bücher des A. B. Tom. I. Götting. 1839.

§. 32. III. Proprietates singulorum scriptorum.

Ex hucusque dictis cognoscere licet indolem linguae hebraicae omnibus scriptoribus A. T. communem, et quibus proprietatibus

dictio poëtica a prosaica distinguatur. Ast quemadmodum usum cujusvis linguae etiam haud raro pendere ex singulis scriptoribus vidimus (§. 18. 6), ita quoque usus linguae hebraicae s. Scripturae alias atque alias pro auctorum singulorum ingenio subiisse vicissitudines reperitur. Quamquam enim omnes eadem lingua utantur, alii tamen alio modo conformant, prout vel aetate vel loco ab invicem distant, aut prout singulari ingenio ac indole vel cultura praediti sunt, aut prout denique diversa orationis materia occupantur. Inde est, quod alius prae alio certas voces ac phrases, certasque formas ac constructiones, aut certo tamen quodam sensu soleat usurpare, quae res non minus ac communis indoles ab interprete debet attendi, ne ex usu communi interpretetur, quae ex peculiari exponenda sunt. Quam rem ut exemplis comprobemus, paucas quasdam proprietates magis exstantes, quibus Pentateuchus [1], Jobus [2], Ecclesiastes [3], Jesaias [4], Jeremias [5], Ezechiel, Daniel [6] et Chronista [7] ab aliis discedunt, in notis subjectis adduxisse sufficiat.

[1]) Lingua Pentateuchi generatim hebraica antiquior est, pura atque correcta, exotica praeter nonnulla aegyptiaca (§. 30. not. 2) non habens, et a lingua recentiorum librorum haud paucis peculiaribus distans. Peculiares Pentateucho sunt:

a) *Voces et phrases:* גּוֹזָל *pullus avium* (Genes. XV, 9. Deut. XXXII, 11), pro quo sequentes auctores בֵּן ponunt; אָסוֹן *laesio* (Genes. XLII, 4, 38, XLIV, 29. Exod. XXI, 22, 23), קָבַב *maledixit* (Num. XXIII, 8, 11, 25 etc.), aetate posteriori נָקַב, et aliae.

b) *Formae et constructiones*, ad quas referuntur: Masculinum הוּא *is*, *ille* et נַעַר *puer* passim etiam pro foeminino genere positum; Archaismus pronominis, uti הַלָּזֶה *iste* (Genes. XXIV, 65, XXXVII, 19) alias praeter locum poëticum Jes. LVIII, 5 non obvius; apocope imperativi femin. שְׁמַעַן *audite* (Genes. IV, 23) et קְרֶאןָ *vocate* (Exod. II, 20); numeri quantitatis: *vices* per רְגָלִים proprie *pedes* (Exod. XXIII, 14. Num. XXII, 28. 32. 33), vel per מֹנִים (Genes. XXXI, 7. 41), pro quibus apud recentiores usus substantivi פַּעַם et פְּעָמִים vel numeralium simplicium fixus est.

[2]) Lingua Jobi, cujus dictio abrupta et audacior accedit ad Pentateuchi partes poëticas, antiquitatem prodit, et praeter multas expressiones ac loquendi rationes sibi *peculiares*, quae ob antiquitatem et raritatem subliomiori operis poësi apprime convenientes in hebraico alias non occurrunt, ex ditissima vero dialecto arabica egregie illustrantur, plurima *aramaica* complectitur.

Peculiaria sunt: הֹרָה (Pual) *conceptus est* (III, 2), שֶׁמֶץ *susurrus* (IV, 12. XXVI, 14), תָּהֳלָה *error* (IV, 18), כֶּלַח *senectus* (V, 26.

XXX, 2), כַּעַשׂ *indignatio* (V, 2. XVII, 7), quae orthographia in Jobo constans est, cum contra alii auctores semper כַּעַס scribant, שָׁבַר חֹק *terminum posuit* (XXXVIII, 10), חָבַשׁ tropice *coërcuit* (XXXIV, 17) etc. Elementa *arabica* jam observavit s. Hieronymus, scribens, Jobum cum arabica lingua plurimam habere societatem. Praef. in Danielem. Conf. Schultens. in comment. Job.

Ad *aramaica* referuntur: מִלִּין *verba, sermones* (IV, 2 seq.), רֵים *bubalus ferus*, pro רְאֵם (XXXIX, 9), קִנְצֵי *laquei captiosi* (XVIII, 2), שָׂהֵד *testis* (XVI, 19) etc. Caeterum eruditi observant, aramaismos Jobi ab aramaismis citerioris aetatis ipso genere ita esse diversos, ut primitivam hujus idiomatis indolem plane retineant. Conf. Hoffmann, Grammat. Syr. p. 342. Exemplo sit מִלֵּל, quod Job. VIII, 2. originaria potestate a דִּבֵּר adhuc ita differre putant, ut illud malo sensu *eloqui, garrire* sit, cum contra hoc in sensu bono *loqui* significet.

Parallela verbalia ac realia, quae eruditi observarunt inter Jobum et Proverbia Salomonis, collecta exhibentur in Rosenmüller, Scholiis in Job. p. 32 seq.

³) Non minus lingua libri Ecclesiastis distinguitur proprietatibus, ad quas spectant:

a) *Voces et phrases peculiares vel solemnes*, uti creberrima abstracta, frequens usus vocabuli יֵשׁ et oppositi אַיִן, porro expressiones חֶשְׁבּוֹן *cogitatio intenta, inventum multa meditatione excogitatum* (VII, 25. 27. IX, 10), יִתְרוֹן *excellentia* (I, 6. al.), לַהַג *studium intentum* (XII, 12), et plures aliae.

b) *Aramaismi:* כְּבָר *jam, dudum, olim* (I, 10 etc.), כִּשְׁרוֹן *successus prosper* (II, 21 al.), יְהוּא *fractio* (XI, 3), גּוּמָּץ *fossa* (X, 8), בָּטֵל *cessavit* (XII, 3) aliique plurimi.

⁴) Jesaias elegantia et sublimitate omnibus aliis prophetis palmam praeripit, et praesertim antithesibus (I, 19. 20. III, 10. 11. 12. 14. IX, 15) ac pulcherrimis paronomasiis atque lusibus verborum (XXIX, 9. XXX, 16. XXXII, 17), singularibus orationis orientalis luminibus, conspicuus est. Quodsi classicae linguae puritati haud pauca quoque aspersa reperiuntur, quae archaismis et rarioribus vel aramaicis ac recentiori Hebraismo accensenda sunt, observandum est, Jesaiam his uti in sublimiori poësi, quae talia amat. Huc spectant e. g. הִשְׁגִּיחַ *prospexit* (XIV, 16. Conf. Ps. XXXIII. 14. Cant. II, 9), Pual verbi קָרָא *vocavit* (XLVIII, 8. LXV, 1. Conf. Ezech. X, 13), Piel verbi שִׂיחַ *loqui* (LIII, 8. Conf. Ps. CXLIII, 5), Piel verbi פֵּאֵר *ornavit* (LX, 7. 13. Conf. Esr. VII, 27) etc.

⁵) Jeremias dictione utitur valde chaldaissante ac deterioris notae (Conf. §. 30, nota 1). Aemulus quidem est auctoris Pentateuchi et vatum antiquiorum; ast expressionibus antiquioribus novas substituit, anteriori aevo vel incognitas vel aliter scriptas, vel alio sensu usurpatas. E. g. יָאָתָה *decus* (X, 7), mollior forma, desumta ex antiquiori נָאָה *decorus fuit;* כִּנְעָה *sarcina* (X, 17) a כָּנַע *contraxit*, verbo emollito ex כָּנַס (כָּנַשׁ) *in se contractus fuit*, cum contra antiquior Hebraismus כָּנַע *depressit, humi-*

liavit cum כָּרַע *incurvavit se*, conjunctum ostendat; antiquius רָעַע et רָצַץ *contrivit*, apud Jeremiam (V, 17) transiit in רָשַׁשׁ, etc. Conf. A. Knobel, Jeremias chaldaizans. Dissert. Wratislav. 1831, quo tamen in opere exactior critica optanda esset.

[6]) Ezechiel et Daniel, qui in Babylonia ipsa tempore exilii scripserunt, dictionem inprimis aramaissantem et impuram sectantur. Quodsi prior formas abnormes, e. g. infinitivi cum suffixo more nominum pluralium, uti VI, 8. XVI, 31., aliasque anomalias, uti VIII, 16. IX, 8. prae caeteris in deliciis habet, posterior cum illo auctore aequali in pluribus conspirat. Cujus generis sunt formae infinitivi Ezech. XXIV, 26. et Dan. XI, 23. recurrentes. Voces rariores, uti בַּג *cibus*, זֹהַר *splendor siderum* utrique communes sunt. Conf. Ezech. XXV, 7. et VIII, 2. cum Dan. I, 5 seq. et XII, 3. Alia aramaica et deterioris notae Ezechielis et Danielis jam adducta sunt §. 30, nota 1.

[7]) Chronista, qui generatim lingua corruptiori utitur, in usu Aramaismi et Hebraismi recentioris singulare studium perspicuitatis prodit, quod praecipue manifestum fit, si libri Chronicorum cum libris Samuelis et Regum conferuntur, quo intelligitur, in illis haud raro expressiones antiquiores ac obscuriores, quae in his occurrunt, orthographiae ac formationi recentiori convenienter corrigi, vel cum aliis permutari, procul dubio eum in finem, ut a lectoribus, linguae recentiori ac vulgari assuetis, perspiciantur. Imo hinc inde etiam, rarius tamen, vocibus et formis anomalis et obscuris praecedentis aetatis a Chronista correctiores et clariores substituuntur. Sic I. Chron. XI, 2. מֵבִיא pro מֵבִי coll. II. Sam. V, 2.; I. Chron. XI, 17. 18. 22. בּוֹר *puteus* pro בּאֹר coll. II. Sam. XXIII, 15. 16. 20.; II. Chron. X, 12. וַיָּבֹא pro וַיָּבוֹ coll. I. Reg. XII, 12. scribitur. Similiter כֹּהֲנִים, quo nomine *sacerdotes* indicare solemne est, II. Sam. VIII, 18. in rariori significatu de filiis Davidis, qua principibus ac primis ministris regis acceptum, I. Chron. XVIII, 17. cum clariori רִאשֹׁנִים permutatur.

Caeterum plura de idiotismis singulorum scriptorum legi possunt in Gesenius, Geschichte der hebr. Sprache, §§. 11, 12. Haevernick, Einleitung, pag. 177—240 et in aliis.

B. *FONTES AC SUBSIDIA LINGUAM HEBRAICAM COGNOSCENDI.*

§. 33. Unde recta linguae hebraicae cognitio haurienda sit?

Descripta jam sat superque linguae hebraicae indole restat, ut fontes ac subsidia assignemus, e quibus ejus cognitionem haurire oportet.

Quodsi quaeritur, qua via et ratione omnes, qui linguae hebraicae inde a tempore, quo viva esse desiit, studio inter Judaeos ac Christianos inclaruerunt, eam lexicographice et grammatice investigaverint, historia teste intelligimus, fontes, e quibus omni aetate

praesidia sibi petierant, tres esse, nempe *traditionem Judaeorum*, *comparationem linguae cum semetipsa* et *cum aliis linguis*, atque *philosophiam*.

Et sane, quia lingua hebraica, licet tribus circiter saeculis ante Christum emortua et testimoniis ipsis e tempore, quo adhuc vigebat, petitis (si scriptores sacros excipias) destituta sit, nequaquam ita periit, ut docti Judaeorum magistri eam in scholis ac scriptis suis posteros non docuerint; nec minus in ipsius linguae reliquiis, quas sacer codex concludit, ea, quae traditio incerta aut obscura reliquit, cum certioribus et clarioribus collata determinantur, confirmantur et illustrantur; insuper dialectus hebraica non solitaria sed cum tota Semitismi familia in proximae cognationis connexione existit, imo cum aliis quoque veterum linguarum stirpibus aliquo necessitudinis vinculo conjungitur ita, ut ei etiam inde lumen accendatur; denique propterea, quod nulla disciplina philosophiae adjumento carere potest: ex rei natura perspicitur, linguae hebraicae investigatores non immerito e principiis commemoratis studiorum suorum praesidia requisivisse. Id vero jure eis vitio vertitur, quod in usu illorum justum non retinuerint modum. Unum semper neglectis reliquis praevaluit, velut traditio in synagoga tempore talmudico, et in Ecclesia omnino usque ad saeculum XVII.[1]); post eam comparatio linguae hebraicae modo cum semetipsa modo cum aliis linguis; denique philosophia, quae spreta Judaeorum traditione, minoris etiam facto altero cognoscendi principio, adhibito rationis lumine in arcanam linguae fabricam penetrare studuit, quem philosophiae usum non improbare non possumus. Quas enim notiones vocibus et dictionibus subesse linguae hebraicae auctores voluerint, non a priori, ut dicunt, sed a posteriori licet cognoscere, quare philosophia germanum usus loquendi hebraici fontem nequaquam resignat, verum in eo investigando pro necessario subsidio est habenda, quo caeterorum principiorum usus regatur et illustretur[2]).

Quae cum ita sint, hoc loco *de traditione Judaeorum* atque *de linguae hebraicae ipsius comparatione cum semetipsa* et *cum linguis cognatis* singillatim agendum atque ostendendum erit, quomodo his fontibus traditionalibus et philologicis legitime, hoc est, naturae rei et sanae rationi convenienter utendum sit.

[1]) Doctores Ecclesiae primis post apostolicum tempus saeculis cognitionem, quam habebant linguae hebraicae non absque gravi difficultate plurimisque

laboribus e Judaeorum scholis hauserunt. Optime hac de re promeruerunt Origenes et Hieronymus, qui admirabili cum industria studiorum hebraicorum in Ecclesia fundamenta jecerunt, licet fatendum sit, haec studia in Ecclesia usque ad saeculum XVII. ultra cognitionem sermonis hebraici talmudicam, ex traditione synagogali fere unice haustam, eamque utique imperfectam, vix esse progressa.

[3]) Saeculo XVII. dialecti semiticae et quae praeterea linguarum orientalium catholicae Ecclesiae missionibus innotuerunt, sedulo pervestigari et, ut jam antea graeca et latina, cum Hebraismo conferri coeperunt. Qua ex collatione profecta primum occurrunt *opera harmonica*, inter quae caeteris praeferenda sunt: Val. Schindler, Lexicon pentaglotton. Hanov. 1612. 49. et saepius recusum, praeprimis vero Edm. Castelli Lexicon heptaglotton. Lond. 1669; porro grammaticae sequentes: Lud. de Dieu, Grammatica linguarum orientatium etc. Lugd. Bat. 1624. J. N. Hottinger, Grammatica quatuor linguarum hebr. chald. syr. et arab. harmonica. Tigur. 1649. et aliae. In quibus scriptis linguae dialectis semiticis plane diversae, uti persica, adjungi solent, et traditione Judaeorum neglecta comparatio solummodo externa, conjecturis ex sonorum formarumque aequalitate vel significationum similitudine petitis innixa, nullasque ad leges directa, exhibetur. Post auctores commemoratos exstiterunt alii, qui praeter institutionem Judaeorum etiam dialectorum versionumque antiquarum collationem detrectarunt, contendentes, linguam sanctam instar solis in semetipsa tantum habere lucis, ut lumine alieno non indigeat. Inter eos praecipue Jac. Gussetius (in Commentariis linguae hebraicae, Amstelod. 1702. Lips. 1743.) linguam hebraicam ex semetipsa (contextu et locis parallelis, nec non diligenti anologiae hebraicae observatione) enodare studuit. Casp. Neumann vero (quo auctore prodierunt: Genesis linguae sanctae V. T. Norimb. 1696, Exodus linguae sanctae 1697—1700, Clavis domus Heber. P. I—III. 1712—15.) et Valent. Loescher (De causis linguae hebraeae, Francof. et Lips. 1706.) pariter comparationem linguae interiorem et etymologicam sectati statuerunt, radices hebraicas esse duarum literarum, quas ille *characteres significationis*, hic *semina vocum* appellavit, atque earum significationem primaevam ex vi singularum literarum *nativa* (a Neumanno *hieroglyphica* seu *symbolica*, a Loeschero *valor logicus* dicta) esse eruendam. Arbitrariis hisce et vere ridiculis explicationibus veteris Hebraismi, quae tamen id meriti habuerunt, quod comparationem linguae hebraicae cum semetipsa, quae recte ejus indagandae efficacissimum censetur subsidium, his primis periculis maturaverunt, successit Schola belgica, cujus auctor est Alb. Schultensius, qui in scriptis suis philologicis, quorum praecipua sunt: Institutiones ad fundamenta linguae hebraicae. Lugd. Bat. 1737. et Origines hebraeae, P. I. 1723. P. II. 1737. edit. II. 1761.) comparationem interiorem et traditionem synagogalem vehementer impugnavit, eique comparationem dialectorum substituit. Equidem Schultensio studium linguae hebraicae *comparativum*, quod ab harmonico superioris aetatis mul-

tum differt, acceptum referimus; cum vero non rite fuisset temparatum, gravium exstitit causa errorum. Etenim in conferendis dialectis chaldaicam plane neglexit, arabicam vero adeo adamavit, ut eam etiam linguae hebraicae praeponeret, et passim vocabulis hebraicis nulla contextus et proprii usus hebraici ratione habita significationes arabicas obtruderet, quo factum est, ut plurimae coactae ac longe quaesitae, arbitrariae, imo et prorsus ineptae explicationes prodirent. Errores magistri plures discipulorum adhuc mirum in modum auxerunt.

Nostra aetate exstiterunt Guil. Gesenius, Henr. Ewald et Herm. Hupfeld, quorum primum *Scholae empiricae*, alterum *rationalis* auctorem dicunt, tertius *historicis* suis disquisitionibus de lingua et scriptura hebraica institutis merito iis adnumeratur, qui de linguae hebraicae studio praeclare meriti sunt, nec non melius aliquatenus subsidiorum, quae prostant, temperamentum consectantes, quamvis arabicae dialecti in dispendium caeterarum linguarum adhuc observantiores et traditionis negligentiores reperiuntur.

Gesenius imprimis, licet in copiosis ipsius scriptis philologicis methodum empiricam, cui jam Severinus Vater nonnihil studuit, praevalentem conspicias, grammaticam tamen planissime explicuit, cujus usum copiosissimum et summe proficuum ex serie illa editionum, qua inclaruit, intelligere licet; in lexicographia primus exorbitantem Arabismi usum praecedentis aetatis ad justos limites revocare conatus, sobriam linguarum cognatarum collationem invexit. Et quamvis traditionis justam rationem in prioribus saltem scriptis non habuisset, ex libris grammaticis Judaeorum tamen multa magna cum utilitate in rem suam convertit; inprimis vero id, quod in lexicographia semitica summi est momenti, etymologiae et etymologicis derivationibus studium suum consecravit.

Ewaldus, scholae empiricae gravis adversarius, literarum hebraicarum studium eo plurimum promovit, quod primus grammaticam hebraicam, legibus ejus ex natura linguae studiose inquisita derivatis, scientia comprehendit. Ast quia traditione synagogali neglecta missisque iis, quae veteres elaborarunt, linguam potissimum ex semetipsa, solo rationis lumine adhibito, explicare conatur, in re historica philosophiae nimium indulsisse carpitur.

Hupfeldius tandem comparationi linguarum majorem fidem conciliaturus doctrinam de literis earumque sonis diligentius disquisivit (in Exercitationibus Aethiopicis), et laboribus tum Neumanni et Loescheri tum Schultensii rite ponderatis ac aestimatis *japeticarum* quoque linguarum analogiam, religiose servata dialecti cujusque et universi semitici generis proprietate, consulendam esse pronuntiavit; de radicibus tamen praeter plura vera atque utilia etiam talia praecepit, quae minus firma et secura reperiuntur, neque omnia, quae de literarum hebraicarum historia, aetate et forma scripsit, adprobanda esse videntur. Conf. Hupfeld, De emendanda lexicographiae semiticae ratione commentatio. Marb. 1827. et quae ab eo conscripta leguntur in opere: Studien und Kritiken, Ueber Theorie und

Geschichte der hebr. Grammatik. Jahrg. 1828. p. 546—563. Jahrg. 1830. p. 783—817.

Tali ratione per diversas aetates ad nostrum usque aevum nihil non expertum aut non tentatum fuit, quod ad investigandam linguae hebraicae indolem pertineret. Cum vero inventis subsidiis necessaria conjunctio justaque temperatio deesset, factum est, ut eorum usus cum erroribus nullo non tempore plus minusve consociatus esset. Huic defectui mederi conatur Schola, quae vocatur *historice analytica*, cujus auctor, qui recentissime prodiit, Julius Fürst habetur. Ea enim, si credimus Delitzschio, discipulo illius, non solum traditionem neglectam instaurat, et linguam hebraicam cum semetipsa ac cum dialectis cognatis et caeteris linguis, in quibus Sanscritae palmam dat, comparat, sed etiam haec subsidia proportione ita conjungit, ut eorum necessitudine consensus concentusque efficiatur ad hebraicam linguam investigandam fructuosissimus. Conf. שְׂפַת יְשׁוּרוּן sive Isagoge in Grammaticam et Lexicographiam linguae hebraicae, auctore Franc. Delitzschio. Grimmae 1838. p. 32—40, ubi simul uberiorem systematis, quo haec schola utitur, expositionem habes. — Equidem minime negandum est, linguae hebraicae fontes ac subsidia a Fürstio singulari eruditione et industria disquiri et comparari, temere tamen omnes radices verbales monosyllabas statuit, et audacior est in conferendo Hebraismo cum Sanscritismo. Cujus rei exempla plurima invenies in scriptis Fürstii, quae sunt: Systema linguae chaldaicae (Lips. 1835), חֲרוּזֵי פְנִינִים sive Chrestomathia aramaica (1836), et Concordantiae hebraicae et chaldaicae (1837—1840), nec non in Delitzschii opere supra laudato, praesertim libro III. p. 111 seq.

I. TRADITIO JUDAEORUM.

§. 34. Ejus notio et auctoritas.

Traditionis nomine hoc loco complectimur, quidquid in rebus lexicalibus et grammaticis eruditione ac disciplina antiquitatis hebraici sermonis gnarae vel viva voce vel scriptis ad nos delatum accepimus. Equidem, ut monuimus (§. 27.), lingua hebraica emortua est, ita quidem, ut post exilium sensim sensimque primum ex ore populi, dein tribus circiter saeculis ante Christum ex scriptis quoque eruditorum dilaberetur; verumtamen nunquam ita periit, ut in doctis Judaeorum scholis non conservaretur. Et licet hujus traditionis scholaris fontes scripti adhuc superstites ex parte saltem a vita linguae remotiores sint, ipsa tamen sermonis hebraici notitia inter praeceptores Judaeorum propagata, cum ad cultum divinum et lectionem codicis

sacri nunquam non necessaria fuisset, haud dubie a tempore descendit, quo lingua adhuc vivebat, primum quidem solum viva voce in scholis tradita, postea vero etiam in diversi generis scriptis deposita et pedetentim magis exculta. Neque haec traditio inter synagogae parietes reclusa mansit, sed mox in primis aevi christiani saeculis etiam ad Ecclesiam emanavit. Origenem enim et praesertim Hieronymum literarum hebraicarum studio caeteris Patribus omnibus longe superiores, ejusque primos in Ecclesia christiana suffragatores, linguae V. T. quam habebant, cognitionem Judaeis Palaestinensibus acceptam referre, notum est (Conf. §. 33. not. 1.). Cum vero ea sit, quam diximus, hujus traditionis origo ac derivatio, intelligitur, ei merito fidem adhibendam esse, nisi contra fontes, per quos ad nos demanavit, justa exceptio locum habeat.

§. 35. Traditionis hujus fontes.

Fontes vero traditionis hujus philologicae, qui nobis patent, sicut alii testes, qui fidem mereantur, dexteritate et sinceritate commendentur, necesse est.

Priorem virtutem quod attinet, nonnulli horum fontium parum distant ab aetate, qua lingua hebraica, si non in ore populi, in scriptis saltem eruditorum adhuc vivebat, ita ut ex iis traditionem fere immediatam ac satis puram haurire liceat. Aliud pondus illis accedit, quod eorum auctores plerumque unius alteriusve dialecti cognatae plus minusve periti fuerunt, quae peritia ipsis in rite perspiciendis et constituendis significationibus hebraicis adjumentum praebuit. Ubi vero cum his praerogativis simul rectum et exercitatum judicium conjungunt, a partium studio et a recentioris aevi opinionibus liberi sunt, neque ulla certa suspicio adesse potest, eos non sat fideliter versatos esse aut conjecturis indulsisse. Quodsi fontes, qui alias diversam directionem sequuntur, uti e. g. Palaestinenses et Alexandrini, in determinandis vocum ac phrasium significationibus consentiunt, constantis traditionis testimonium habetur.

Ad primarios traditionis Judaeorum fontes in specie referimus: *antiquas versiones*, *codices talmudicos et midraschicos*,

libros grammaticorum et exegetarum, denique *Masoram*, de quibus jam singillatim agemus *).

*) Equidem etiam Patres, uti Origenes et praesertim Hieronymus, nobis multas egregias hebraicorum explicationes servaverunt; cum vero suam hujus rei cognitionem ex traditione synagogali traxerint, eos hoc loco, ubi solum fontes primarios recensemus, praetermittimus. Conf. §. 34.

§. 36.

a) *Antiquae versiones.*

Judaeorum traditionem primum complectuntur antiquae versiones, inter quas hoc loco solum *immediatas*, non autem mediatas, in censum venire posse, ex natura rei intelligitur. Interpretes enim, qui versionem aliquam V. T. in idioma suae gentis transtulerunt non inspecto iterum textu hebraico, pro usu loquendi hebraico testimonium dicere nequeunt. Inter translationes vero immediatas versionem *Alexandrinam*, etiam versionem LXX interpretum vel τῶν ό dictam, caeteris praeferimus, quia ad tempus vivae linguae proxime accedit, et quoad primas partes suas, puta libros Mosis, qui sub Ptolomaeo Lagi translati creduntur, fere cum illo coincidit; quapropter in ea multa prisca hebraica asservata esse, necesse est.

Et sane antiquorum traditione consulta interpretes plurima, eaque ἅπαξ λεγόμενα, rariora atque abstrusa egregie reddidisse inveniuntur [1]). Quodsi haud paucis hebraicis significationes vindicarunt, quae nunc in Hebraismo antiquiori non amplius, sed solum in dialectis cognatis reperiuntur, credendum est, translatores illas dialectos sibi notas usurpasse, quod quantum ad aramaicam et neohebraicam sat probabile est, vel eas significationes olim etiam in hebraico usitatas ipsis aliunde innotuisse [2]). Varii translationis errores partim ex oscitantia et tenuiori linguae hebraicae (etymologiae praesertim, orthographiae et grammaticae) notitia, partim ex nimia in vertendo libertate descendunt [3]). Caeterum indoles translationis in diversis libris multum discrepat, eo ipso diversos translatores manifestans. Versio Pentateuchi caeteras fide et elegantia superat; ad eam proxime accedit illa Proverbiorum; interpres Ecclesiastis servili translatione se distinguit; Psalmorum vero ac Prophetarum interpretatio caeteris omnibus deterior est. Linguam quod attinet, dialecto, ut vocant, hellenistica, generatim multum hebrais-

sante, utuntur omnes versores, utpote non Graeci, sed Judaei graece loquentes [4]).

Cum interpretatione Alexandrina conjungimus fragmenta graeca Aquilae, Symmachi, Theodotionis, et *caeterarum versionum hexaplarium*, quae ex textu hebraico depromta tropos et imagines archetypi retinent. Aquila nominatim literam adeo presse sequitur, ut non modo etymologiam verborum exprimat, sed etiam particulas reddat, quibus in graeco nihil respondet; Symmachus contra non verbum e verbo, sed sensum e sensu transfert, et Theodotion inter servilem Aquilae et liberiorem Symmachi translationem fere medium locum tenet, maximam partem interpretandi rationem Alexandrinorum secutus. Versiones V. VI. et VII., ex quibus paucissima tantum supersunt, vix alicujus sunt usus [5]).

Versionibus graecis proxime accedunt *Paraphrases chaldaicae, Targumim* dictae, quarum primas partes tempore Christi jam exstitisse, satis certa est opinio. Paraphrastae quidem, praesertim recentiores, digressionibus et commentis allegoricis et cabbalisticis redundantes, et genio atque opinionibus popularium indulgentes, libera et arbitraria interpretendi ratione Alexandrinos adhuc superant, traditionem tamen in definiendis hebraicis fideliter servant. Targum Onkelosi in Pentateuchum quoad linguam et interpretationem caeteris longe praestat, ad quod proxime accedit Targum Jonathanis, filii Uzielis, in Prophetas [6]).

Post eas scrutatori linguae hebraicae adhuc commendari merentur versio latina *Vulgata* et syriaca *Peschito*, quarum utraque antiquissima, et prior quidem a s. Hieronymo, ob diuturnam cum Judaeis familiaritatem Hebraismi peritissimo, posterior vero ab auctore confecta est, cui linguae syriacae, quae hebraicae orationi cognatione est conjuncta, notitia praecipuo adjumento fuit [7]).

Reliquas versiones A. T. uti *Samaritanam, Persicam, Arabicas* et *Graecam Venetam*, cum partim recentiores sint, partim antiquiores interpretes sequantur, vel ad eos sint refectae, proin ad fontes secundarios potius referendae, hoc loco nominasse sufficiat.

[1]) Ejusmodi lexica meliora exhibent plurima, e. g. sub lit. א: אֵיל (Genes. XIV, 6.) et אֵלָה (Genes. XXXV, 4. Jud. VI. 19.) *terebinthus;* אָמָן (Cant. VII. 2.) τεχνίτης *artifex;* אַשְׁפּוֹת (Ps. CXIII, 7. Neh. II, 13. III, 13. 14. XII, 31.) κοπρία, *sterquilinium*, etc. etc.

[2]) Significationes *aramaicae* habentur: Ps. LX, 10. סִיר רַחְצִי (*olla lotionis*

meae), quod LXX, reddunt: λέβης τῆς ἐλπίδος μυ, respicientes chald. רְחַץ *speravit* (Dan. III, 28.); Jes. LIII, 10. דַּכְּאוֹ *(conterere eum)* καθαρίσαι αὐτόν coll. דְּכָא = זְכָה *purus fuit*, etc. Ad *neohebraica* refertur: Ps. LV, 15. רֶגֶשׁ *(turba cum strepitu concurrens)*, quod Alexandrini ὁμόνοια (=לֵב Ps. LXXXIII. 6.) vertunt, non aramaicum רְגַשׁ *cum strepitu cucurrit*, sed neohebraica הִרְגִּישׁ, הֶרְגֵּשׁ, הַרְגָּשָׁה *sentire, sensus*, in mente habentes.

[8]) Vitia versionis Alexandrinae, quae partim ex inadvertentia ac tenuiori hebraicorum cognitione, partim ex liberiori vertendi ratione profecta sunt, hoc loco paucis tantum exemplis illustrare juvat, licet ingens eorum copia non deesset.

Primum genus quod attinet, hallucinati sunt Alexandrini modo *permutatione similium literarum ac vocum*, uti Esth. VII, 4. לְאַבֵּד *ad interitum*, quod reddunt εἰς δυλείαν haud dubie laudatam vocem permutantes cum לַעֲבֹד, et Levit. XIX. 26. לֹא תֹאכְלוּ עַל־הַדָּם *non comedetis cum sanguine*, ubi vertentes μὴ ἔσθετε ἐπὶ τῶν ὀρέων, haud dubie particula עַל decepti tam longe a vero sensu aberrarunt, quam proclive esset, pro עַל־הַדָּם legere aut עַל־הָרָם *super alto*, aut עַל־הָרִים *super montibus*; modo *perversa punctatione*, inde facile orta, quod codices punctis vocalibus destituti erant. Ita Ps. LXXVIII, 69. וַיִּבֶן כְּמוֹ־רָמִים מִקְדָּשׁוֹ *et aedificavit sanctuarium suum sicut excelsa* (munitiones in monte positas), LXX vertunt: καὶ ᾠκοδόμησεν ὡς μονοκερώτον (Vulg. *sicut unicornium*) τό ἁγίασμα αὐτοῦ, haud dubie punctaturi רֵמִים. *Ignorantiae hebraicorum* adscribendae sunt interpretationes, quibus nomina propria locorum per appellativa, et vice versa nomina appellativa non bene intellecta per nomina propria transferuntur. Ejusmodi est Exod. XIV, 2. לִפְנֵי פִּי הַחִירֹת, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, pro qua translatione, Num. XXXIII, 7. τὸ ςόμα ’Ειρὼθ legitur. Mira plane inconstantia in translatione nominis proprii תַּרְשִׁישׁ cernitur, si Jes. XXIII, 1. 10. 14. Ezech. XXVII, 12. XXXVIII, 13. cum Jes. II, 16. LX. 9. confertur. Contra Deut. XXXIII, 2. קֹדֶשׁ *sanctitas* per Κάδης transfertur. Cujus generis plurima invenies.

Quod dein ad licentias spectat, quas in interpretando sibi sumsere LXX, modo *perspicuitatis causa* vel breves explicationes inserunt, e. g. Jes. I, 21. קִרְיָה נֶאֱמָנָה πόλις πιςὴ (Σιὼν), conf. ibid. IV, 4. XLII, 1., vel tropos audaciores fugiunt, e. g. dum Exod. VI, 12. עֲרַל שְׂפָתַיִם *praeputiatus labiis* ἄλογος, et ibidem v. 30. ἰσχνόφωνος vertunt; modo *studio philosophiae ac theologiae suae aetatis* ducti vel opiniones adamatas exprimunt, e. g. Deut. XXXII, 8. Ἔςησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν (בְּנֵי יִשְׂרָאֵל) ἀγγέλων Θεῦ, conf. ibid. XXXIII, 2. vel minus placentes removent, quo spectat translatio, Num. XII, 8. qua, veriti de Deo anthropopathice vel anthropomorphitice loqui, verba, quae de Mose leguntur: יְהוָה יַבִּיט, reddunt: τὴν δόξαν κυρίυ εἶδε, conf. Genes. VI. 6. Exod. XXXII, 12; modo desertis dictionum hebraicarum vestigiis propius ad communem Graecorum loquendi rationem accedere, et stylum rei accomodare satagunt. Sic Genes. XLV, 18. trasferunt: φάγεσθε τὸν μυελὸν τῆς γῆς, mutato tropo hebraico חֵלֶב

adeps in graecum *μύελος* *medulla*, quae in ossibus est, et Exod. XVIII, 7. hebraica: וַיִּשְׁאֲלוּ אִישׁ לְרֵעֵהוּ לְשָׁלוֹם bene graece reddunt: *καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους*. Generatim orationem, ut videtur, graecis ingeniis jucundiorem in Pentateucho, ubi res in Aegypto gestae narrantur (Geneseos extr. et Exodi initio), atque in gravissimis Mosis morituri exhortationibus sectantur. Omnium vero maxime graecitatis elegantioris ab imitatione textus hebraici discedentis studium produnt in narrationibus colloquiorum formulae, e. g. Genes. XXIX, 16. XXXI, 35. XLIII, 27. — Caeterum de vitiis versionis Alexandrinae ad certa quaedam capita revocatis, et ex fontibus, e quibus manarunt, deductis, accuratissime egit J. Theoph. Carpzovius in Critica sacra V. T. Lips. 1728. p. 513 sqq.

[4]) De translatione librorum Mosis jam Hieronymus (Praef. ad quaest. in Genes.) scripsit: „Quos nos quoque plus quam caeteros profitemur consonare cum hebraicis."

[5]) Quantopere caeteri interpretes graeci tropis et imaginibus textus hebraei adhaereant, perspicue docet locus Ps. XC, 2. בְּטֶרֶם הָרִים יֻלָּדוּ *antequam montes conditi sunt*, quem Aquila ad verbum reddit: — — *ἐτέχθησαν partu editi sunt*. Confer etiam Jes. I, 25. כָּל־בְּדִילָיִךְ *omne stannum tuum*, ubi tropum ab Alexandrinis, qui reddunt: *πάντας ἀνόμους*, remotum, Aquila, Symmachus et Theodotion retinent, vertentes: *κασσίτερον σοῦ*. Quam serviliter Aquila generatim literam sequatur, primus statim Geneseos versus specimen praebet: *Ἐν κεφαλαίῳ ἐκτίσεν ὁ Θεός σὺν τὸν ὀυρανὸν καί σὺν τὴν γήν*. Liberioris translationis Symmahi exemplum habes Exod. XIX, 5. Deut. VII, 6. XIV, 2. XXVI, 18. ubi dictionem עַם סְגֻלָּה *gens peculii*, quod Alexandrini vertunt: *λαός περιούσιος*, quoad sensum bene graece reddit: *λαός ἐξάιρετος* *gens electa*.

Ad studium omnium versionum hexaplarium ratione lexicali inprimis commendari meretur J. Fr. Schleusner, Novus thesaurus philologico-criticus, seu lexicon in LXX et reliquos interpretes graecos et scriptores apocryphos. V. T. Lips. 1821.

[6]) Onkelosus, cujus translatio simplex et accurata utitur lingua ad Chaldaismum biblicum multum accedente, saepius difficiliora commode interpretatur, e. g. Gen. XV, 2. בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי per verba בַּר פַּרְנָסָא הָדֵין דִּבְבֵיתִי *filius gubernatoris hujus, qui domi meae;* alia clariora reddit, e. g. ibid. v. 4. יֵצֵא מִמֵּעֶיךָ per בַּר דְּתוֹלִיד.

Jonathan praeter multa accurate translata in libris praesertim Josua, Judicum, Samuelis et Regum iisdem fere interpretandi libertatibus utitur, quas apud Alexandrinos notavimus. Ejusmodi libertates sunt, dum Jes. I, 6. verba: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*, interpretatur: *A plebe usque ad principem nemo perfectus est in timore Dei;* dum ibid. I, 8. ad verba: *sicut tabernaculum in vinea*, addit: *post vindemiam;* dum ibid. II, 13 sqq. expressiones tropicas: *cedros et quercus* per *potentes, muros et turres* per *incolas turrium atque munitionum*, porro *naves* per *mercatores navigantes* explicat, et quae sunt alia hujusmodi. Neque desunt multa, quae rabbinica sapiunt.

Reliqua Targumim recentioris aetatis tot digressionibus et interpretamentis allegoricis scatent, ut fere nullius sint usus exegetici. — Ad studium paraphrasium istarum praeprimis commendari meretur Jo. Buxtorfii lexicon chaldaicum talmudicum, et rabbinicum. Basileae 1639.

7) Versionis Vulgatae, quoad A. T. maximam partem a s. Hieronymo ex idiomate hebraico in latinum traductae, quam jam antiquiores Ecclesiae catholicae doctores, uti Isidorus Hispalensis (De offic. eccles. L. I. c. 12.), Rabanus Maurus (De instit. cleric. II. 54.) et alii tanquam veraciorem in sententiis et clariorem in verbis laudibus celebrarunt, auctoritatem recentiori aevo ne Protestantium quidem theologi caeteris aequiores negligendam esse censuerunt. Vide P. Fagium (Vers. lat. paraphr. chald. c. 4.), H. Grotium (Praef. ad annott. in V. T.), J. Fr. Fischerum (Prolusio III.), et praecipue J. Davidem Michaëlis (in Supplem. ad lexicon hebr. P. III. p. 992. in Bibliotheca orient. T. XXI. Nro. 34. et in opere: Beurtheilung der Mittel, die ausgestorbene hebräische Sprache zu erlernen. p. 124.), qui eam ob antiquitatem, fidem et translatoris eruditionem magni fecerunt. Et sane ἅπαξ λεγόμενα, rariora ac difficiliora saepius a Vulgato egregie reddita reperiuntur. Talia sunt: Jes. III, 23. גִּלְיוֹנִים *specula*; porro ibid. V, 2. 4. בְּאֻשִׁים *labruscae* (uvae agrestes, viles) et ibid. XI, 8. מְאוּרָה *caverna*, quae interpretationes in priori loco per oppositum עֲנָבִים *uvae* (nobiles, bonae), in posteriori per synonymum חֹר *foramen*, *fovea* commendantur. In aliis contra nonnisi accuratior linguae latinae cognitio requiritur, ut recte reddita esse intelligantur. Sic si Job. XVIII, 8. שְׂבָכָה *macula* vertitur, scias oportet, maculam etiam pro *foramine retis* et pro *ipso reti* poni (conf. Calepini lexicon septem linguarum, ad hanc vocem), et cognosces, nomen illud recte, et collato contextu optime translatum esse.

Quodsi haud raro constructiones Vulgatae ad indolem linguae latinae relatae minus convenientes atque obscurae videntur, ad leges tamen linguae alterius, puta graecae, cujus gnarus fuerat translator, exactae planae reperiuntur. Sic e. g. si Ps. XXII, 31. cogitaveris interpretem ad verba יְסֻפַּר לַאדֹנָי לַדּוֹר *(annuntiabitur Domino generatio ventura)* constructionem verbi graeci ἀναγγελήσεται spectasse, sensus translationis hebraicorum planus hic erit: *Narrabitur de Domino ad generationem* (venturam). — Plura hujus generis pro usu exegetico Vulgatae lege in R. Bellarmini Comment. in omnes Psalmos. Venet. 1628, in Jo. de Pineda Comment. in Jobum. Col. Agripp. 1600, in Alb. Schultensii lib. Job. et Proverb. cum commentario, Lugd. Bat. 1737. 1748. et in W. Gesenii Commentar über den Jesaia. Leipz. 1820.

Nec omnia tamen hebraica V. T. in Vulgata exacte translata reperiri, exinde facile intelligitur, quod primum s. Hieronymus ipse fatetur, se properanter vertisse, seque, ne nimia novitate lectores offenderet, antiquiores hinc inde secutum esse interpretes graecos, etsi eos negligentiores cognovisset (Hieronymi praefationes in libros Salom., in Tobiam, in Pentateuchum et in Comment. in Eccles.); dein Cardinalis Bellarmi-

nus, qui emendationi Vulgatae sub Clemente VIII. interfuit, in epistola ad Lucam Brugensem scribit, „Biblia Vulgata non esse accuratissime castigata, multa enim a correctoribus de industria multis ex causis esse praetermissa, quae corrigenda viderentur". Conf. etiam Praef. ad editionem Clementinam.

Quod versionem syriacam Peschito attinet, ea ex textu hebraico translata generatim eruditione, perspicuitate et fide commendatur. Singillatim etiam ipsa haud raro ἅπαξ λεγόμενα, rariora et difficiliora rectissime transfert, e. g. Hos. VI, 8. עֲקֻבָּה per ܡܥܩܒܬܐ *aspersa, contaminata*, ibid. X, 7. קֶצֶף per ܓܠܐ *festuca*, ibidem XI, 3. תִּרְגַּלְתִּי per ܕܒܪܬ *duxi*. Nonnumquam obscuriora ad sensum bene explanat. Sic. e. g. Num. XXIV, 4. נֹפֵל apte exprimitur per ܡܢ ܣܓܕ ܘܢܦܠ ܥܝܢܘܗܝ ܡܬܦܬܚܢ *cum adorans procidit, ipsi oculi* (spiritus) *aperiuntur*; loco vexato Jes. X, 27. וְחֻבַּל עֹל מִפְּנֵי שָׁמֶן accommodatissimus sensus tribuitur per ܢܬܒܣܪ ܢܝܪܐ ܡܢ ܩܕܡ ܬܘܪܐ ܫܡܝܢܐ *confringitur jugum a tauris pinguibus*, i. e. res Israelitarum, postquam favorem divinum recuperaverint, ad tantam prosperitatem evehentur, ut forti animo jugum servitutis excutiant. Simili modo sensum Hos. IV, 16. (כִּי כְּפָרָה סֹרֵרָה סָרַר יִשְׂרָאֵל *sicut juvenca refractaria refractarius est Israel*) aliorumque difficiliorum locorum Syrus eloquitur. Occurrunt tamen etiam loci, in quibus translatoris ipsius opiniones vim habuisse observantur, e. g. Jud. XIII, 19. ubi Syrus verba: וּמַפְלִא לַעֲשׂוֹת *et egit mirabiliter*, i. e. *miraculum patravit*, reddit: ܘܡܫܒܚ ܗܘܐ ܠܡܪܝܐ *et celebravit Deum*. Alia menda, uti permutationes verborum similium, e. g. Genes. III, 10. וָאִירָא, quod redditur ܘܚܙܝܬ *et vidi*, additamenta atque ommissiones saepius recurrunt.

§. 37. Cautiones in versionum usu observandae.

Ad usum versionum antiquarum pro interpretatione V. T., de qua hoc loco sermo est, moderandum requiritur:

1. Ut versionem, qua uteris, bene cognoscas, et probe scias, quid translator expressionibus, quas hebraicis substituit, ubique indicare voluerit. Qua in re eo majori attentione opus erit, quo minus subsidia, quae ad hunc finem praesto sunt, ad perfectionem sint perducta. Neque generalis tantum versionis, quam consulis, cognitio sufficit, sed peculiarem ejus indolem totam quantam tibi familiarem reddas, necesse est, ne singularibus, quibus forte regitur, interpretandi rationibus offendaris [1]), ejusque suffragio minus tuto confidere valeas.

2. Caveas tibi, ne incertas vel omnino manifeste pravas interpretationes verborum hebraicorum, quas non paucas esse ex

dictis (§. 36. nott.) intelligitur, sequaris. Quodsi in dijudicandis ac usurpandis veterum translationibus minus provide versatus fueris, non poterit fieri, quin conjecturas ex contextu derivatas pro testimoniis antiquitatis, et arbitrarias atque studio translatorum debitas interpretationes pro priscis hebraicis, paucis incerta pro certis, falsa pro veris habeas.

3. Denique videas, num idem, qui nobis, antiquis interpretibus ante oculos versatus fuerit textus hebraicus, et num nos etiam genuina adhuc versionis lectione gaudeamus, quia secus fieret, ut voci alicui vel dictioni hebraicae significatio tribuatur, tanquam auctoritate nixa antiquae versionis, qua tamen prorsus est destituta [2]).

[1]) Sic non miraberis, Mal. I, 1. nomen proprium מַלְאָכִי a Jonathane reddi: *Legatus meus*, si noveris, ab hoc paraphrasta nomina propria passim ita tractari, uti Jes. VII, 6. etc.

[2]) Textum hebraicum jam tempore, quo versiones ex eo manarunt, plures lectionis varietates exhibuisse, et dein has versiones omnes per decursum temporis plurimas plus minusve graves mutationes subiisse, notum est. Conf. Ackermann, Introduct. in libros V. T. Vienn. 1825. P. I. Cap. III. VI.

§. 38.

b) *Codices talmudici et midraschici.*

Judaeorum traditio porro comprehenditur utroque Talmude, *palaestinensi* nempe et *babylonico*, atque Midraschim, quo nomine veniunt allegoricae Judaeorum s. codicis expositiones, quarum magna pars prodiit [1]). Haec volumina oratione, quae ex lingua aramaica et neohebraica coaluit, exarata sub allegoricis, imo et mythicis digressionibus ac ineptiis omnis generis plura, quae ad lexicalem, et nonnulla etiam, quae ad grammaticum linguae s. Scripturae hebraicae usum conferunt, admixta habent. Praesertim prior Talmudis pars, Mischna dicta, ad nostram rem facit, utpote quae, licet demum inde ab anno 150. usque ad annum 203. post Christum collecta et in ordinem redacta credatur, fragmenta complectitur, certe ante Christum a doctoribus Judaeorum elucubrata, et propterea aetate atque lingua recentioribus canonis V. T. libris propius accedens haud dubie plura prisci Hebraismi conservata exhibet. Posterior pars, quae Gemara i. e. commentarius prioris appellata, saeculo V. ad finem vergente ad exitum perducta est, sermone conscripta

deprehenditur impuriori et exoticis permixto terminis, ita ut ratione lexicali nonnisi magna cum cautione sit consulenda; at tenuia quaedam legum grammaticarum vestigia, haud dubie non ab institutione, sed a sensu quodam nativo perquam subtili, derivanda prodit, ita ut doctores saeculorum sequentium, cum grammaticam excolere coepissent, prima hujus disciplinae initia ex ea praecipue traxisse videantur [2]).

[1]) Completam *Talmudis* descriptionem praeter alios exhibet Jo. Buxtorfius in recensione operis talmudici ad calcem libri de abbreviaturis hebraicis. Franequer. 1696, p. 232. 242 seq. Brevem ejus conspectum habes etiam in Loehnis, Hermeneutik und Kritik, p. 396 seq. — Allegoricae expositiones Judaeorum, Midraschim dictae, extant in plures libros sacros, velut *in legem* (מִדְרַשׁ הַתּוֹרָה), *in quinque libellos festivitatum* (מִדְרַשׁ חָמֵשׁ מְגִלּוֹת), *in Psalmos* (מִדְרַשׁ תְּהִלִּים) et in alios. Volumina talmudica et midraschica simul diligentissime recenset J. Chr. Wolfii Bibliotheca hebraea. Hamb. 1715.

[2]) Haud raro voces et significationes ἅπαξ λεγόμεναι aut rariores et difficiliores Talmudicis egregie definiuntur aut illustrantur aut confirmantur, e. g. אָבַס *saginavit* I. Reg. V, 3. Prov. XV, 17. coll. Schabbath, Cap. XXIV; גִּבְעֹל *flos lini* Exod. IX, 31. coll. Pharah, Cap. XI; חוֹב *debitum* Ezech. XVIII, 7. quo significatu etiam apud Talmudicos occurrit, Schabb. fol. 27, 2 et saepius; כָּפָה *suppressit*, Prov. XXI, 14. coll. Sanhed. fol. 107, 1. Similiter de אָפִיל *serotinus*, Exod. IX, 32. certos nos reddunt Talmudici, apud quos sibi opponuntur אֲפִילֵי et חֲרִפֵי, ita ut sint אֲפִילֵי *nubes serotinae*, quae post pluviam oriuntur, et חֲרִפֵי *nubes primores*, quae pluviam praecedunt, Taan. fol. 3, 2. coll. Baba metzia fol. 106, 2. Denique רָדָה *extraxit* Jud. XIV, 9. lucem accipit a רְדָה *panem extraxit ex furno*. Schabb. fol. 4, 1.

Quod exiguum usum grammaticum codicum Talmudicorum et Midraschicorum attinet, vide D. Luzzatto, Prolegomeni ad una Grammatica ragionata della lingua ebraica. Padova 1836. p. 11. I.

§. 39.

c) *Grammatici et exegetae Judaeorum.*

Libri grammaticorum et exegetarum tertium traditionis fontem constituunt, impurum tamen et turbatum. Etenim Judaeorum doctores inde a saeculo decimo Arabum aemulatione compulsi, sicut ad alias artes et doctrinas, ita et ad grammaticae studium, quod apud illos saeculo demum nono effloruerat, sese contulerunt. Hinc factum est, ut primum in doctrina de formis, dein etiam in lexicographia, magistros Arabes secuti multa antiquitatis sensui contraria ab illis mutuarentur [1]).

Non minus exegetae, praeterquam quod in plurimas rerum explicationes insulsas, maximam partem allegoricas et cabbalisticas, digrediantur, conjecturis indulgentes veterum traditionem frequenter deseruerunt [2]). Consulendi tamen sunt, quia cum indigenarum sensu peritiam dialectorum, aramaicae praesertim, et quae in hac elucubratae sunt, paraphrasium chaldaicarum et Talmudis, nec non arabicae, qua saltem antiquiores eorum vernacula utebantur, conjungunt, et saepius constantem quoque traditionem sequuntur [3]).

[1]) Celebriores grammatici sunt: Juda Chajug, qui circa annum 1040. floruit, et Jona ben Gannach, circa annum 1121. celebris, quorum manuscripta in bibliotheca Parisiensi et Oxoniensi asservantur; Moses Kimchi, qui saeculo XII. ad finem vergente scripsit breve compendium, ad opera recentiorum magis accedens, cujus editionem Pisauriensem plures aliae secutae sunt; David Kimchi, prioris frater, cujus opus grammaticum, מִכְלֹל dictum, Constantinopoli 1532 editum et saepius recusum, perspicuitate et apta methodo omnia scripta grammaticalia antecessorum superavit. Post eum nullus alius tantam nominis celebritatem sibi comparavit, quantam Elias Levita, Germanus († 1549), cujus opera praecipua sunt: *Grammatica* cum translatione *Münsteri*, Basil. 1525. et *Liber compositionis*, tractatus alphabeticus formarum anomalium, editus a *Münstero* 1536. cum versione *Semleri* 1772. etc.

Recensiti grammatici cum aliis ejusdem aetatis Judaeorum doctoribus etiam prima fundamenta *lexicographiae* jecerunt. Post tenuia Saadiae, Judae Chajug, Jonae ben Gannach et Judae ben Karisch, quorum manuscripta, quae voces difficiliores cum interpretatione arabica complectuntur, in bibliotheca Bodlejana Oxonii asservantur, lexica pleniora, quae omnes radic collectas exhibent, prodierunt a Menachen ben Saruk saeculo XI., cujus manuscriptum habetur in biblioth. Rom. Vienn. et Berol., dein a Salomone Parchon anno 1160, cujus lexici praestantis excerpta in lucem edita sunt a J. B. de Rossi, Parmae 1805, denique a D. Kimchi, qui etiam hac in re caeteris longe praeferendus est. Ejus lexicon (סֵפֶר שָׁרָשִׁים *liber radicum)* post plures editiones novissime typis vulgarunt Jo. H. R. Biesenthal et F. S. Lebrecht, Fasciculum I. Berolini 1838, Fascic. II. 1842. — Equidem grammaticam hebraicam recentiores Christianorum magistri ad longe altiorem culturae gradum evexerunt, attamen haud raro talia statuerunt, quae linguae hebraicae indoli minus conveniunt, quam antiquorum Judaeorum praecepta. Quapropter horum scripta, Davidis Kimchii praesertim et Eliae Levitae, pro studio grammatico adhuc non sine utilitate leguntur.

[2]) Alii Judaeorum doctores, מְפָרְשִׁים *exegetae* dicti, qui inde a saeculo XI. usque ad saeculum XVI. floruerunt, inter quos ex parte etiam laudati grammatici et lexicographi referendi sunt, explicationes vocabulorum bibli-

eorum in commentariis deposuerunt. Praecipui sunt: Salomo Jarchi, Aben Esra, David Kimchi, Tanchum Hierosolymitanus, Isaak Abarbanel et Salomo ben Melech. De eorum commentariis alibi sermo recurret.

[2]) Sic e. g. Jes. V, 2. 4. בְּאֻשִׁים a D. Kimchi de *uvis malis* (labruscis), Eccles. XII, 5. אֲבִיּוֹנָה ab Aben Esra de *concupiscentia carnali* seu *appetitu coëundi*, et Ps. LV, 23. יְהָבְךָ a Jarchi per *onus tuum* optime exponuntur. Conf. etiam Gesenii comment. in Jesaiam, praesertim pag. 119—127, ubi specimina tum bonae tum vitiosae interpretationis Judaeorum exhibentur.

§. 40.

d) *Masora.*

Denique fontibus traditionis judaicae circa usum loquendi hebraicum adjungimus *Masoram*, quae licet demum saeculo VI. a doctoribus Palaestinensibus, Tiberiensibus praesertim, in corpus redacta et subsequentibus adhuc saeculis aucta sit, quoad singulas tamen, quas complectitur observationes, est antiquissima. Equidem Masoretharum labor in eo potissimum versatur, ut textus codicis sacri minuta diligentia critice custodiatur; saepe tamen etiam notae admiscentur, quae ad grammaticam et lexicographiam pertinent, et, utpote ab auctoribus Palaestinensibus profectae, plurimum ponderis habent [1]). Ratione grammaticali manifestum est, Masorethas in negotio suo principia grammaticalia secutos esse, quae, cum tunc temporis in systema redacta nondum exstiterint, ab illis ex studio textus sacri abstracta fuisse existimantur. Quibus in dijudicandis et seligendis lectionibus magna quidem diligentia se conformarunt, quin tamen ad diversitatem auctoris et styli, atque ad orthographiae et grammaticae inconstantiam, quae in lingua viva esse solet, attenderent [2]).

[1]) Ejusmodi notae sunt, ubi nomina propria a verbis (ut יוֹסֵף) et sacra a profanis (ut אֵל) addita annotatione distinguunt, e. g. Genes. XXVI, 4. Buxtorf, Tiberias p. 248; vel ubi potestatem vocabulorum pro diversitate punctationis indicant, velut ad עֲרוּמִּים, Job. XV, 5. quo in loco observant, hoc ab עֲרוּמִּים, Job. XXII, 6. ob Dagesch ita discrepare, ut prius *nudos*, hoc *sapientes* significet, Buxtorf l. c. p. 285. et 237; vel denique ubi voces ac phrases rariores et obscuriores usitatioribus atque clarioribus explanant, veluti dum טְחוֹרִים *mariscae haemorrhoidales* ponunt secus Kri pro עֳפָלִים, Deut. XXVIII, 27. I. Sam. V, 6. 9. 12. aut אֱשׁוּן לַיְלָה *tempus noctis* pro אִישׁוֹן לַיְלָה *pupilla noctis*, Prov. XX, 20.

[2]) Sic Masorethae proprietate Pentateuchi, qua הוא et נַעַר pro utroque genere utitur, non observata, haec vocabula in feminino per הִיא et נַעֲרָה

commutant, et quae sunt alia hujusmodi. Caetera de Masora vide in Ackermann, Introd. in V. F. pag. 109 seq. et Herbst, Einleitung pag. 116 seq.

§. 41. Traditionis Judaeorum gravitas et utilitas.

Eam, quam hucusque descripsimus, traditionem cognitionis nostrae hebraicorum tum lexicalis tum grammaticalis fundamentum esse, ex dictis facile intelligitur. Etenim ex ipsa antiquitate, linguae hebraicae gnara, per fontes recensitos ad nos propagata (§§. 34—40) materiam subministrat, quam ad comparationis tum interioris tum dialectorum leges examinari ac perpendi oporteat, ita ut ad subsidia philologica non aliud pertineat, nisi traditionem, ubi obscura aut incerta fuerit, illustrare, dijudicare ac firmare, ubi nos destituerit, supplere [1]). Quae cum ita sint, adhuc quosdam casus speciales, in quibus linguae sacri codicis hebraicae investigator utilitatem traditionis singulari modo experitur, nominasse sufficiat:

1. Ejus ope ἅπαξ λεγόμενα et rariora, quae alias, ubi etiam contextus non succurrit, certo cognosci non possunt, plerumque egregie explicantur [2]);

2. ejus testimonio synonymorum dissimilitudines saepenumero sagacissime definiuntur [3]);

3. denique vera, quae caeteris subsidiis invenire contigerit, ejus suffragio plus minusve perspicuo firmantur [4]).

Ne vero in hac re in errorem inducamur, praeter cautiones, quas pro versionum usu praescripsimus (§. 37), adhibendas, etiam in consulendis Talmudicis caeterisque Judaeorum doctoribus circumspecte nobis procedendum esse, praeter descriptam eorum indolem obvia perversae Judaeorum interpretationis exempla innuunt [5]).

Quapropter ut caveamus, ne eorum conjecturas et arbitrarias explicationes pro antiquorum traditione sumamus, alios cum aliis, praesertim recentiores cum antiquioribus, comparare juvabit, quo fiet, ne judicium nostrum possit facile deviare.

[1]) De traditionis Judaeorum praestantia praeclare scribit Delitzschius l. c. p. 57: „Haec basis est et fundamentum, quod bene nosse, in quo pedes ponere debet linguae hebraicae scrutator; sine cujus cognitione accurata claudicabit et vacillabit, quidquid ingeniolo suo fultus invenerit".

[2]) Conf. §. 36, nott. 1. 6. 7. §. 38, not. 2. §. 39, not. 3. §. 40, not. 1.

[3]) Sic a Davide Kimchi in *libro radicum* ad vocem דֶּלֶת discrimina inter hanc et vocem פֶּתַח perbelle exponuntur, et in Mischna Megilla, cap. I. indicatur exacte, quomodo נְדָרִים et נְדָבוֹת *vota*, *oblationes* inter se differant.

[4]) Tale est כִּימָה Job. IX, 9. XXXVIII, 31. Amos. V, 8., quod a Gesenio in Lexico et a Fürstio in Concord. comparatum cum arab. كَامَ II. conjug. *accumulavit*, unde كُومَةٌ *cumulus*, ad quod etymon accedit b. Berakot 114. dum exponit: כְּמְאָה כּוֹכְבֵי *cumulus centum stellarum*, et propius adhuc Parchon כְּי׳קְבוּצַת כּוֹכָבִים קְטַנִּים, i. e. *collectio stellarum parvarum*, recte primum de *acervo stellarum* dicitur, dein speciatim transfertur ad Pleiades.

[5]) Exempla vitiosae interpretationis Talmudicorum et Rabbinicorum haec ponimus: רְגָלִים *festa*, Exod. XXIII, 14. ubi שָׁלֹשׁ רְגָלִים *tres vices* sunt; הַרְצַנִּים *acini* pro *uvis non maturis*, Num. VI, 4; כִּנִּים *pediculi* pro *culicibus reptantibus ac molestis*, Exod. VIII, 12. seq. Ps. CV. 31. Similiter quaedam nomina propria regionum perperam reddunt, uti אַשְׁכְּנַז *Germania*, Genes. X, 3. סְפָרַד *Hispania*, Obad. 20. צָרְפַת *Gallia* I. Reg. XVII, 9. 10. etc.

Subsidia ad studium Talmudis et Rabbinorum praecipua sunt: עָרוּךְ (Aruch), exaratum a Nathan Bar Jechiel († 1106.), edit. Romae 1515, quod multis additamentis auctum est a Masaphra († 1674.), edit. Amstelod. 1655; lexicon Buxfortii supra laudatum (§. 36 n. 6.); porro Rabbinisch-aramaisch-deutsches Wörterbuch zur Kenntniss des Talmuds, der Targumim und Midraschim von M. J. Landau. Prag 1819. Quibus addimus: Mischnam latinitate donatam ac notis illustratam a Guil. Surenhusio, Amstelod. 1698 — 1703, quod opus ob locupletissimum et eruditum commentarium summopere laudatur. Porro hoc loco commendari merentur Ant. Theod. Hartmanni Supplementa ad Gesenii lexicon hebr. e Mischna petita. Rostochii 1813. et ejusdem Thesauri linguae hebr. e Mischna augendi. P. I. — III. Ibid. 1825 seq.

II. COMPARATIO LINGUAE HEBRAICAE INTERIOR.

§. 42. Hujus comparationis ambitus atque auctoritas.

A traditione linguae hebraicae progredimur ad subsidia philologica, quae in comparatione hujus linguae tum cum semetipsa tum cum aliis linguis, cognatis potissimum, consistunt, inter quas comparationis species ordine, et ex parte etiam auctoritate, *illa interior* praeferenda est. Ea enim, praeterquam quod suffulta traditione quoad intelligentiam lexicalem plurima confert, omnia, quae ad doctrinam de formis et ad syntaxin spectant, subministrat *). Quae quidem emolumenta praestat

primum ope *contextus* et *parallelismi verbalis*, dum voces ac phrases s. Scripturae hebraicas sive ex antecedentibus et consequentibus in eadem orationis serie obviis, sive ex adductis locis parallelis dilucidat atque determinat; dein ope *etymologiae* et *analogiae linguae hebraicae*, dum aut ex potestate elementorum vel significatione primaria vocabulorum, aut ex similitudine formae et loquendi modorum expressionibus non sat claris lucem affert. Ast ingens est inter haec usus loquendi investigandi subsidia ratione auctoritatis discrimen. Priora induunt naturam testimoniorum directorum, ita quidem, ut quoad contextum in eadem orationis serie atque locos parallelos ejusdem auctoris omnibus aliis praeferenda sint, et omnimodam certitudinem praebeant, dum contra posteriora, utpote inter subsidia indirecta inferioris ordinis referenda, nonnisi aliquam probabilitatem majorem minoremve suppeditant. (§. 22. 1. §. 23. 2. §. 24.)

Quia vero de *contextu* Sect. I. Cap. II. Tract. I. et de *locis parallelis* Sect. I. Cap. III. Tract. I. uberior recurret sermo, hoc loco solummodo de *etymologia* et *analogia* linguae hebraicae pauca dicemus.

*) Vide veteres Judaeorum grammaticos, veluti Dav. Kimchium in libro Miklol, qui in doctrina de formatione verborum, nominum et particularum ac de potestatibus vocalium signorumque diacriticorum, quaecunque monumenta prisci Hebraismi praebebant, studiosissime collecta nobis reliquerunt.

§. 43. Etymologia hebraica.

Licet etymologia sola vocabulorum notiones docere non valeat, ea tamen in linguarum studio minime sterilis censenda est (§. 23. II. 1. not. 4.); praeprimis linguae hebraicae investigatori multa et haud exigua commoda praestat. Etenim praeterquam, quod sicut in aliis linguis, ita et in hebraica multa illustrat, dum generatim significationes vocum hebraicarum derivatas ex significatione prima ejusque translatione ad alia significanda investigata clariores atque distinctas reddit [1], et syntaxin, quae abnormis videtur, ex significatione originali explicat [2], studium Hebraismi biblici singulari modo juvat. Et quidem

1. lucem desideratam affert pluribus locis, veluti si occurrit nonnumquam in Bibliis obliterata aut obscurata significatio

prima [3]), vel si ad primam vocis notionem alluditur [4]), vel si omnino tropus, per quem vox a prima significatione ad alias notiones translata fuit, in similitudinem aut allegoriam transformatur [5]), vel denique si synonyma junguntur, quorum alterum altero fortius est [6]);

2. confirmat aliorum, praesertim ἅπαξ λεγόμενων ac rariorum, ubi aliis subsidiis sat firmata non est, potestatem [7]), nec non dubia, quae interdum de singulari vocis significatione a reliquis notionibus longius recedente oriuntur, dispellit, ostendendo, posse voci subesse hanc quoque notionem [8]);

3. denique ad usum antiquarum versionum, quas inter fontes usus loquendi V. T. primo loco collocavimus, adeo necessaria est, ut ipsae, quae saepe etymologiam exprimunt, sine ejus lumine non intelligantur [9]).

[1]) E. g. significationem verbi רָדָה *dominatus est*, Genes. I, 26. Levit. XXVI, 17. coll. significatione prima adhuc residua, Joël. IV, 13. et in arabico رَدَى et syr. ܕ݂ܪܳܐ *calcavit pedibus*. Conf. etiam קָשָׁה, אָסַר, חָלַל etc. cum radicibus arabicis.

[2]) Sic, cur עָגַב *amavit* et בָּחַר *elegit* cum עַל et ב construatur, in eo esse dicunt, quod prioris origo in *admiratione*, posterioris vero in *stupore* quaerenda sit. Conf. §. 23. n. 4.

[3]) Talis est Exod. XIV, 5. in verbo בָּרַח *(fugit)* prima significatio: *sinistrum latus obvertit*, coll. بَرَحَ. Vide Suppl. J. D. Michaëlis p. 289 et Castelli Heptaglotton ad hanc radicem.

[4]) Ita allusiones Eccles. VI, 10. Ps. IX, 20. 21. ex prima vocum אָדָם et אֱנוֹשׁ significatione egregie illustrantur. Similiter, quae Jacobus moribundus dicit Genes. XLIX. alludens ad nomina propria filiorum suorum, coll. Genes. XXIX. XXX. ex etymologia nominum illorum lumen accipiunt. Conf. etiam Ruth. I, 20. etc.

[5]) Tale est: *Carbones ignis congerere super caput inimici* (Rom. XII, 20. coll. Prov. XXV, 21. 22.), quod ex etymologia verbi צָלָה, صَلَا in forma II. *igni applicavit*, tropice accepti est: *emollivit*, *flexibilem et propensum reddidit.*

[6]) Sic ope etymologiae eruitur, quae discrepantiae inter voces חָכְמָה, בִּינָה, תְּבוּנָה, דַּעַת, טַעַם, מְזִמָּה etc., quae pro *intelligentia* et notionibus cognatis usurpantur, obtineant, et qui diversi *videndi* modi ac gradus verbis רָאָה, חָזָה, שָׁעָה, נָבַט, נָכַר, צָפָה, זָרָה etc. indicentur.

[7]) Ita בּוֹשֵׁשׁ, quod Exod. XXXII, 1. Jud. V, 28. postulante orationis contextu est: *cunctatus est*, *tardavit*, suffragio etymologiae בּוֹשׁ *pudet*

(coll. Jud. III, 25.) confirmatur. Vide Gesenii Lexicon lat. edit. 1833. ad hanc vocem.

[8]) Exemplo sit מִכְתָּם, occurrens in titulis Psalmorum XVI, LVI, LVII, et al., quod ab Alexandrinis et Theodotione redditur ςηλογραφία, *inscriptio in lapide* vel *columna*, ita ut sit *res memorabilis*, et h. l. *carmen memorabile*, cui tamen interpretationi reliquae notiones (a כָּתַם *abscondidit, recondidit* derivatae) repugnare videntur; ast prima notio in dialecto syriaca superstes (ܟܬܡ *stigmata impressit, signavit*) omnia conciliat.

[9]) Quodsi LXX et Vulgatus, qui verba Ps. VII, 14. חִצָּיו לְדֹלְקִים יִפְעָל reddiderunt: „τὰ βέλη αὐτȣ̃ τοῖς καιομένοις ἐξειργάσατο, *sagittas suas ardentibus effecit*", vituperantur, etymologiae studio intelligitur, translationem non esse erroneam, sed presse primae significationi verbi דָּלַק *arsit* inhaerere, cujus notio translata est: *ardenter persequutus est* (Thren. IV, 19.), ita ut דֹּלְקִים sint *persecutores*, et sententia nostri loci etymologice aestimati: „*Sagittas paravit illis, qui sunt persecutores* (nostri)", quae interpretatio contextui congruit.

§. 44. Analogia linguae hebraicae.

Eodem fere loco cum etymologia inter linguae hebraicae subsidia ponenda est *analogia linguae*. Licet enim ipsa per se sola certitudinem non praebeat (§. 23. II. 1. not. 5), utilitate tamen non caret. Quid? quod in lingua hebraica analogia non tantum sicut in aliis linguis notiones vocabulorum illustrat atque confirmat, sed, quia apud Hebraeos in modo significationis formarum verbalium et nominalium definiendo frequentior est atque constantior, in studio hebraicorum usus hujus subsidii etiam securior, adeoque et frequentior esse poterit et debebit, saltem ubi alia subsidia desunt [1]). Praesertim vero similitudinis rationem in significationibus verborum synonymorum et antitheticorum derivandis et determinandis hebraica crebro praeseferunt, quapropter attentio ad eam directionem, quam Hebraei hac in re sequuntur, multa declarabit [2]).

[1]) Huc inprimis spectant conjugationes verbi hebraici, quae cum nihil aliud sint, quam variationes formae primae Kal ad constantem analogiam derivatae, etiam certam ac definitam significationis variationem annexam habent. Sic forma Hiphil verba intransitiva formae Kal in causativa vel transitiva variat, e. g. יָצָא *exivit*, Hiph. *exire fecit, eduxit* אָבַד *periit*, Hiph. *perdidit*. Saepe tamen significatio formae Kal in Hiphil non mutatur, uti פָּשַׁט et הִפְשִׁיט *exuit, detraxit*, שָׁלַח et הִשְׁלִיחַ *misit*. — Pari ratione formae nominales auctae ab initio per מ solent significationem formalem *actionis* vel *loci actionis* adjunctam habere, e. g. מִזְמוֹר *cantus*, מִסְפֵּד

planctus, מִזְבֵּחַ *altare;* exceptiones multae tamen non desunt, e. g. מִפְתֵּחַ *clavis*, qua aperitur, מִשְׁחַר *crepusculum matutinum*. Adjectiva terminantia in ִי sunt numeralia ordinalia, gentilicia vel patronymica, uti שִׁשִּׁי *sextus*, עִבְרִי *Hebraeus*, צְפוֹנִי *aquilonaris*, אֶפְרָתִי *Ephrataeus*. Excipitur אַכְזָרִי quod idem est ac אַכְזָר *crudelis*.

[2]) Sic, qui observaverit, Hebraeis virtutem dici a sapientia, uti scelus a stultitia, aroma poni pro grato et accepto, sicuti foetorem pro ingrato et odioso, et generatim theoretica transferri ad practica, physica ad spiritualia, plurima, quae in eorum usu obtinent, perspecta habebit. Ejusmodi sunt, si e. g. vocabula בִּינָה *intelligentia*, דַּעַת *scientia*, חָכְמָה *sapientia* in s. Scriptura, praesertim in libris Salomonis, sexcenties de probitate, pietate et vitae integritate usurpata reperiuntur, et contra נְבָלָה *stultitia* pro scelere ac crimine dicitur, uti Genes. XXXIV, 7. Deut. XXII, 21. Jos. VII, 15. II. Sam. XIII, 12. et al.; si בָּאַשׁ proprie *foetuit*, Exod. VII, 21. XVI, 20. etiam notat *abominabilem et odiosum esse* vel *reddere*, uti I. Sam. XXVII, 12. I. Sam. XIII, 4. II. Sam. XVII, 21. Genes. XXXIV, 30. Exod. V, 21. al., contra רֵיחַ נִיחוֹחַ *odor stimulans* frequenter pro *sacrificiis Deo gratis et acceptis*, e. g. Genes. VIII, 21. Levit. I, 9. 13. 17. etc. ponitur; si porro חָטָא primum (physice) est: *lapsus est*, Prov. XIX, 2. et *aberravit a scopo*: Jud. XX, 16., dein (moraliter) *peccavit*, Levit. IV, 2. 3. Job. I, 22. al.; si טוֹב, quod cum derivatis pro omnis generis *bono physico* dicitur, etiam passim pro *bono morali* usurpatur, contra רָע, quod pro *malo physico* varie frequentatur, non minus pro *malo morali* positum invenitur, et quae sunt plurima alia hujusmodi.

§. 45. Leges et cautiones in usu horum subsidiorum adhibendae.

Ne vero in usu etymologiae ac anologiae linguae hebraicae hallucinetur interpres, sed commodis laudatis potiatur, sequentia praecipere necessarium existimamus:

1. Quod etymologiam attinet, praeprimis curet, ut cognitionem de vocabulorum elementis, radicibus, accretione, compositione atque potestate originaria historicam sibi comparet (§. 23. II. 1.), ne collatio fundamento destituta in arbitraria atque inepta figmenta degeneret [1]). In conferendis vero vocabulorum elementis diligens attentio ad leges, quae pertinent ad sonos eorumque convenientiam vel discrepantiam, ad permutationes et transpositiones literarum, ad vocales earumque vicissitudines, scrutatori linguae adhibenda est, quia ejus ope non solum sibi cavebit, ne heterogenea commisceat, aut quae sunt homogenea distinguat, sed plurima plana atque perspecta habebit [2]).

2. Dein, ut ex cognita prima notione pro derivatis lucem repetere valeat, perspectas habeat rationes, quibus ducti Orientales,

nominatim Hebraei, vocabula ab illa ad alia significanda transferre consueverint [2]).

3. Non minus pro prospero analogiae usu praevie sibi familiares reddat interpres tum significationes verborum, nominum atque particularum formales, tum eam rationem, quam Hebraei, a certis notionibus certas alias derivantes, sequi soliti sunt. Quoad significationes significationumque immutationes certis formis vel loquendi rationibus inhaerentes dispiciat, num sint constantes, an exceptiones plus minusve frequentes admittant. Quo constantiores eas invenerit, eo certiores inde deducere poterit conclusiones [4]).

4. Quia porro prima hebraicorum significatio haud raro solum in dialectis superstes est, et lingua hebraica tum quoad potestatem formarum ac phrasium, tum quoad analogiam significationum etiam cum aliis linguis, praesertim cognatis, conspirat, studium etymologiae et analogiae, ut feliciter cedat, cum collatione dialectorum conjungendum erit [5]).

5. Denique, quia neque etymologiae neque analogiae est, hebraicae linguae usum loquendi certe docere, sed solum illustrare ac confirmare, cavendum est, ne eas contra usum, ubi is aliunde sat cognitus est, sequaris [6]).

[1]) Quo ruant, qui deserta via historica in studio etymologico conjecturis indulgent, docent Gussetii, Neumanni, Loescheri aliorumque errores.

[2]) Quarum legum qui habuerit rationem, sciet e. g. שׂ quidem pronuntiatione ad sonum ס accedere, eatenus tamen ab hoc discrepare, quatenus probabiliter, cum esset ejusdem cum שׁ originis, ab antiquis fortius pronuntiabatur. Inde intelliget, verba סָכַר *clausit* et שָׂכַר *mercedem dedit*, porro סָכַל *stultus fuit* et שָׂכַל *prudens*, *intelligens fuit*, quae potestate adeo differunt, arguere radices prorsus diversas. Quia vero discrimen inter illos sonos posteriori aevo obliteratum est, ita ut Syri solo ס et Arabes solo שׂ uterentur, et recentiores Hebraei alterum cum altero permutarent, non mirabitur, si Esra IV, 5. occurrit סָכַר = שָׂכַר *mercede conduxit.* — Contra qui observaverit, quasdam literas Hebraeorum, nominatim sibilantes, gutturales, liquidas, palatinas et labiales facile inter se permutari, et praesertim apud Hebraeos recentiores, ad Aramaismum inclinantes, literas duriores in molliores transiisse, non offendetur, si e. g. in עָלַז, עָלַם et עָלַץ *hilaris fuit*, מָלַט et פָּלַט *elapsus est*, porro in שָׂחַק et צָחַק *risit* literas permutatas sine significatus vicissitudine legerit. Itidem scrutatori linguae, qui noverit, in hebraicis literas etiam transponi, non ita crebro tamen, et fere sibilantes tantum et ר, nulla difficultas creabitur, si e. g. aliquoties pro כֶּבֶשׂ *agnus* כֶּשֶׂב, pro סָכַל *stultus fuit* כָּסַל et pro גָּזַר *secuit* גָּרַז scriptum invenerit. — Pari

modo denique, cum obvia lexica et grammaticae doceant, quantopere potestas vocabulorum a vocalibus earumque vicissitudinibus pendeat, non fieri non potest, quin sedula illarum observatione plurimum lucis afferatur.

[3]) Sic ut ei e. g. perspicuum sit, cur זְקֵנִים *senes* Hebraeis superiores quoque audiant, non immemor sit imperii, quod penes illos viguit, patriarchalis.

[4]) Exempla hujus rei vide in nota 1. et 2. §. praecedentis.

[5]) Confer §. 43. notas 1. 3. 5. 8.

[6]) Neglectio hujusmodi usus loquendi contra logicum probabilium peccat. et perversis interpretationibus locum dat. Sic Jes. V, 2. 4. בְּאֻשִׁים juxta antiquos interpretes et seriem orationis *labruscae*, a *Celsio* (Hierobotanicon T. II. p. 199.) et aliis collato persico et sanscrit. بيش *bisch* perperam redditur *aconitum napellus* (species herbae venenatae. Linn.) Conf. §. 36, n. 7. §. 39, n. 3.

III. DIALECTORUM COMPARATIO.

§. 46. Quae dialecti et qua ratione sint comparandae?

Collationem linguae hebraicae cum semetipsa sequatur, oportet, comparatio cum aliis linguis, nominatim cum illis, quae ei, utpote cum ipsa ad eandem Semitismi familiam spectantes, cognatae sunt; inter quas recensendas existimamus primum *aramaicam,* dein *arabicam,* quarum utraque cum hebraica sororio conjungitur vinculo [1]). Licet vero certo definiri nequeat, quando nempe singulae earum e communi stirpe prodierint, id certum est, hebraicae, quae quoad copiam lexicalem et grammaticalem inter aramaicam et arabicam fere medium tenet locum, priorem indole ac documentorum antiquitate proximam esse, posteriorem vero, quae quidem literaturam saeculo VI. antiquiorem non habet, et quoad praesentem conditionem ab hebraica remotior est, adhucdum in amplissimo orbis tractu vernaculam esse, et omnis generis libris abundare [2]).

Quibus accedit *neohebraica,* quae cum antiqua, cui successit, filiali gaudet cognatione, et postquam in antiquissimis monumentis vestigia reliquerat, multis per decursum temporis admissis mutationibus in scriptis doctorum judaicorum recentioris aevi luxuriosissime diffusa est [3]).

Hae linguae cum tenuibus reliquiis aliarum eis cognatarum constituunt materiam collationis dialectorum, quam valde periculosam esse atque lubricam jam inde intelligitur, quod interpretes

celeberrimi in hujus subsidii usu haud raro gravissime hallucinati sunt [4]).

Quapropter ut devitatis, quos alii admiserunt, erroribus dialectos cognatas ad studium Hebraismi biblici utiliter applicemus, opportunum existimamus, primum *de usu comparationis dialectorum generatim loqui;* dein *specialia emolumenta, quae prò linguae hebraicae cognitione inde derivari possunt, ostendere ;* denique *quasdam cautiones praescribere, quas adhibere oportet, ut dialectorum comparatio rite instituatur.*

[1]) Linguae, quae ad Semitismi familiam spectant, trium ramorum instar, qui ex eadem stirpe succreverunt, in tres dialectos principales abeunt, *aramaicam* nempe, *hebraicam* et *arabicam.*

a) *Aramaica* duas praecipuas species, aramaicam orientalem *(chaldaicam)* et aramaicam occidentalem *(syriacam)*, quarum utraque, si paucos Syriae pagos in Antilibano excipias, emortua est, complectitur; illam in operibus Judaeorum potissimum usurpatam etiam Aramaismum *judaicum,* hanc in scriptis christianis frequentatam Aramaismum *christianum* appellant. Quae praeterea supersunt ex dialecto *Samaritanorum, Zabiorum* et *Palmyrenorum,* ad stirpem aramaicam sunt referenda.

b) *Hebraica* sobolem habet *neohebraicam,* quam alias *talmudicam* et *rabbinicam* dicunt, minus tamen adaequate, cum volumina talmudica et midraschica oratione bilingui, aramaica nempe et neohebraica exarata sint. (§. 38.) Exiguae reliquiae *Punicae* et *Phoeniciae* ab hebraicis vix discrepant.

c) *Arabica* ramos habet dialectum *Maurorum, Melitensium, Aethiopicam* atque *Amharicam.*

[2]) Quod harum linguarum aetatem attinet, quidquid sit de eorum sententia dicendum, qui contendunt, linguam hebraicam aut primaevam esse, aut saltem ad illam proxime accedere (conf. Steph. Morini, Exercitationes de lingua primaeva. Utraj. 1694. C. A. Bode, Diss. de primaevae linguae hebraeae antiquitate, praef. C. B. Michaëlis. Halae 1740. C. G. Anton, De lingua primaeva ejusque in lingua hebraea reliquiis. Viteb. 1800. J. H. Pareau, Instit. Interp. V. T. p. 25), id certissimum est, nullius linguae tam prisca monumenta extare, quam hebraicae, qua revelatio divina in usum generis humani per decursum temporis consignata est. Quam scriptorum antiquitate excipit aramaica, quae, praeterquam quod Daniel et Esras longiores pericopas chaldaice exaratas reliquerunt, etiam in aliis s. codicis, posterioribus potissimum libris, vim exercuit, atque in targumicis et talmudicis voluminibus usurpata exstat. Rei literariae vero Arabum prima specimina exhibent carmina Hamâsae et Moallakât, brevi ante Muhammedem conscripta; ea sequitur Koranus.

[3]) Neohebraica jam in recentissimis s. Canonis libris plurima occurrunt (§. 30. nota 1.), imo etiam Alexandrini versores linguae neohebraicae

cognitione usi deprehenduntur. (§. 36. nota 2.) Inde a saeculo X. Neohebraismus a doctoribus judaicis in omni genere artium literarumque adeo frequentatus est, ut eum in sex classes dispescerent, scilicet in Neohebraismum *rabbinicum*, *philologicum*, *philosophicum*, *oratorium*, *poëticum* et *imitantem*. Conf. D. Luzzato l. c. p. 103 sqq.

4) Tales praecipue fuerunt Alb. Schultensius, scholae belgicae auctor, et qui ejus vestigia sequuti sunt. Conf. §. 33. nota 2.

§. 47. De usu collationis dialectorum generatim.

Itaque quum eo, quem exposuimus, modo dialecti Semitismi cognatae ratione originis et propagationis ad hebraicam referantur, ponere licet, illas plurima recludere, quibus studium hebraicorum juvare possint. Ast quamvis res ita se habeat, et dialecti cognatae cum hebraica reapse ita congruentes reperiantur, ut in multis, easdem prorsus voces exhibeant, et in aliis nonnisi analoga certarum literarum permutatione discrepent, nihilominus ad usum hebraicum inveniendum ac constituendum subsidium minus efficax suppeditant, quia cuivis earum proprius est atque constans et per se subsistens loquendi usus, ita ut rarissime cum hebraica accurate conveniant, plerumque variis mutationibus, uti vocibus vel significationibus novatis, aut plus minusve subtili formae vel potestatis inflexione recedentes [1]. Sic aramaica, caeterum hebraicae propinquior, non solum pro nativa indole, in quantum haec ex scriptis, quae supersunt, innotescit, plurima priva vel saltem peculiari modo determinata, sed etiam pro diversitate aetatis plura vel pauciora exotica, et quidem nominatim in Syriacis multa christiana admixta habet. Arabica vero, licet ditissima sua vocum ac formarum supellectili in uberrimis fontibu deposita haud dubie plurima conservet ex communi origine derivata; quia tamen, in quantum in monumentis scriptis superstes invenitur aetatis hebraica longe recentioris, forma externa multum dispar, et indole interna diversissima est, ratione certitudinis adhuc postponenda erit aramaicae. Non minus denique lingua neohebraica, utpote antiqui Hebraismi propagatio, certe plurima ex hoc detracta retinuisse videtur; quia vero per decursum temporis Rabbinismus ei penitus insedit, ita incerta est, ut ejus collatio periculo non careat [2].

1) Quantopere linguae cognatae, nominatim semiticae, utut caeterum convenientes, generalim ab invicem, in specie caeterae Semitismi dialecti ab hebraica discedant, in iisdem adeo vocibus significationibus novatis vel pau-

lulum immutatis discrepantes, dictum et exemplis demonstratum est §. 23, II. 2. nota 6. — Praeterea, quod in lingua hebraica rarum et poëticum, in dialectis frequens et commune, quod in illa nobile in his ignobile ac vulgare est. Conf. §. 31. — Aliud discrepantiae genus in eo situm est, quod voces hebraicae nonnumquam notiones adhuc in origine positas nexas habeant, ubi in dialectis jam plenius excultae et perfectae junguntur. E. g. hebr. שִׁנָּה אֶת־טַעְמוֹ *deformavit*, i. e. *dissimulavit rationem suam* I. Sam. XXI, 14. Ps. XXXIV, 1. syriace simpliciter absque additamento ܛܥܐ *insanivit*; hebr. תָּעָה *aberravit*, chald. טְעָה *idolorum cultui deditus fuit*, syr. ܛܥܝ *haereticus fuit*. Contra hinc inde in dialectis notiones primariae superstites exhibentur, ubi in hebraico derivatae usitatae sunt. Exempla hujus rei habes §. 43. nota 1. 3. 8. §. 48. nota 2.

[3]) Qui de indole singularum Semitismi dialectorum plura scire cupit, legat *Haevernick*, Einl. I. T. I. Abtheil. p. 92—141. et *Delitzschii* Isagogen p. 65 seq. 76 seq. 89 seq. etc.

§. 48. Emolumenta dialectorum specialia.

Quae cum ita sint, dialecti cognatae per se solae notiones hebraicorum docere non valebunt [1]); haud parum tamen utilitatis scrutatori s. scripturae praestant. Et quidem

1. voces, significationes, formas ac constructiones, nec non integras phrases ac partes sacri codicis poëticas dilucidant [2]).

2. Hebraicorum potestates, quae aliorum subsidiorum ope inventae fuerint, saepe egregie confirmant [3]).

3. Praeterea haud raro etiam ad vindicandos locos dogmaticos contra adversariorum objectiones serviunt [4]).

4. Denique neque illud praetermittendum est, quod interpretem sacrum ad eruditos aliorum labores rite aestimandos et dijudicandos acuunt [5]).

[1]) Equidem viri doctissimi, uti inter Protestantes Alb. Schultensius, inter Catholicos J. Jahn, eumque sequens Ackermann ingens dialectorum usui emolumentum pro definiendis hebraicarum vocum notionibus vindicant; ast ex principiis §. 23. II. 2. et §. 47. propositis eas in hunc finem minus recte adhiberi existimamus.

[2]) Dilucidationes hujus generis praebent:

a) Quoad *voces*, dum earum radices in hebraico deperditas, uti nominis פֶּרֶךְ *dura tractatio*, *oppressio* (Exod. I, 13. 14. al.) in aramaico פְּרַךְ *fregit*, porro nominis מַר *gutta* et מֹר *myrrha* in arabico مَرَّ *fluxit*, nec non nominis כַּלָּה *sponsa* (quae coronata erat), in aramaico

et arabico כָּלַל, ܟܰܠܶܠ, كَلَّلَ *coronavit* etc., vel dum verborum, quae in s. codice occurrunt, denominativorum nomina, unde derivata sunt, uti e. g. בּוֹלֵס *vellicans ficus sycomori* (Amos VII, 14.) in arabico بَلَسٌ, *ficus sycomorus*, vel quod quidem frequenter obtinet, dum ἅπαξ λεγομένοις ac rarioribus per parallela lumen accendunt. Conf. גָּרַד *scabit*, Job. II, 8. חִסֵּד *contumeliose tractavit*, Prov. XXV, 10. cum aramaicis גְּרַד *abrasit* et ܚܰܣܶܕ *contumelia affecit*; הָזָה *deliravit*, Jes. LVI, 10. cum arab. هَذَا et هَذَى *delire loqui* vel *per morbum* vel *per somnum*; עָגַן *detinuit, retinuit*, Ruth. I, 13. cum neohebraico עֲגוּנָה *mulier, quae sine conjuge, caelebs inclusa ac solitaria desidet.*

b) Quoad *significationes*, dum primitivas significationes, unde secundariae, in scriptura occurrentes, derivantur, exhibent, uti e. g. verbi חָלָה *morbo decubuit, aegrotavit*, et חָטָא *peccavit*, in arabicis خَلَا *trivit, attrivit*, intrans. *attritus est*, et خَطِئَ *lubrico motu excidit, aberravit a scopo*, primaria potestas habetur; vel dum verbis hebraicis diversas notiones primarias habentibus rationem diversitatis in diversa pronuntiatione arabica positam esse ostendunt, e. g. חָלַל *solvit* = حَلَّ et חָלַל *transfodit* = خَلَّ etc.

c) Quoad *formas et constructiones* per analogiam grammaticam (in doctrina formarum ac syntaxi), cujus rei exempla recentiores Grammaticorum libri abunde subministrant. Conf. Gesenius, Lehrg. p. 193 sq. 233 sq. 465 sq. 643 sq.

d) Quoad *phrases* et *partes poëticas*, e. g. dum Job. VII, 19. עַד־בִּלְעִי רֻקִּי *donec glutiam salivam meam*, illustratur dictione proverbiali Arabum أَبْلِعْنِي رِيقِي *deglutire me fac salivam meam*, i. e. ut Kamus interpretatur, concede mihi tantum temporis, ut salivam meam deglutire possim, quo momentum temporis circumscribitur. Conf. Comment. Schultensii in hunc locum, et Hariri Consess. 14. (edit. de Sacy p. 142.); dum Jes. IX. 18. וַיְהִי הָעָם כְּמַאֲכֹלֶת אֵשׁ *et erit populus esca ignis* (belli), lucem capit ex loco Barhebrai, Chron. Syriac. p. 333, ubi de magna clade Edessenorum legitur: ܘܐܝܟ ܢܘܪܐ ܚܫܝܫܐ ܠܚܟܬܗ ܢܘܪܐ ܕܛܘܪܟܝܐ ܚܣܡܬ ܐܢܘܢ, *ut ignis stipulam, sic Turcarum ignis illos depastus est.*

Ad partes scripturae poëticas rite dijudicandas et intelligendas praesertim copiosa Arabum poëmata egregie faciunt. Sic, ut pauca exempla ponamus, notum est, Hebraeos expressiones *ros, torrens, pluvia* per translationem perbelle pro *liberalitate* ponere. Conf. e. g. Jes. LV, 10. 11. ubi divini numinis infinita beneficentia et largitio comparatur

pluviae terram irriganti. Eodem fere modo Arabes vocibus نَدَى *ros*, سَيْل *torrens*, مَطَر *pluvia* utuntur. Ita Ebn Arabshâh in Jones, Poës. asiat. Comment. p. 132. scribit:

أَمْطَرَ أَيَادِي يَمِينِهِ بِٱلنَّوَالِ فَفَاضَ
ٱلْخَيْرُ مِنْ صَوْبِ ٱلشَّمَالِ

„*Pluere fecit a dextera sua dona, et effudit beneficentiam tanquam imbrem a vento septentrionali incitatum*".

Non minori elegantia זֵכֶר, cujus antiqua significatio fuit *odor suavis*, transfertur ad *famam* et *bonam existimationem* sicut apud Hebraeos (Hos. XIV, 8. זִכְרוֹ כְּיֵין לְבָנוֹן *odor ejus tanquam vinum Libani.* Conf. Cant. I, 8. (ita apud Arabes) رِيحُ ٱلْكَلَاءِ وَذِكْرُهُ *odor et suavis aura victoriae*. Vid. Schultens. in Hamasa (pag. 349. Not.). Pulcherrimi carminis de Sauli et Jonathani obitu, II. Sam. I, 22.

מִדַּם חֲלָלִים מֵחֵלֶב גִּבּוֹרִים
קֶשֶׁת יְהוֹנָתָן לֹא נָשׂוֹג אָחוֹר

„*A sanguine occisorum, a fortium virorum adipe*
Arcus Jonathani non rediit irritus," —

elegia elegantissima in Haririi consessu 20. (edit de Sacy p. 199 sq.) non admodum dissimilia habet:

مَا بَارَزَ ٱلْأَقْرَانَ إِلَّا ٱنْثَنَى
عَنْ مَوْقِفِ ٱلطَّعْنِ بِرُمْحٍ خَضِيبٍ

„*Ubi provocavit adversarios, nunquam rediit*
a pugnae contentione sine spiculo sanguine imbuto."

Plura vide in Guil. Jones, Poëseos asiaticae Commentariis, praesertim P. III. et IV.

[3]) Exemplum habes in laudato supra (§. 43. nota 3.) loco Exod. XIV, 5., ubi verbi בָּרַח notionem *sinistrum latus obvertendi*, quam omnis orationis contextus postulat, lingua arabica confirmat. Conf. Vindicias J. Jahn. Lips. 1822. §. 33. Alia legi possunt in omnibus commentariis et lexicis melioris notae, in quibus pleraque, quae de lingua hebraica aliunde nota sunt, testimonio dialectorum comprobata deprehenduntur.

[4]) Sic magna eruditione ad locum dogmaticum Jes. VII, 14. vindicandum praeter alia argumenta etiam dialecti cognatae adhibentur, ex quibus demonstratur, hebraicum עַלְמָה nonnisi *de virgine* scribi, a D. C. Vercellone in opusculo: s. Hieronymi apologia, seu de hebraica voce עַלְמָה academica dissertatio, qua Mariae virginitas vindicatur. Acroasis in

Hieronymiana Academia recitata Romae XIV. Kal. Octobris 1834. Taurini. Vide Annali delle Scienze religiose, compilati dall' Ab. Ant. De-Luca. Roma 1836. Art. VII.

[5]) Veteres interprëtes usos esse dialectorum notitia, monuimus §. 39; recentiores vero translatores et commentatores biblicos in linguis semiticis sese plerumque versatissimos exhibere, constat. Omnium loco unum cl. Jahnium nominamus, qui in Appendice Hermeneuticae, Fasc. I. et II. (Viennae 1813 — 15) quosdam locos Messianos V. T. adhibitis quidem pluribus subsidiis, praecipue vero erudita dialectorum cognatarum comparatione comprobavit, atque contra adversariorum objectiones vindicavit. Inde facile intelligitur, nonnisi, qui ipse linguarum istarum est gnarus, doctos hujus generis labores posse intelligere et firmo judicio aestimare.

Caeterum qui de emolumentis, quae ex studio linguarum semiticarum percipiuntur, plura scire cupit, legat opusculum: Ueber den Nutzen des Studiums der mit der hebr. Sprache verwandten Mundarten. Von Michael Loehnis. Aschaffenb. 1834.

§. 49. Cautiones in dialectorum comparatione applicandae.

Quas vero cautiones ad rectum dialectorum cognatarum usum in re nostra adhibere oporteat, ex descripta earum indole atque comparationis fine intelligere licet.

1. Cavendum est, ne dialectis major vis tribuatur, quam iis revera competit, quod fieret, si ad notiones hebraicas eruendas ac constituendas etiam adhiberentur, ubi subsidia efficaciora interpretem non destituunt. Quapropter vocibus hebraicis, quarum certa est significatio, ne quaerantur notiones ex dialectis [1]).

2. Ubi vero dialecti in subsidium vocandae sunt, non solum, quae priva habent, diligenter secernantur, ne in hebraicam inferantur aliena [2]), sed neque, quae reapse cum hebraicis sunt connexa, conferantur, nisi aliquid lucis vel firmamenti adferre possint [3]).

3. Quodsi quaeritur, quae dialecti et quo ordine comparentur, omnes quidem conferendas esse existimamus, quia haud raro lucem desideratam, quam in una alterave frustra quaesiveris, in alia invenies [4]), aramaicam tamen caeteris praeferendam censemus. Claudunt arabica et neohebraica, utpote quae ambae incertiores magnam cautionem postulant.

4. In ipso collationis negotio non in singulis vocibus sistendum est, sed et significationes, integrae phrases, locutiones tropicae et imagines poëticae comparandae sunt, quarum latissimus patet campus [5]).

5. Denique in conferendis vocibus analogia permutationis et transpositionis certarum literarum, debita tamen cum circumspectione, praesertim quoad posteriorem, quae alias rarissime locum habet, observanda est, ex qua plurima lucem capiunt [6]).

[1]) Ex hac causa Jes. LIII, 9. עָשִׁיר perperam contulerunt cum عَاثِر *caespitans*, cum notio vocis hebraicae *(dives)* ex collatione ipsius linguae hebraicae et testimonio veterum interpretum, uti Alexandrinorum et Vulgati sit certa.

[2]) Caveas ergo, ne e. g. notiones nominum רַב *magister*, סֹפֵר γραμματεὺς etc. Neohebraismo proprias prisco Hebraismo admisceas.

[3]) Hinc inepta profecto est comparatio, si ad explicanda nomina hebraica primitiva e. g. אָתוֹן *asina*, גּוֹזָל *columbula* verba arabica denominativa أَتَنَ *gressus asininos facere*, جَزَلَ *pipire instar pulli columbini*, conferantur, nisi velis, prius dixisse homines gressus asininos et pipitum columbinum, quam asinam ipsam et columbam nominibus designare didicerint.

[4]) Sic אָהַב *amavit*, solis Samaritanis hac significatione usitatum est, atque נֵבֶל solis Aethiopibus sicut Hebraeis est *uter* et *instrumentum musicum*.

[5]) Imo tam parum in vocibus solummodo sistendum est, ut haud raro cum iis, quibus literis et forma respondent, prorsus non comparari debeant, sed potius cum iis, quibuscum est illis analogia significationis. Sic יָדַע *cognovit*, *coivit* non cum correspondente وَدَعَ, quod constanter est *posuit*, *deposuit*, sed cum verbis analogae significationis, veluti ܚܟܡ, عَرَفَ conferendum est. Caeterum quantopere studium linguae hebraicae comparatione dialectorum quoad significationes, phrases ac partes poëticas adjuvetur, notatum est §. 48. nota 2.

[6]) Quantum lucis linguae hebraicae scrutatori in collatione dialectorum ex perspecta analogia permutationis ac transpositionis certarum literarum, in linguis semiticis obvia, nancisci datum sit, uberius indicavit Jo. Jahn, Arab. Sprachlehre p. 46 — 72., ubi simul monuit, provide in permutationibus et praesertim transpositionibus adoptandis procedendum esse.

Confer C. F. Hornemann, Observationes de harmonia linguarum orientalium, hebr. chald. syr. et arab. Hafniae 1826 — 29.

§. 50. Conclusio. Subsidia literaria.

Haec sunt principia, quae scrutatores linguae hebraicae in inquirendo usu loquendi V. T. sequantur, oportet. Singulis vero fontibus eam, quam par est, auctoritatem attribuentes argumenta ex traditione Judaeorum petita caeteris praeponant, ea totius studii hebraici basin ac fundamentum constituentes. Inter subsidia philo-

logica primo loco referant comparationem linguae hebraicae interiorem ac domesticam, quam excipiat dialectorum cognatarum collatio, cum illa amice conjugenda, utrâque limitibus, quos designavimus, circumscripta.

Quod subsidia literaria attinet, quum jam per decursum hujus articuli plura opera nominavimus, quae tum notitiam indolis linguae hebraicae, tum cognitionem ac usum fontium ejusdem juvant, ad finem adhuc melioris notae, quae prostant, linguae hebraicae et dialectorum cognatarum *lexica*, *grammaticas* et *chrestomathias* in nota subjecta adjicere placet *).

*) *I. Subsidia linguae hebraicae:*

a) *Lexica*, missis pluribus antiquioribus, meliora habentur:

J. Cocceji Lexicon hebr. et chald. V. T. post J. H. Majum longe quam antehac correctius et emendatius edidit J. Chr. Schulz. Lipsiae, ed. II. 1793. 96.

Ph. Ul. Moser, Lexicon manuale hebr. et chald. praef. est G. Chr. Storr. Ulm. 1795.

J. Simonis, Lexicon manuale hebr. et chald. post Eichhornii curas denuo castigavit, emendavit multisque modis auxit G. Bened. Winer. Lips. 1828, quam editionem rite ordinata significationum vocabulorum polysemorum dispositio ac moderatus et prudens linguarum cognatarum usus commendant. — Iisdem praerogativis gaudent:

Guil. Gesenii Lexica (Hebr. und Chald. Handwörterbuch über das A. T. Leip. III. Aufl. 1834, et Lexicon manuale hebr. et chald. Lips. 1833. Edit. II. 1846), quae notissima sunt; optanda tamen esset dispositio vocum derivatarum secundum radices digesta. Egregium ejusdem auctoris opus est: *Thesaurus philologicus criticus* linguae hebraeae et chaldaeae Veteris Testamenti. Editio II. secundum radices digesta, priore germanica longe auct. et emend. Lipsiae 1829—1842. III Tomi in 4to. — Huc etiam referri possunt:

J. D. Michaëlis, Supplementa ad lexica hebraica (Partes VI Göttingae 1792), quae tamen haud pauca continent minus explorata.

b) *Grammaticae* praestantiores sunt:

W. Fr. Hezel, Ausführliche hebr. Sprachlehre. Halle 1777. (Auszug 1787. et saepius);

J. S. Vater, Hebr. Sprachlehre für Anfänger. Leipzig 1797, 1814. (Auszug 1798, 1807);

J. Jahn, Hebr. Sprachlehre für Anfänger. Wien 1792. 99. Editio III. retractata, aucta et in latinum sermonem conversa 1809; in quibus omnibus linguae cognatae nonnihil collatae conspiciuntur, pars elementaris vero desideratur. Jahnius caeteris praestat copiosa exemplorum, quibus doctrinam formarum illustrat, congerie, et appendice de antiqua vocalium hebraicarum pronuntiatione.

Nostris temporibus omnibus grammaticis hebraicis merito praeponitur Guil. Gesenii opus: Lehrgebäude der hebr. Sprache, Leipz. 1817; regulas enim grammaticae hebraicae analogia dialectorum ubique egregie illustrat, apta simul dispositione ac facilitate se commendans. Ejusdem Hebr. Grammatik, edit. V. Hal. 1822, edit. XII. Lips. 1839, edit. XIV. ab E. Roediger 1845 prodiit.

G. H. A. Ewald, Kritische Grammatik der hebr. Sprache. Leipz. 1827. Edit. III. 1838, deserta methodo empirica prioris praecipue in parte elementari non pauca proponit, quae minus explorata esse deprehenduntur. Plura de utriusque quoad linguae hebraicae studium meritis vide §. 33, nota 2.

Rud. Stier, Neugeordnetes Lehrgebäude der hebr. Sprache, I. und II. Theil. Leipz. 1833, sequutus est Ewaldum, non ita tamen, ut rationem grammaticae empiricae prorsus negligeret. Minus vero laudandus, quod de vocalium valore multa adfert, quae historico fundamento destituuntur, et partem syntacticam omnino non attingit. Denique G. W. Freytag, Kurzgefasste Grammatik der hebr. Sprache. Halle 1835, formae justo plus characterem Arabismi grammaticalis impressisse videtur.

II. Subsidia dialectorum cognaturum, et quidem

1. *aramaicae*, cujus, quia in *chaldaicam* et *syriacam* digreditur, alia pro priori, alia pro posteriori recensenda veniunt.

a) Pro *lingua chaldaica* praesto sunt:

α) *Lexica*, jam supra commemorata Buxtorfii (§. 36, nota 6) et Landavii (§. 41, nota 5), quibus accedit J. H. Dessauer, Gedrängtes vollständiges aram. chald. deutsches Handwörterbuch. Erlangen 1838. Etiam Castelli Heptaglotton complectitur lexicon chaldaicum.

β) *Grammaticae* praeter plures antiquiores:

J. Dav. Michaëlis, Grammatica chaldaica. Gött. 1771;

Wilh. F. Hezel, Anweisung zum Chaldäischen. Lemgo 1787;

N. W. Schroeder, Institutiones ad fundamenta Chaldaismi biblici 1787. Editio II. aucta et emendata. Ulm. 1810; quibus omnibus.

G. Bened. Winer, Grammatik des bibl. targ. Chaldaismus. Leipz. 1824. Edit. II. 1842, tum ob completam omnium partium pertractationem, tum ob ordinem et perspicuitatem praeceptorum longe praestat.

γ) *Chrestomathiae* commendantur:

G. C. Bauer, Chrestomathia e paraphrasibus chaldaicis et Talmude delecta, notis et indice illustrata. Norimb. 1792.

J. Jahn, Chald. Chrestomathie, grösstentheils aus Handschriften. Wien 1800, cujus operis usus tamen tum copiosis, qui praecipue in codicibus exscribendis irrepserunt, erroribus, tum defectu glossarii impeditur.

H. A. Grimm, Chald. Chrestomathie mit einem vollstädigen Glossar. Lemgo 1801. Pretii multo majoris est:

G. B. Winer, Chald. Lesebuch. Leipz. 1825, qui liber non solum delectu materiarum, inter quas praecipue copiosa fragmenta targumica, nominatim interpretationes Chaldaeorum Messianae, theologis graves, placent, sed etiam meliori lexico et utilissimis annotationibus grammaticis textui subjectis excellit.

Pro reliquiis Samaritanis nominare juvat praeter Ch. Cellarii Horas Samaritanas. Jenae 1682 et Othonis, Institutiones Samaritanas. Francof. 1717, Dr. Frid. Uhlemann, Institutiones linguae Samaritanae cum chrestomathia et glossario. III Tomi. Lips. 1837.

b) Pro *dialecto syriaca:*

α) *Lexica* perfectiora adhuc desiderantur.

Edm. Castelli, Lexicon syriacum maximam partem ex lexicis ineditis Bar Ali et Bar Bahlul, saeculo IX. et X. attributis et in bibliotheca Lugd. Bat. asservatis excerptum, quod ex ejus lexico heptaglotto seorsim typis describendum curavit J. Dav. Michaëlis, Gött. 1788., minus completum est, et apta significationum vocabulorum dispositione ac justa linguarum cognatarum collatione caret. Quapropter lexicon a Bernsteinio edendum studiorum syriacorum amantes omnibus votis exoptant.

β) *Grammaticae syriacae* multae prodierunt. Meliores habentur:

J. Dav. Michaëlis, Grammatica syriaca. Halis 1784.

Jac. Chr. Adleri, Brevis linguae syr. institutio. Altonae 1784.

W. Hezel, Syrische Sprachlehre. Lemgo 1786.

Al. Gerh. Tyschen, Elementale syr. sistens grammaticam, chrestomathiam et glossarium. Rost. 1793.

Hampus Tullberg, Elementale syr. P. I. et II. Londini 1824.

Paul Ewald, Lehrbuch der syr. Sprache. Erlangen 1826.

Christ. B. Michaëlis, Syriasmus. Halae Magd. 1741, magni habetur, et sub titulo grammaticae syriacae recusus est Romae 1829. — Omnibus tamen praeferri merentur

Andr. Theoph. Hoffmann, Grammaticae syr. libri III. Halae 1829, et

Dr. Fr. Uhlemann, Elementarlehre der syr. Sprache. Berlin 1829, cum opus prioris uberiorem literaturam exhibeat, et ambo praeceptis perspicue propositis se commendent.

γ) Etiam *Chrestomathiae syriacae* plures habentur. Notiores sunt:

G. Guil. Kirsch, Chrestomathia syriaca cum lexico. Lips. 1784, aucta et emend. a Prof. Georg. Henr. Bernstein. Lips. P. I. 1832. P. II. 1836 — 41.

A. Hahn et F. L. Seiffert, Chrestomathia syr. seu S. Ephraemi carmina selecta cum notis et glossario locupletissimo. Lips. 1825.

Andr. Oberleithner, Chrestomathia syr. cum glossario. Viennae 1826.

J. D. Michaëlis, Chrestomathia syr. Editio III. glossario, annotationibusque instructa a J. Chr. Doepke. Gött. 1829.

Aem. Roediger, Chrestomathia syr. glossario explanata. Halis Saxonum 1838. Quarum de pretio judicare res est difficilis, cum glossaria, quibus instructae sunt, fere omnia ad eandem trutinam exacta videantur; solus Bernsteinius editionem a se curatam lexico sic dicto, quod significationes vocabulorum apte dispositas ac comprobatas exhibet, augendam putavit.

Zabiorum, quorum lingua ad syriacam proxime accedit, plura latent inedita.

Norberg, postquam 1815 librum Adami (codicem Nasaraeum) vulgaverat, ad ejus explanationem 1816 Lexikidion, et 1817 Onomasticum dedit.

Linguae *Palmyrensis*, quae pariter a syriaca non multum differt, inscriptiones tantum quaedam haud magni pro lingua hebraica momenti restant, ad quarum lectionem et intelligentiam conferunt: Barthelemy, Reflexiones sur l'alphabet et sur la langue, dont on se servoit autrefois à Palmyre. Paris 1754.

c) Ad studium *totius stirpis aramaicae* faciunt:

J. Gottf. Hasse, Praktisches Handbuch der aram. oder der syrisch-chaldäisch-samaritanischen Sprache. 1791.

J. Jahn, Aramäische oder chald. und syr. Sprachlehre. Wien 1793 (nonnisi compendium). Ejusdem Elementa aramaicae, seu chaldaeo-syriacae linguae, latine reddita et nonnullis accessionibus aucta ab Andr. Oberleitner. Viennae 1820.

Dr. Julius Fürst, Lehrgebäude der aramäischen Idiome. Leipz. 1835.

Quibus ex antiquioribus addendum existimamus:

Car. Schaaf, Opus aramaeum, complectens grammaticam chaldaico-syriacam, selecta Targumin cum versione latina, et lexicon chaldaicum libris V. T. chaldaeis, item selectis Targumicis accomodatum. Lugd. Bat. 1686, commendandum praecipue ob interpretationes Messianas ex Targumin excerptas.

2. *Arabicae linguae* subsidia plurima extant.

α) *Lexica* si requirimus, adsunt duo domestica (arabico-arabica), alterum Dschauharii († 1007), continens circa 40.000 voces, cujus versio Turcica prodiit Constantinopoli 1728, alterum Firusabadii († 1400), Kamûs dictum, complectens circa 60.000 voces, editum Calcutae 1817. Utrumque recedens ab ordine vocabulorum ab aliis recepto sat incommodum est. Ex posteriori hausit

Ant. Giggejus, Thesaurus linguae arabicae. Mediol. 1632, quem longe superavit

Jac. Golius, Lexicon arabico-latinum, Lugd. Bat. 1653, cui pro fundamento posito Dschauhario supplementa ex Kamuso aliisque scriptis scite accesserunt.

Recentissime comparuit

G. W. Freytag, Lexicon arabico-latinum, praesertim ex Dschauharii, Firusabadiique et aliorum Arabum-operibus, adhibitis

Golii quoque et aliorum libris confectum. Halis Saxonum 1830—1837. IV Tomi.

Omnia haec lexica apta et commoda significationum vocibus adhaerentium dispositione nec non collatione arabicorum cum hebraicis, Bibliorum studiosis exoptatissima, carent. Alius defectus, qui in lexicis antiquioribus, et haud raro etiam in Freytagii opere observatur, est, quod non allegantur loci auctorum, in quibus occurrunt significationes vocibus attributae, quo earundem examen et comprobatio impediuntur.

β) *Grammaticae:*

Ex antiquioribus notandae sunt: Thomae Erpenii Grammatica arab. (1613), edita ab Alb. Schultensio (1733), editio II. Lugd. Bat. 1748;

T. F. Hirt, Institutiones arab. linguae. Jenae 1770; item

J. D. Michaëlis, Arabische Grammatik. Gött. 1771; zweite vermehrte Auflage, nebst einer arab. Chrestomathie. Gött. 1787 (compendium Erpenii). Quae grammaticae omnes minus completae inveniuntur, utpote plures regulas grammaticales non habentes, et omnem comparationem cum grammatica hebraica praetermittentes.

J. Jahn, Arabische Sprachlehre. Wien 1796, recensitis eatenus praeferri meretur, quatenus frequenter ad grammaticam hebraicam respicit; partis tamen elementaris ac syntacticae non eam, quam par est, habet rationem.

Sylv. de Sacy, Grammaire arabe. Paris 1810. Edit. II. 1831, licet caeterum omnibus partibus absoluta, uberiori tamen arabicorum cum hebraicis collatione vel ipsa destituitur.

E. F. Car. Rosenmüller, Institutiones ad fundam. linguae arabicae; acced. sententiae ac narrat. arabicae cum glossario. Lips. 1818, compendium exhibent grammaticae de Sacy, in latinum transscriptae sine propriis annotationibus alicujus momenti.

Andr. Oberleitner, Fundamenta linguae arabicae. Viennae 1822. partim ex Rosenmülleri, partim ex Arydae grammatica conflata, continent quidem collationes hebraicorum, justo parcius tamen factas. Denique

G. Hen. Aug. Ewald, Grammatica critica linguae arabicae II Vol. Lips. 1831—33, utut in caeteris sat completa et bene disposita, attamen vel ipsa in conferendis hebraicis justo minus versatur.

γ) *Chrestomathiae arabicae* melioris notae sunt:

E. F. Car. Rosenmüller, Arab. Elementar- und Lesebuch sammt Wortregister. Leipz. 1799.

J. Jahn, Arabische Chrestomathie. Wien 1802. Cui additum est: Lexicon arabico-latinum, chrestomathiae accommodatum. Vindobonae 1802.

Sylv. de Sacy, Chrestomathie Arabe. Paris 1827.

T. God. Lud. Kosegarten, Chrestomathia arabica, addit. lexico et adnotat. illustrata. Lips. 1828.

Quibus pro usu theologico merito praeferuntur:

Andr. Oberleitner, Chrestomathia arabica. Viennae 1823, cum glossario 1824, et

Jo. Humbert, Chrestomathia arabica facilior, partim ex profanis libris, partim e s. codice collecta. Parisiis 1835, ob prolixiora, quae complectuntur, fragmenta versionum biblicarum, licet aliae, ut illa Jahnii et de Sacy, ad cognoscendum puriorem Arabismum magis idoneae sint.

Praeterea pro studio linguarum, quae ad arabicam accedunt, commemorari possunt, et quidem pro *dialecto Maurorum et Melitensium:* Mich. Ant. Vasalli Lexicon Melitense-latino-italum, Romae 1796; pro *dialecto Aethiopica* (lingua Geez) Jobi Ludolphi Grammatica aethiopica, edit. II. Francof. ad M. 1702, atque lexicon aethiop. edit. II. 1699, et quae laudantur Herm. Hupfeld, Exercitationes aethiopicae, Lips. 1825 (Conf. §. 33. nota 2.); denique pro inope *dialecto Amharica:* Jobi Ludolfi Grammatica et lexicon hujus linguae 1698.

3. Pro *lingua neohebraica*:

α) *Lexica* propria hujus linguae non extant. Cum vero neohebraica in talmudicis potissimum atque midraschicis codicibus, nec non in caeteris doctorum judaicorum scriptis cum aramaicis permixta reperiantur (§. 36. §§. 38—40.), opera lexicalia, quae pro studio illorum assignavimus, etiam pro lingua neohebraica addiscenda inserviunt. Recentissimo demum tempore F. Nork edidit lexicon rabbinicum sub titulo: Vollständiges hebräisch-chaldäisch-rabbinisches Wörterbuch über das alte Testament, die Targumim, Midraschim und den Talmud. Grimma 1842, quod tamen minoris momenti, et ob explicationes mythicas et frequentiorem linguarum orientalium cum aliis linguis collationem solido fundamento destitutam caute adhibendum est.

β) *Opera grammaticalia* pro studio hujus dialecti commendari merentur:

Danzii Rabbinismus enucleatus. Francof. 1770;

Fobers, Anmerkungen zur Erlernung des Talmud. und Rabbinischen 1770;

Landau, Geist und Sprache der Hebräer nach dem zweiten Tempelbau. Prag 1822 (besonders VII. — IX. Vorlesung).

γ) Ad *Chrestomathias* referri possunt:

Scherzeri Selecta rabbinico-philologica, edita a Joh. G. Abicht. 1705;

Dav. Milii Catalecta Rabbinica. Traj. ad Rhenum 1728;

Winer, Chrestomathia talmudico-rabbinica cum indice. Lips. 1822;

P. Ewald, Pirke Aboth, mit deutscher Uebersetzung und Anmerkungen sammt Wörterbuch. Mit einer Vorrede von Winer. Erlangen 1825. — Quibus addimus:

Julii Fürstii חֲרוּזֵי פְנִינִים Perlenschnüre aramaischer Gnomen und Lieder, oder aramaische Chrestomathie mit Erläuterungen und Glossar. Leipz. 1836; quod opus fragmenta rabbinica complectens, tamen ob temere conceptam, qua se teneri non dissimulat auctor, in adjectis

notis philologicis et exegeticis opinionem de propinquiori cognatione Sanscritismi et Semitismi caute adhibendum est. Conf. §. 33. nota 2.

Ad reliquias *linguae Punicae* et *Phoeniciae* cognoscendas serviunt: H. A. Hamacker, Diatribe aliquot monumentorum punicorum nuper in Africa repertorum interpretationem exhibens. Lugd. Bat. 1822. Ejusdem Miscellanea phoenicia. Ibid. 1822; porro Bellermann, Bemerkungen über phönicische und punische Münzen. St. I. 1812. St. II. 1814; denique Lindemann, de Punicis Plautinis. Lips. 1837.

ARTICULUS II.

DE USU LINGUAE GRAECAE COGNOSCENDO.

§. 51. Linguae graecae usus in s. Scriptura.

Cum Palaestinenses tempore Christi linguam hebraicam prae graeca in deliciis haberent (Act. XXII, 2.), procul dubio Jesus et Apostoli in Palaestina versantes ea utebantur, et quidem prout tunc in usu fuit, nempe in dialecto syro-chaldaica. Ast non ignorabatur a plerisque Palaestinensibus *lingua graeca* (Act. VI, 1. 9. XXII, 2.), quae tum in magna orbis parte propagata, cujusque gnari quoque fuerunt Apostoli (Joan. XII, 20. 21. Act. X, XXI, 37. Conf. Marc. VII, 25. seq. Joan. VII, 35.). Praesertim ex hagiographis N. T. *Matthaeus* τελώνης vi officii linguae graecae notitia carere non potuit, *Marcus* erat ἑρμηνευτὴς Petri, *Joannes* inter Graecos Ephesi et alibi diu versatus est, *Paulus* in Graecia comite *Luca* praedicavit, et vel ipsos poëtas graecos novit (Act. XVII, 28. Tit. I, 12.). Quae cum ita sint, non mirum est, si etiam libri sacri, qui ea aetate et ultimis, quae eam praecesserant, saeculis comparuerunt, *graece* sunt conscripti.

Et profecto plures libros A. T. deuterocanonicos isto sermone exaratos, omnes vero ipsum — deperdito originali hebraico nonnullorum librorum — pro primario habere, et N. T. totum graeco idiomate conscriptum nobis superesse, cum etiam Evangelii Matthaei, qui hebraice vel potius aramaice scripsit, textus originiarius non amplius, sed solum versio graeca supersit, Introductio in libros utriusque foederis docet *).

*) Inde ab Alexandro M., qui an. 334. ante Christum cum exercitu graeco in Asiam penetravit, an. 332. Hierosolymas venit, ac praeter Aegyptum Asiam usque ad Indiam in suam redegit potestatem, Graecorum lingua in Oriente, inprimis in regno Ptolomaeorum et Seleucidarum invaluit.

Italis **Josephus Flavius**, **Ignatius Martyr**, **Justinus Martyr**, et **Marcus Aurelius** graece scripserunt; imo teste **Juvenale**, Satyra VI. v. 185. seq.

„(puella) se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tuscâ *Graecula* facta est.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta."

Si vero **Hug**, Einleitung T. II. pag. 30 seq. magno eruditionis impendio Graecorum linguae usum in Asia ac inprimis in Palaestina communem fuisse cum aliis ex eo praecipue contendit, quod plurimae urbes incolas Ἕλληνας habuerint: hi Ἕλληνες saltem magna ex parte non Graeci, sed Syri, Phoenices, Arabes etc. fuerunt, cum ipse Josephus, quo teste **Hugius** utitur, hos incolas promiscue Ἕλληνας et Syros nominet, e. g. Antiq. XII, 4. 5. XX, 8. 7. Bell. Jud. II, 13. 7. etc., et Peschito Ἕλλην saepissime vertat ܐܪ̈ܡܝܐ, e. g. Act. XIX, 10. 17. etc. Certe Josephus se solum Judaeos transfugas ad Romanos intellexisse, narrat contra Apion. I, 9. et aliunde notum est, Judaeos reliquas linguas patria inferiores duxisse. Antiqq. XX, 11. 2. Conf. **Wiseman** Horae Syr. Romae 1828. T. I. pag. 69 seq.

Quae vero ex altera parte **Pfankuche**, Vol. VIII. Biblioth. Orient. Eichhornianae pro deneganda prorsus incolis Palaestinae notitia linguae graecae protulit, aperte nimium probant, et Apostolis nequaquam quadrant. Nec **Bolten** (Uebersetzung der N. T. Briefe, T. I. Vorrede p. XXI.) et **Bertholdt** (Einl. T. V. 2. Hälfte p. 27, 32) doctorum suffragia tulerunt contendentes, Pauli epistolas primitus *aramaice* fuisse consignatas.

§. 52. Divisio hujus articuli.

Cum itaque res sit in facto posita, libros A. T. deuterocanonicos, nec non libros N. T. omnes non extare nisi *graece* conscriptos, necesse est, ut etiam de *graeco loquendi usu* nonnulla praecipiamus. Qua in tractatione iterum priori loco *indolem linguae graecae biblicae*, et quidem quatenus omnibus hagiographis graecis communis, et quatenus pro diversitate eorum peculiaris est, describemus, posteriori vero *diversos fontes ac subsidia*, ex quibus linguae hujus pro diversis, quae eam constituunt, elementis cognitionem haurire oporteat, indicabimus.

A. *INDOLES LINGUAE GRAECAE, ET QUIDEM*

I. OMNIBUS SCRIPTORIBUS SACRIS COMMUNIS.

§. 53. Proprietates ejusdem.

Oratio graeca, in libris V. T. deuterocanonicis et in N. T. obvia, plurima quidem exhibet, quae apud optimos Graeciae scrip-

tores occurrunt [1]); sed pure graeca minime potest praedicari, quia inveniuntur in illa voces et dictiones, quas in scriptoribus classicis frustra quaesiveris. Praeterea deprehenduntur voces et dictiones quidem antiquae, at cum significationibus, quae graecis auctoribus aureae aetatis familiares non erant.

Transierunt vero in eam, qua scriptores sacri usi sunt, linguam graecam etiam haud pauca ex linguis peregrinis decerpta, praesertim hebraica et aramaica, rabbinica, alia orientalia, imo etiam quaedam latina, de quibus omnibus jam singillatim dicendum est [2]).

[1]) Non solum plurima bene graeca, sed omnino ejusmodi in codice sacro praesto sunt vocabula, quae rei alicui exprimendae peculiariter a Graecis destinata, seu technica sunt. Sic e. g. verbum ἐξηγεῖσθαι, Joan. I, 18. optime graeca positum esse significatione, jam Chrysostomus observavit. Nec immerito quidem, ἐξήγησις enim Graecis, teste Schol. ad Sophocl. El. 426. fuit διασάφησις θείων sc. πραγμάτων, *rerum divinarum expositio*, et Jul. Pollux (8. 124.) narrat, ἐξηγητάς appellatos fuisse eos, qui, quae ad prodigia aliasque res sacras pertinerent, docere soliti fuerunt; Xenophon vero (Cyropaed. 8, 3. 11.) sacra, ait, facta esse, ut οἱ μάγοι ἐξηγοῦντο.

[2]) De classica N. T. puritate per duo fere saecula acriter praecipue inter Protestantes disputatum fuit a sic dictis Puristis et Hebraistis sive Helenistis. Verum hujusmodi linguae graecae puritas apud hagiographos in circumstantiis, in quibus erant, sine miraculo concipi nequit. Tale autem miraculum a providentia divina exspectare non licet, utpote quod non modo absque fine fuisset, sed plane contra primarium scriptorum sacrorum scopum pugnasset, qui fuit, ut a lectoribus suis, idiomati graeco recentiori ac impuriori assuetis, probe intelligerentur. Conf. infra §§. 54. 55.
Plura hac de re habent: D. Henr. Aug. Schott, Isagoge in libros N. T. 1830. p. 497 seq. nota 1. 2. Danz, Encyclopaedie p. 180. nota 5. Bened. Winer, Neutest. Sprachidiom. IV. Aufl. T. I. p. 13 seq.

§. 54. Recentior lingua graeca.

Primum igitur observandae veniunt recentiores linguae graecae peculiaritates, quas in libros quoque sacros ingressas esse, mirum non est. Tempore enim, quo graeca s. Scripturae volumina exarabantur, aetas aurea linguae graecae dudum elapsa erat, et ipsi scriptores Graecorum profani philosophia, quam speculativam dicunt, delectati elegantiam linguae, cui caeteroquin bella continua erant iniqua, minus curarunt; ut taceam de necessitate, novas notiones ex Asia imprimis allatas aut novis terminis aut aliis priorum vocum significationibus designandi. Praecipue sub Macedonum imperio diversae Graecorum dialecti in unam linguam vulgarem coaluerunt, a

dorica dialecto non adeo alienam, dialectum atticam, caeteris quippe cultiorem, haud raro, praecipue in scribendo sectantem, attamen, omnes dialectos plus minusve consociantem, quae propterea διαλεκτὸς κοινὴ dicebatur [1]; cui vero haud pauca secundum analogiam recens formata accedebant [2]). Quae jam recentioris linguae graecae proprietates a lingua graeca biblica abesse non poterant, cum cognitio idiomatis graeci praesertim a tempore Alexandri M. ad Orientales et Judaeos pervenisset, et auctores sacros non solum versio LXX interpretum, sub Ptolomaeis eadem dialecto Hellenistica exarata ad imitationem incitasset, sed haud raro scriptionis materia coegisset, ut a graecitate classica discederent, quia nempe res, inprimis notiones religiosae, graeca voce designandae erant, quibus adaequate et perspicue exprimendis nulla ex illius vocibus, quae suppetebant, apte inserviebat.

1) En permixtionis dialectorum pauca exempla! Ad *voces jonicas* referuntur: *ἔκτρωμα foetus abortivus* (I. Cor. XV, 8.) et *σκορπίζειν dissipare* (I. Macc. VI, 54. Joan. X, 12.). Ejusdem dialecti *formae* habentur: οἱ δεσμοὶ *vincula* (Philipp. I, 13.), *ῥήσσω frango* (Marc. II, 22. IX, 18.); Attici τὰ δεσμὰ (Luc. VIII, 29.), *ῥήγνυμι* (Matth. IX, 17.) scripserunt. Ad dialectum *doricam* κολλυβιστὴς *numularius* (Matth. XXI, 12. al.), πανδοχεῖον, diversorium (Luc. X, 34) et *πιάζειν prehendere* (Act. III, 7. al.) spectant, pro quibus attica habet: ἀργυραμοιβός, πανδοχεῖον et πιέζειν.

2) Nova sunt vocabula, quae vel in Graecorum scriptoribus *plane non* deprehenduntur, uti ἀλεκτοροφωνία *gallicinium* (Marc. XIII, 35.), μυκτηρίζειν (I. Macc. VII, 34. Gal. VI, 7.) et ἐκμυκτηρίζειν (Luc. XVI, 14. XXIII, 35.) *naribus suspensis aliquem deridere;* vel apud scriptores biblicos *novâ formâ* dicuntur, e. g. μετοικεσία *migratio a sedibus domesticis in sedes alienas, exilium* (Matth. I, 11. 12. 17.) pro μετοίκησις, καύχησις *gloriatio* et *materia gloriandi et laetandi* (Sirac. XXXI, 10. Rom. III. 27.) pro καύχη, πανοικὶ *cum tota familia* (Act. XVI, 34.) pro πανοικησία et πανοίκια, ὀρθρίζειν *diluculo surgere, primo mane aliquid agere* (Sirac. XXXIX, 6. I. Macc. VI, 33. XI, 67. Luc. XXI, 38.) pro ὀρθρεύειν; vel *nova significatione*, uti ἀποτάσσεσθαι τίνι *valedicere alicui* (Act. XVIII, 18.), παιδεύειν *castigare, punire* (Sap. III, 5. II. Macc. VI, 16. I. Cor. XI, 32. al.) adhibentur.

De his aliisque permultis ad graecitatem recentiorem pertinentibus conf. Sturz, De dialecto Macedonica et Alexandrina. Lips. 1808. et praesertim Phrynichii Eclogae nominum et verborum atticorum etc. edidit et explicuit A. Lobeck. Lips. 1820. De antiquis vero Graecorum dialectis et de compellationibus διαλεκτὸς κοινὴ vel ἑλληνική et κοινοὶ vel ἕλληνες vide Ph. Buttmann, Ausführliche griechische Sprachlehre. Berlin 1819. pag. 1 seq.

§. 55. Hebraica et Aramaica.

Hebraica in graeca, qua hagiographi Judaei usi sunt, oratione vel eo recurrent plurima, quia non multum ante patria lingua esse desiit hebraica, cujus proprietates eo minus dimittebantur, quo magis usu religioso consecratae et quasi technicae factae erant, et quo magis lectione sacri codicis continuo recoquebantur. *Aramaica* autem, cum lingua Palaestinensium vernacula esset, cui proin plures hagiographorum a pueris assueti fuerint, ad graecum eorum idioma immutandum non potuit non plurimam vim habere.

Caeterum praeter voces prorsus hebraicas sive aramaicas, graecis tantum literis scriptas et quodamodo graece formatas [1]) duplicis generis *hebraismi* et *aramaismi* distinguuntur, *perfecti* nempe et *imperfecti*. Ad priores referuntur illae voces, loquendique rationes ac constructiones, quae prorsus non possunt aliunde derivari, quam ex hebraicis sive aramaicis [2]), ad posteriores vero illae, quae, quamvis apud profanos Graeciae auctores subinde eaedem aut simillimae obveniant, multo probabilius tamen apud auctores sacros ob circumstantias supra allegatas ex sermone hebraico sive aramaico, quam ex graecis originem traxisse existimantur [3]).

Inprimis vero attendendus est hebraissans prorsus elocutionis genius, a quo periodi, connexiones insolentiores atque dictionis insignis varietas et elegantia Graecorum absunt [4]).

[1]) Ejusmodi sunt e. g. ἀββᾶ (אַבָּא) *pater*, Marc. XIV, 36. al., ἀκελδαμά (comp. ex חֲקַל et דְּמָא) *ager sanguinis*, Act. I, 19., ἀλληλούϊα (הַלְלוּ־יָהּ) *celebrate Jehovam*, Apoc. XIX, 1. 3. 4. 6., βοανεργές (ex בְּנֵי et רְגַשׁ) *filii tonitruum*, Marc. III, 17., Μεσσίας (מָשִׁיחַ) *Messias*, Joan. I, 42. IV, 25., ῥάκα (רֵיקָא) *homo vanus*, *fatuus*, Matth. V, 22., ὡσαννὰ (הוֹשִׁיעָה־נָּא) *serva quaeso*. Matth. XXI, 9. al. et aliae.

[2]) Quod *hebraismos perfectos* attinet, exempla, quae manifesto hebraicorum imitationem praeseferunt, proponimus tum *voces*, uti δεκαδύο *duodecim* (שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה), Act. XIX, 7. XXIV, 11., ἐνωτίζεσθαι (הֶאֱזִין) *auribus percipere*, Sapient. VI, 2. Act. II, 14., προσωποληπτεῖν (נָשָׂא פָּנִים) *faciem* seu *personam respicere*, Jac. II, 9.; tum *dictiones*, cujusmodi sunt: ἅιμα τίνος ἐκχύνειν sive ἐκχέαι *aliquem trucidare* (שָׁפַךְ דָּם) Sirac. XXXIV, 27. Luc. XI, 50. al. ἄρτον ἐσθίειν sive φαγεῖν *cibum capere* (אָכַל לֶחֶם) Matth. XV, 2., ὀφθαλμός πονηρός *invidia* (רַע עַיִן) Sirac. XIV, 10. Marc. VII, 22.; tum *significationes*, quo spectant: αἰὼν (עוֹלָם) *tota rerum universitas*, *mundus*, Baruch III, 3. Hebr. I, 2. al., εἰρήνη (שָׁלוֹם) *felicitas*, Sapient. III, 3. Luc. I, 79. al., ἐξομολογεῖσθαι (הוֹדָה) cum dativo personae *laudare*, *celebrare*. Cant. trium puerorum v. 66.

Matth. XI, 25. al., *πορεύεσθαι* (הָלַךְ) *de ratione vitae instituendae*, Sirac. V, 2. I. Macc. VI, 23. 59. Act. IX, 31. al.; tum denique *constructiones*, quales habentur: usus particulae *ἔι* (אִם) in formula jurandi, Judith I, 12. Marc. VIII, 12. circumlocutio superlativi per praepositionem *ἔν* sequente dativo, uti *μικρά ἔν πετεινοῖς*. Sirac. XI, 3. *εὐλογημένη ἔν γυναιξίν*, Luc. I, 28., verbum *προστιθέναι* sequente alterius verbi infinitivo, quo adverbium *iterum, porro, insuper* circumscribitur (ad modum hebraici יָסַף) Tob. XIV, 2. Luc. XX, 11.

[3]) *Hebraismos imperfectos*, quorum ingens numerus in graecis s. Scripturae partibus occurrit, paucis exemplis illustrasse sufficiat. In hunc censum veniunt *voces et significationes*: *ἀνάγκη angustia*, *calamitas*, *miseria*, Tob. IV, 9. Luc. XXI, 23. I. Cor. VII, 26., *ἔις τὸν ἀιῶνα* sive *ἔις τοὺς ἀιῶνας in aeternum*, Sirac. XVIII, 1. Luc. I, 33. Joan. VI, 51. 58. al., *ἔις ἀπάντησιν obviam*, Matth. XXV, 1. 6. (conf. צָרָה, לְעוֹלָם, לִקְרַאת), et *dicendi ac construendi rationes*, uti adjectivum neutrum singulare, rarius plurale, sequente genitivo substantivi, ut *τό γνωστὸν τῦ Θεῦ*, id est *γνώσις τῦ Θεῦ*, prout Chrysostomus locum Rom. I, 19. explicat; *τὰ ἀόρατα τῦ Θεῦ*, *quae in Deo invisibilia sunt*, Rom. I, 20., genitivi substantivorum adjectivis circumscribendis inservientes, ut *σκεῦος ἐκλογῆς instrumentum electum* sive *praestantissimum*, Act. IX, 15., pleonasmus pronominis, ut *όῦ τό πτύον ἔν τῇ χειρὶ ἀυτῦ*, *qui ventilabrum manu sua tenebit*, Matth. III, 12., denique *ἔἶναι* cum participio pro modo finito, ut *ἤμην πρὸς ὑμᾶς διδὰσκων apud vos docebam*, Marc. XIV, 49. et alia.

Quibus subjungimus nonnulla exempla *aramaismorum*: *γεύεσθαι θανάτου* (מִטְעַם מִיתָא) *mortem gustare*, i. e. *mori*, Matth. XVI, 28. al., *όυρανός* (שְׁמַיָּא Dan. IV, 23. coll. 22.) *coelum* pro *Deo*, I. Macc. III, 19. Matth. XXI, 25. Luc. XV, 21., *ὀφειλήματα ἀφίεναι* (שְׁבַק חוֹבָא) *remittere peccata*, Matth. VI, 12. *δέειν* et *λύειν* (אֲסַר et שְׁרָא) *interdicere* et *licitum declarare atque constituere*, Matth. XVI, 19. XVIII, 18. etc.

[4]) Elocutionis vel styli hebraissantis exempla fere quilibet versus librorum deuterocanonicorum V. T. et omnium N. T. exhibet. Caeterum hoc loco monere juvat, *hebraismi* nomine sensu latius accepto haud raro etiam aramaismum, imo et alios Orientalium loquendi modos venire.

§. 56. Rabbinica.

Hebraismis et Aramaismis linguae graecae Bibliorum merito subjungimus *Rabbinismos* i. e. voces ac dictiones graecas ad normam vocum dictionumque usurpatas, quales circa aetatem Christi in sacris Judaeorum precibus, in sermonibus et in scriptis judaicorum doctorum legisque interpretum venire solebant *). Neque mirum est, tales proprietates in libros graecos s. Scripturae, praesertim N. T. irrepsisse, cum scholis judaicis, quarum incunabula

teste Talmude ex tempore ante aevum apostolicum repetenda sunt, et inter quas aetate Christi schola *Hillelis* et schola *Schamai* eminebant, originem debeant, et magistri Judaeorum eorumque discipuli in N. T. haud raro loquentes inducantur, atque docti (*γραμματεῖς, νομοδιδάσκαλοι, σοφοί*) indoctis (*ἰδιώταις, νηπίοις*) opponantur.

*) *Rabbinismorum* exempla sunt: *σάρξ καί αἷμα* (דָּם וּבָשָׂר) *homo*, Sirac. XIV, 18. Matth. XVI, 17. al., *ἐν ὀνόματι* (לְשֵׁמָה) *ratione alicujus habita*, Matth. X, 41., *παράκλησις τῦ Ἰσραήλ solatium Israelitarum*, i. e. *Messias*, Luc. II, 25. Expressiones, cujusmodi sunt: *ἄνωθεν* (מִמַּעַל) *γεννηθῆναι coelitus nasci, renasci*, Joan. III, 3., *παλιγγενεσία regeneratio*, Tit. III, 5., *καινὴ κτίσις* (בְּרִיָּה חֲדָשָׁה) *nova creatura*, Gal. VI, 15. Rabbini jam de proselytis Judaismi adhibuerunt.

Etiam *ratio citandi* in scriptis N. T. non est alia, quam quae doctoribus Judaeorum in usu fuit, ut Marc. II, 26. *ἐπι Ἀβιάθαρ* i. e. I. Sam. XXI.—XXII. Marc. XII, 26. *ἐπὶ τῆς βάτϋ* i. e. Exod. III, 2. seq., Rom. XI, 2. *ἐν Ἠλίᾳ* i. e. I. Reg. XIX, 10. seq.

Denique in epistolis Paulinis ratio argumentandi seu potius illustrandi haud raro ad methodum magistris Judaeorum usitatam conformata censetur.

§. 57. Alia Orientalia.

Arabica etiam, *aegyptiaca* et *persica* in lingua graeca s. Scripturae, nominatim N. T. inveniri, quidam, et inter hos praesertim *Michaëlis* et *Boltenius*, contenderunt.

Quod *Arabismos* attinet, alii eruditi rectius existimant, stricte tales non esse admittendos, non tantum quia lingua palaestinensis quam proxime ad syriacam accessit, quae ab arabica majori distat spatio, sed praecipue quia exempla, quae afferunt Arabismorum patroni, eos non evincunt [1]). Singula tamen vocabula ex *aegyptiacis* et *persicis* oriunda subinde offendunt lectores [2]).

[1]) Ad *Arabismos* referunt *εὐαγγελίζεσθαι admonere* (ex arab. بَشَّرَ) Act. XIV, 15, *ἀγαλλιᾶσθαι ludibrio habere* (ut فَرِحَ coll. Sura XL, 83.) Joan. V, 35., quae sicut alia, ab *A. Arigler* in Hermeneut. §. 40. allata partim incerta sunt, partim non necessaria pro expositione.

[2]) *Aegyptiaca* dicunt: *βαΐον ramus palmae*, I. Macc. XIII, 51. Joan. XII, 13. *ὀθόνιον fascia sepulcralis*, Luc XXIV, 12. al., *σινδών linteum*, Matth. XXVII, 59. al.; *persica*: *ἀγγαρεύειν cogere*, Matth. XXVII, 32. al., *γάζα aerarium, thesaurus regius*, Act. VIII, 27., *μάγοι sapientes*, Matth. II, 1. seq. Act. XIII, 6. 8. *μεγιστᾶνες magnates, principes*, Sirac. XI, 1. Marc. VI, 11., *παράδεισος paradisus*, Sirac. XXIV, 30. Hist. Susannae v. 7. 25. Luc. XXIII, 43. al.

§. 58. Latina.

Quodsi in lingua graeca biblica plures etiam inveniantur *Latinismi*, id nemini mirum videbitur, qui historiae gnarus meminerit, Graecos et Judaeos jam ante aetatem apostolicam in potestatem Romanorum redactos fuisse, et magistratus et milites Romanos sibi impositos habuisse *).

*) Documento sint:

a) *Vocabula prorsus latina*, graece quodammodo formata: ἀσσάριον *obulus romanus, as, assis*, Matth. X, 29. al., δηνάριον *denarius*, numisma pro decem valens assibus, Matth. XVIII, 28 al., κεντυρίων *centurio* Marc. XV, 39. seq., κῆνσος *census*, *tributum*, Matth. XVII, 25. al., κοδράντες *quadrans*, Matth. V, 26. al., κολωνία *colonia*, Act. XVI, 12. κουςωδία *custodia*, Matth. XXVII, 65. al., λεγεών *legio*, Matth. XXVI, 53. λέντιον *linteum*, Joan. XIII. 4. 5., μάκελλον *macellum*, I. Cor. X, 25., πραιτώριον *praetorium*, Matth. XXVII, 27. al., σιμικίνθιον *semicinctium*, Act. XIX, 12., σουδάριον *sudarium*, Luc. XIX, 20., σπεκουλάτωρ *spiculator*, dictus a spiculo, vel *speculator* a speculando, Marc. VI, 27., τìτλος *titulus*, *inscriptio*, Joan. XIX, 19. 20., φραγέλλιον *flagellum*, Joan. II. 15.

b) *Phrases latinae*, συμβούλιον λαμβάνειν *consilium capere*, Matth. XII, 14. al.; τὸ ἱκανὸν ποιεῖν τῷ ὄχλῳ *satisfacere populo*, Marc. XV. 15.; τὸ ἱκανὸν λαμβάνειν *satisfactionem* seu *sponsionem accipere*, Act. XVII, 9.; σὺ ὄψει, Matth. XXVII, 4. quod aperte imitatur latinum: *Tu videris*, Graeci enim dicunt σοὶ μελέτω seu μελήσει; δός ἐργασίαν *da operam*, Luc. XII. 58.; ἔχε με παρῃτημένον *habe me excusatum*. Luc. XIV, 19.

Conf. Plank (junior), Commentat. de vera natura atque indole orationis graecae N. T. Gött. 1810.

II. INDOLES LINGUAE GRAECAE

PRO DIVERSITATE AUCTORUM SACRORUM ET QUIDEM

§. 59. quoad singulorum proprietates.

Ex hucusque dictis intelligimus indolem linguae graecae, quae apud omnes hagiographos graecos generatim in usu fuit, sed nondum cognoscimus eam, quam pro diversitate eorum peculiarem subiit immutationem.

Et primum quidem, quia usus cujuslibet linguae etiam aliquatenus auctore determinatur (§. 18. 6.), certis proprietatibus omnes quoque graeci s. Scripturae auctores distinguuntur. Licet enim omnes oratione graeca recentiori, orientalibus aliisque exoticis

permixta uterentur, ea tamen aliam in aliis paene naturam induisse videtur, cum alii sermonem graecum accuratius exprimerent [1]; alii contra graecitatem deterioris notae atque impuram magis manifestarent [2]; alii denique in aliis a caeteris discederent, exhibentes expressiones aut significationes privas vel saltem adamatas et solemnes [3]. Ut proin linguam graecam biblicam plane cognoscamus, non solum ad ea, quae omnibus scriptoribus communia, sed etiam ad ea, quae singulis propria sunt, respiciamus necesse est.

[1]) Prae caeteris pro ingenio graeci idiomatis exarata censentur *Edicta*, quae continentur in libro *Esther*, nec non *liber Sapientiae*, *II. Maccabaeorum* et in N. T. *Lucas*.

[2]) Graecitatem deteriorem magisque hebraissantem redolere libros, qui ex orientali idiomate in graecum transierunt, ex rei natura facile intelligitur. Ejusmodi sunt: Siracides, I. Maccabaeorum et Baruch, quorum versio hebraicis adeo presse adhaeret, ut haud raro dura et minus perspicua existat, ita quidem, ut vix intelligatur, nisi hebraice cogitetur. Cujus generis translationes serviles sunt: οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς, Sirac. VI, 1. (hebr. כֵּן חַטָּא) *sceleratus manifestus*, ἥμεραι ἀριθμȣ̃, ibid. XVII, 2. (hebr. יְמֵי מִסְפָּר) *dies pauci*, *tempus breve*, ἀπὸ προσώπȣ λόγου, ἀπὸ προσώπȣ βρέφȣς, ibid. XIX, 11. (hebr. לִפְנֵי דָּבָר, לִפְנֵי עוֹלֵל) *ante verbum*, *ante infantem*. Similiter ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία ἐναντίον Ἀντιόχȣ, I. Macc. I, 16. non est clarum, nisi interpreteris hebraice (תִּכּוֹן מַמְלַכְתּוֹ), cujus sensus facilis et commodus erit: *regnum ejus stabilitum*. Prorsus obscurum versio relinquit locum Sirac. XLIII, 8. μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς (σελήνης) εστιν *mensis ab ea* (luna) *denominatur* cum in graeco μὴν nequaquam a σελήνη, bene vero in hebraico יֶרַח (mensis) a יָרֵחַ (luna) nomen suum derivet. Ejusdem generis quam plurima occurrunt.

In N. T. caeteris magis hebraissant et impuriori graecitate utuntur Matthaeus et Marcus.

[3]) Quaedam peculiaria aut certe magis adamata omnes graeci hagiographi exhibent; alii tamen ab aliis plus differunt.

In V. T. inprimis notatu digna est elegans ac singularis paronomasia in historia Susannae v. v. 54—59., qua in sententia Danielis contra judices lata ad nomina graeca arborum σχῖνος et πρῖνος ita alluditur, ut jam veteres (vide Hieronymi Praef. in Dan.) inde ad idioma graecum hujus historiae, quod solum admitteret illas allusiones etymologicas, concluserint. Nihilominus Dereser eas etiam ex hebraico derivari posse putat. Vide: Die heilige Schrift des A. T. von Dominicus v. Brentano (fortgesetzt von Dereser) IV. Th. III. B. Frankf. a. M. 1814. Einleitung zum Proph. Daniel, §. 3. II. Imo Dr. D. Haneberg, Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung. Regensburg 1850, p. 369, eisdem in linguis Semeticis revera locum esse ostendit.

In N. T. praecipue Joannes et Paulus a caeteris discedunt. Priori peculiares sunt, aut magis familiares quaedam voces et dictiones, quae notiones dogmaticas atque morales exprimunt, uti τὴν ἀλήθειαν ποιεῖν (Ev. III, 21. I. Ep. I, 6.), ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖν (II. Ep. 4. III. Ep. 3.) *probe agere, verae religioni convenienter vivere*, ἀνάστασις ζωῆς, ἀνάστασις κρίσεως (Ev. V, 29.) *felicitas et poena aeterna post resurrectionem*, ἀληθινός (Ev. VII, 28. Apoc. III, 7. 14. al.) *verus* de Deo; imprimis vero λόγος *verbum hypostaticum*, *Christus filius Dei*, (Ev. I, 1. seq. I. Ep. V, 7. Apoc. XIX, 13.), μονογενής (Ev. I, 14. I. Ep. IV, 9.) *unigenitus et dilectissimus aeterni patris filius*, παράκλητος (Ev. XIV, 16. al. I. Ep. II, 1.) *Spiritus Sanctus* et *Christus*, *qua advocatus noster*, etc.

Paulo autem privae et adamatae sunt expressiones et significationes, ut ἁγιωσύνη *vitae integritas*, *sanctitas* (II. Cor. VII, 1. al.), δικαίωσις *justificatio* (Rom. IV, 25. al.), καταλλάγη *reconciliatio* (Rom. V, 11. al.), μεσίτης *mediator* (I. Tim. II, 5. al.), υἱοθεσία *adoptio* (Rom. VIII, 15. al.), ὁ παλαιός ἄνθρωπος *vetus homo* — erroribus et vitiis corruptus (Ephes. IV, 22. al.), ὁ καινός ἄνθρωπος *novus homo* — luce religionis christianae illustratus et emendatus (ibid. II, 15. IV, 23.), item oppositio πίστεως et νομοῦ, porro σαρκὸς et πνεύματος, praesertim in epist. ad Rom. et Galatas, et sexcenta alia. Praeterea Paulo quoque tribuuntur *Cilicismi*, praeeunte s. *Hieronymo*, qui ad Algasiam, quaest. X. Opp. T. IV. p. 204. edit. Martianay, ita scribit: „Multa sunt verba, quibus juxta morem urbis et provinciae suae familiarius Apostolus utitur, e quibus e. g. pauca ponenda sunt: *Mihi autem parum est judicari ab humano die*, i. e. humano judicio (I. Cor. IV, 3.), et οὐ κατενάρκησα ὑμῶν *non gravavi vos* (II, Cor. XII, 13.), et μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω *nemo vos decipiat, proposito praemio privans* (Col. II, 18), quibus et aliis verbis usque hodie utuntur Cilices."

Plura de usu peculiari Deuterocanonicorum V. T. leguntur in opere: Einleitung in die apocryphischen Schriften des A. B. von Joh. G. Eichhorn. Leipz. 1795; porro in A. Th. Hartmann, Linguist. Einleitung in das Studium der Bücher des A. T. Bremen 1818. p. 323 sqq. Conf. etiam Zeitschrift für Philosophie u. kathol. Theologie. XIII. Heft. De usu peculiari scriptorum N. T., uberius agit H. Aug. Schott, Isagoge in libros N. T., cui adde C. G. Gersdorf, Beitraege zur Sprachcharacteristik der neutestamentlichen Schriftsteller. Leipz. 1816. Tom. I.

§. 60. Quoad elementa christiana in N. T.

Ad recensitas linguae graecae proprietates singulorum s. Scripturae auctorum in N. T. addendae sunt aliae, quae doctrinae christianae originem debent. Cum enim haec doctrina novas attulisset notiones religiosas ac morales, pro quibus, utpote re hucusque ignota, in nulla, adeoque nec in ea lingua, de qua nobis sermo est

prostarent termini, necessum fuit, ab auctoribus N. T. res christianas ejusdem idiomatis literis consignaturis aut vocabula, quae praesto essent, novis significationibus augeri, aut nova vocabula cudi.

Prius quidem haud raro factum reperitur [1]; posterius vero ob notiones qua christianas rarissime, licet vocabula nova in N. T. non desint [2]. Ad completam itaque linguae graecae biblicae notitiam requiritur, ut haec quoque *religioni christianae peculiaria* probe teneat interpres biblicus.

[1]) Novae significationes sunt: ἅγιοι sive ἐκλεκτοὶ *Christiani*, δικαιωσύνη *probitas universe*, *status beneplaciti divini per Christum*, δικαιῦσθαι *justificari*, *Deo probatum reddi*, ἔργα *facta legi mosaicae conformia*, etiam *virtus christiana* (Rom. III, 27. sqq. Jac. II, 20. sqq.), ἐκκλησία *societas credentium a Christo fundata*, ἐυαγγέλιον *laetum nuntium regni divini per Christum institui*, et *doctrina Christi* ipsa, οἰκοδομὴ *incrementum fidei virtutisque Christianorum*, πίστις *assensus*, *qui religioni Christ tribuitur*, et *ipsa doctrina a Christo tradita*, etc. σωτηρία, σώζεσθαι *de salute per Christum parta*, porro ἄνθρωπος ἐν χριςῷ II. Cor. XII, 2., σῶμα χριστῦ I. Cor. XII, 27. χριστὸν ἐνδύσασθαι Gal. III, 27., γαμηθῆναι ἐν κυρίῳ I. Cor. VII, 39., ἡμέρα κυριακη Apoc. I, 10. et alia hujus generis, quae facile intelliguntur.

[2]) Ad vocabula *nova* referunt: ἀγαθοεργεῖν *beneficum se exhibere*, I. Tim. VI, 18., ἀγενεαλόγητος *sine genealogia*, Hebr. VII, 3., ἀγνότης *integritas*, *innocentia*, II. Cor. VI, 6., ἀλληγορεῖν *per allegoriam loqui*, Gal. IV, 24., διακατελέγχεσθαι *refutare*, Act. XVIII, 18. etc. Praesertim apud Lucam et Paulum ejusmodi verba novata obveniunt. Nomen χριστιανὸς ad sectatores Christi designandos (Act. XI, 26. al.) recens excusum est.

§. 61. Denominatio linguae graecae biblicae.

Quaerunt, quo termino technico linguam his proprietatibus gaudentem denominare conveniat? Aliqui eam *dialectum Hellenisticam* sive *Alexandrinam* appellant, cum Judaei graece loquentes Ἑλληνισταὶ nominentur (Act. VI, 1. IX, 29.), et haec lingua praeprimis Alexandriae in usu fuerit. Ast primum quidem compellationem dialecti, cujus notio finibus circumscribitur angustioribus, parum recte ad hanc linguam, utpote et dialectorum et linguarum diversarum (§§. 53—60) misturam transtulerunt. Dein vero *Hellenistica* haec lingua non prorsus adaequate dicitur, quia Ἑλληνισταὶ in dicto sensu omnes scriptores N. T. e. g. Lucas non erant; porro indigitata significatio biblica substantivi Ἑλληνιστὴς

ipsa vix recte accipitur, cum potius Judaeos sermonis graeci gnaros, extra Palaestinam degentes designet. Neque denominatio: *Alexandrina* perfecte quadrat, quia nequaquam Alexandrini soli idioma hoc sibi vindicarunt. Hinc alii linguam graecam s. Scripturae Hellenismum, ad indolem linguae hebraicae et aramaicae conformatum, vel linguam hebraeo-graecam appellant; rectius *lingua graeca biblica* dicitur, cum extra s. Scripturam et ejus versiones graecas parum sit usitata *).

*) Conf. Morus, Acroas. hermeneut. Vol. I. p. 222.—234. De Wette, Einleit. in das N. T. 1830. p. 4 seq. Schott, Isagoge in N. T. p. 508 seq.

B. *DE FONTIBUS AC SUBSIDIIS*
LINGUAM GRAECAM BIBLICAM COGNOSCENDI.

§. 62. Unde cognitio linguae graecae biblicae sit haurienda?

Exposita sic indole linguae s. Scripturae graecae jam agendum est de fontibus ac subsidiis, quibus ejus cognitio comparari debet. Quod studium longe prosperius nobis procedet, quam hebraicae linguae investigatio, cum directa usus linguae graecae biblicae testimonia ex ea aetate, qua vivebat, sat copiosa praesto sint.

Fontes autem, ex quibus dicta testimonia haurire oporteat, diversi generis esse, facile intelligitur, cum variae sint partes, ex quibus lingua haec quasi coaluit. Quatenus quidem de cognitione elementi graeci agitur, *fontes graeci*, quatenus vero de cognoscendo elemento orientali sermo est, *fontes orientales* erunt consulendi. Porro quia usum communem et peculiarem distinguendum diximus, etiam hujus discriminis in fontibus designandis ratio habenda erit. Quare cum Graecismus et Orientalismus usum constituant, qui in omnibus graecis s. Scripturae auctoribus modo hoc modo illo praedominante obvius est, primo loco ponimus fontes, qui ad usum hunc *communem* cognoscendum inserviunt; dein subjungemus fontes, ex quibus, quod ad usum pro diverso auctorum ingenio *peculiarem* eruendum pertinet, petendum est; denique, quoniam fontes exstant, ex quibus *tum hujus tum illius usus* cognitio hauriatur, eos postremo assignabimus *).

*) Expressiones aegyptiacae, persicae et latinae in nostris auctoribus obvenientes partim in Graecismo recentiori jure civitatis donatae, ex hujus fonti-

tus dilucidandae sunt, partim (ut latinae) fontes habent aliunde notissimos, ita ut eosdem singillatim recensere haud opus sit.

I. FONTES USUS LOQUENDI COMMUNES,

A. QUATENUS GRAECUS EST.

§. 63. Scriptores graeci.

Quia linguae graecae notitia ex Graecis petenda est, etiam ad s. Scripturae usum, in quantum est graecus, cognoscendum illustrandumque scriptores graecos adhibendos esse, res adeo manifesta est, ut nulla demonstratione egeat. Id tamen considerata linguae graecae biblicae indole ac natura rei notare juvat, atticae puritatis sectatores, licet non prorsus negligendi sint, longe tamen postponendos esse iis, qui sequiori aevo scripserunt, et quidem eo magis, quo viciniores hi fuerunt sive aetati sive patriae hagiographorum, vel etiam quo simpliciori stylo usi sunt. Quibus ex titulis ab eruditis prae caeteris commendantur: *Aelianus, Apollodorus, Aristoteles, Diodorus Siculus, Herodianus, Lucianus, Plutarchus, Polybius, Theophrastus* etc., quibus adhuc praestant *Josephus Flavius* et *Philo Alexandrinus*, utpote Judaeo-Graeci, scriptores domestici, et quoad aetatem nostris proximi.

§. 64. Usus eorum multiplex.

Praecipua, quae Graecorum studium interpretationi s. Scripturae graecae praestat commoda, haec sunt: Generatim interpres graecitatis peritus, indolem sermonis biblici ubique rite aestimare, pura a barbaris, bene graeca ab hebraissantibus distinguere sciens, singulas voces loquendique modos ex eo, ad quem reapse spectant, usu interpretari, sicque errores, qui ex permutatione vel permixtione unius loquendi usus cum altero, puta bene graeci cum barbaro vel orientali, necessario oriri debent, evitare valebit [1]).

In specie Graeci

a) *ratione lexicali* interpreti serviunt, dum voces loquendique rationes obscuriores, quales praecipue esse solent ἅπαξ λεγόμεναι, rariores et plus minusve omnes, quae per contextum, locos parallelos, aliave subsidia, ex s. Scriptura ipsa petita, satis illustrari et definiri nequeunt, declarant ac definiunt [2]); dum

etiam quoad vocabula in s. codice frequentata, praesertim polysema non solum notiones omnes, haud raro multiplices, nonnunquam divergentes, imo et oppositas docent, sed eam quoque, quam caeteris repugnantibus certus locus exigit notionem, licet insolentior sit, in tuto collocant [3]); dum dein significatus, qui quibusdam vocabulis praeter usitatiores in certa solum connexione aut constructione competunt rariores ac peculiares illustrant atque confirmant [4]); dum porro valorem expressionum graecarum, quarum plenam potestatem ob notiones accessorias eis adhaerescentes lexica minus adaequate reddunt, imo in lingua aliena singulis verbis correspondentibus prorsus adaequate reddere ne possunt quidem, sicut et subtiliora synonymorum discrimina accuratius indicant [5]); dum denique pro usus loquendi studio ampliorem analogiae linguae cognitionem et simul cautiones in hujus subsidii usu adhibendas suppeditant, nec non explicationes vocum phrasiumque biblicarum, quae licet passim receptae, attamen non satis munitae et ad perfectam certitudinem evectae, aut prorsus falsae sunt, in priori casu aut novis argumentis corroborant, atque contra dubia et adversariorum objectiones vindicant, in posteriori vero casu demonstrata earum falsitate damnant, eisque si non certas, saltem probabiliores substituunt [6]).

b) Nec minus *ratione grammatico-syntactica* studium Graecorum cognitionem linguae graecae egregie adjuvat, dum per leges grammaticas, quas illi sequuntur, saepe locos obscuriores illustrat, et interpretationes rectas confirmat vel erroneas reprobat [7]); dum dein omnes significationes particularum etiam rariores, quae in constituenda orationis constructione ac sententia tanti momenti sunt, docet [8]); dum denique haud raro quoque pro dijudicandis et tractandis, si quae occurrunt, constructionibus, quae videntur abnormes, lumen accendit [9]).

[1]) Sic veteres Scholiastae et Grammatici damnarunt vocem *συμπολίτης* *concivis* (Ephes. II, 19.) tanquam minus graecam, quod vero immerito factum esse quivis in Graecorum scriptis versatus intelligit, cum obvia sit apud optimos auctores, uti apud Aelianum in V. H. III, c. 44., apud Euripid. in Theseo et Heraclid. teste Polluce in Onomast. III, sect 51. et Schol. Aristoph. in Pac. p. 692. Similiter phrasin: *κρουέιν τὴν θύραν* (Act. XII, 13.), quam inter barbarismos retulerunt, in Xenophontis Symp. I, 11. inveniet.

[2]) Ἅπαξ λεγόμενα vel rariora, quorum notiones biblicas Graecorum scriptores docent, sunt: ἀναζωπυρεῖν, quod proprie est: *ignem sub cinere latentem flatu suscitare, ne extinguatur*, metaphorice: *excitare, alere, fovere quovis modo*, I. Macc. XIII, 7. II. Tim. I, 6. Conf. Xenoph. de re equestri X. 8. 16. Marc. Antonin. VII, c. 2. Dionys. Halicarn. Ant. L. VIII.; μετεωρίζεσθαι, quod dicitur de *fluctuatione animi inter spem et metum dubii atque suspensi* (Luc. XII, 29.), quo sensu etiam ponitur a Philone (de Monarch. p. 817. A.), Josepho (Antiqq. 8, 8. 2.) et Schol. ad Eurip. Orest. 1537.; ὑπωπιάζειν proprie *sugillare*, ut sub oculis existant vibices, hinc translate omnino notat: *affligere, vexare, excruciare* (Luc. XVIII, 5. I. Cor. IX, 27.), quae translatio Aristoph. Pac. 539 seq. confirmatur. Alia rariora, quae ad instituta Judaeorum pertinent, docent Josephus et Philo. Sic Ἐφημερία (Luc. I, 5.) Josepho Antiqq. VII, 15. 7. est *classis sacerdotum per hebdomadem officio sacro fungens*, βασιλικὸς (Joan. IV, 46.) ex multis ejusdem locis *aulicus* esse intelligitur; κρίσιν Matth. V, 21. fuisse apud Judaeos eo tempore *magistratum*, septem personis compositum, qui de causis minoribus cognoscebat, ex Antiqq. IV, 18. 14. et ex libro de Bell. Jud. II. 20. 5. constat. Vox ἐγκαίνια (Joan. X, 22.) a Judaeis, ut docet Philo, usurpata fuit de *festo dedicationis templi*, quod incidit in 25. Kislev, νηστεία vero eidem (in vita Mosis) est *festum expiationis*, 10. Tischri celebratum, quo Act. XXVII. 9. illustratur.

[3]) E. g. vocabuli biblici πίστις plurimas, quas habet, frequentiores graecas notiones scripta Graecorum exhibent; verum etiam rarior ejusdem notio: *argumentum, quod fidem facit alteri, demonstratio* (Act. XVII, 31. occurrens) apud Aristotelem Rhet. I. c. 1., Xenophontem, Cyrop. VIII. 8. 3. et alios legitur.

[4]) Ejusmodi est, dum praepositio παρά interdum, in compositis solum, *clam, clanculum* significat, uti παρείσακτος (Gal. II, 4.) *qui clam se insinuavit, irreptitius*, παρεισέρχεσθαι (ibid.) *subdole se insinuare, clam irrepere*, παρεισδῦναι (Judae 4.) *furtim intrare*, quam rariorem hujus vocabuli potestatem optimi Graecorum scriptores docent. Polyb. I, 7. 3. II, 55. 3. Herodian. I. c. 6. 2. Plutarch. Tom. VI. p. 809. et 891. ed. Reiske. — Pari modo verbum ἐπαγγέλλεσθαι proprie et per se *promittere*, in constructione: θεοσέβειαν ἐπαγγέλλεσθαι (I. Tim. II, 10.) esse *profiteri*, ex Graecis, qui illud de professione alicujus artis vel disciplinae passim dicunt, discimus. Sic legitur Diog. Laërt. Prooem. S. 12. ὁ ταυτην sc. σοφιάν ἐπαγγελλόμενος, et Xenoph. Mem. I, 2. 7. ἀρετὴν ἐπαγγελλόμενος.

[5]) Cujus rei exempla haec sunt: verbum φιλοτιμεῖσθαι I. Thess. IV, 11. reddi solet: *anniti, summo studio et contentione aliquid agere*, qua interpretatione non satisfit omni potestati verbi, quod a Graecis de eo ponitur, qui aliquid ita agit et perficit, ut in hac re honorem ponat laudemque suam, Aelian. V. H. 9, 29. 3, 1. Itaque loco laudato verbis φιλοτιμεῖςθαι ἡσυχάζειν Apostolus *laudem appetere* jubet Thessalonicenses

vitam tranquillam agendo. Pari modo, licet πύλη et ϑύρα synonyma esse videantur et saepe promiscue ponantur, ex graecis tamen scriptoribus intelligitur, haec vocabula ita differre, ut πύλη *porta per moenia in urbem ducens*, ϑύρα *janua aedium* dicatur, et certe priori semper aliquid augustius vel latius significetur. Conf. Schol. ad Thucyd. II. c. 4. De discrimine adhuc subtiliori, quod inter substantiva χρόνος et καιρός (I. Thess. V, 1. al.) intercedit, vide J. A. Tittmann, de Synonymis in N. T. lib. I. Lips. 1829. p. 40 seq. et Raphel, Adnot. ex Polybio et Arriano ad Act. I, 7.

6) Ex indole et auctoritate analogiae linguae supra §. 23. II. 1. §. 24. descripta facile intelligitur, ad proficuum hujus subsidii studium auctores graecos in subsidium vocandos esse, cum saepe solum ex illis, non vero ex paucis s. Scripturae libris graecis cognosci possit, num certae formae aut dictionis significatio plurium similium exemplorum numero nitatur, et propterea confirmata habeatur, vel an plures exceptiones locum habeant, et proin cautione opus sit. Ita si nomen ἐϑελοϑρησκεία in N. T. semel Coloss. II, 23. occurrens *affectatum religionis studium* designare asseritur, haec significatio exemplis analogis, quae §. 23. nota 5. ex Graecis adduximus, confirmatur, licet exceptiones non desint. Exempla explicationum vocum et dictionum, quae utut passim receptae scriptoribus graecis muniri vel corrigi debent, plura affert J. Dav. Michaëlis, Einleit. in den N. B. Goetting. 1788. T. I. p. 198. cui tamen non sine cautione adstipulandum est.

7) Ita interpretationem verborum: εἰσῆλϑον εἰς τὴν Λυδίαν *ingressi sunt domum Lydiae*, Act. XVI, 4. construendi ratio Graecorum confirmat. Etenim eodem modo apud Herodotum II, c. 121. legitur: εἰσελϑόντα δὲ ἐς τοῦ βασιλῆος τὴν ϑυγατέρα, et Lysias Orat. XVIII. p. 303. dicit: εἰσελϑὼν εἰς τὸν πατέρα τὸν ἐμόν. Conf. Aristoph. Plut. 237. 242. Contra interpretatio verborum Joan. V, 5. ἦν δέ τις ἄνϑρωπος ἐκεῖ τριάκοντα καί ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσϑενείᾳ, qua Dr. Paulus cum aliis statuit, hominem illum 38 annos habuisse, syntaxi Graecorum reprobatur. Nam si hoc significare voluisset Evangelista, verba ἐν ἀσϑενείᾳ conjungere debuisset cum vocabulo ἄνϑρωπος, et scribere: ἦν δέ τις ἄνϑρωπος ἐν τῇ ἀσϑενείᾳ, τριάκοντα καί ὀκτὼ ἔτη ἔχων; neque tamen hoc linguae legibus convenienter dictum fuisset, quia Graeci non scribunt εἶναι ἐν ἀσϑενείᾳ, sed ἔχειν ἐν ἀσϑενείᾳ, quod dicitur pro ἔχειν ἀσϑενῶς. Caeterum caute hac in re procedat interpres, neque facile interpretationem aliquam solum propterea reprobet, quia legibus grammaticis minus respondet; non enim licet existimare, hagiographos, utpote scriptores populares, recentiori Graecismo assuetos, illas semper exacte observasse.

8) Profecto *particulas graecas*, in s. Scriptura obvias, cum omni, qua late patent, potestate tum ad sententias definiendas et varie inflectendas, tum ad orationis ornatum stylique elegantiam promovendam, si notiones hebraissantes eis haud raro a scriptoribus orientalibus adjectas excipias, solum ex Graecorum scriptis accurate cognoscendas esse, neminem rerum

peritum latet. Nonnumquam illis insolentior notio adhaeret, ita quidem, ut nisi ea, sed alia magis consueta recipiatur, sensus nullus, aut distortus tantum, vel difficultatibus implicitus prodeat. Sic ἀλλά, Matth. XI, 8. 9, significationibus usitatioribus contextui non respondentibus, in rariori, qua idem notat, quod ἤ *vel*, *aut*, accipiendum est, qua significatione hujus particulae maxime in interrogationibus utuntur Graeci. *Arrian. Epictet.* p. 64.

⁹) Ita ad illustrandas et explicandas constructiones anomalas Luc. XIII, 9. XIX, 42. XXII, 42. varii varia commenti sunt, quibus opus non habet interpres, qui noverit, deesse apodosin more Graecorum, a quibus in enunciationibus hypotheticis, quarum priori membro praemittuntur particulae εἰ, ἐάν vel similes, solet omitti membrum posterius, ex rei natura aut loquentis adjunctis facile intelligendum. Exempla hanc in rem Raphelius in Annott. ex Xenoph. et ex Polyb. et Arriano, nec non Fischerus, Proluss. de linguae gr. interioris scientia etc. p. 122 sqq. attulerunt.

Subsidia ad usum Graecorum in explicandis sacris libris praesertim N. T. adjuvandum plurima prostant. Sequentia, magnam partem jam commemorata opera, licet castigatione indigeant et provide adhibenda sint, prae reliquis commendari merentur:

a) Ad usum Graecorum generatim:

Lamb. Bos, Diatribae s. Exercitatt. philologicae, in quibus N. T. loca quaedam ex profanis auctoribus illustrantur. Edit. II. aucta. Franeq. 1713. — J. Alberti, Observationes philologicae in N. T. Lugd. Bat. 1725. — Jac. Elsner, Observationes sacrae in N. T. libros. Traj. ad Rhen. Tom. I. 1720. Tom. II. 1728. — El. Palairet, Observationes philolog. crit. in sacros N. T. libros. Lugd. Bat. 1752. Ejusdem Specimen Exercitatt. philolog. crit. in sacros N. T. libros. Lond. 1755. — G. D. Kypke, Observationes sacrae in N. T. libros. Wratisl. 1754. — J. Fr. Fischer, Prolusiones de linguae gr. interioris scientia: interpretationis librorum N. T. adjumento maxime necessario. Lips. 1772. — J. Laur. Blessig, Praesidia interpretationis N. T. ex auctoribus graecis. Argent. 1778. — Hauff, Ueber den Gebrauch der gr. Profanscribenten zur Erläuterung des N. T Lips. 1796.

b) Ad usum singulorum quorumdam auctorum:

G. Raphel, Annotationes in N. T. ex *Xenophonte* collectae. Hamb. 1709. Editio II. acced. praef. J. Fechtii 1720. Ejusdem Annotatt. ex Polybio et Arriano collectae. Hamb. 1715. Ejusdem Annotatt. philologicae in N. T. ex Herodoto collectae. Lüneb. 1731. — Casp. F. Münthe, Observationes philolog. in sacros N. T. libros ex Diodoro Siculo collectae. Hafn. et Lips. 1755. — F. L. Abresch, Dilucidationes *Thucydideae*. Ultraj. 1755. — J. Bapt. Ott, Excerpta ex Flavio Josepho ad N. T. illustrationem, cura *Sgb. Havercamp*. Lugd. Bat. 1741. — J. Tob. Krebsii Observationes in N. T. ex Flavio Josepho. Lips. 1755. — Chr. Fr. Loesneri Observationes ad N. T. ex Philone Alex. Lips. 1777. — Adami Fr. Kühnii Spicilegium Loesneri

Observationum in N. T. e **Philone** Lips. 1785. — **Michaëlis** in opere supra citato p. 195 sqq. plurium auctorum laudatorum censuram exhibet, **Kypkium**, **Raphelium** et **Krebsium** prae reliquis commendans.

Adminicula linguae graecae addiscendae aliunde nota sunt. Laudantur *grammaticae*, quas **Buttmann** et **Matthaei** ediderunt, et *lexica* a **Schneidero**, **Riemero** et **Rostio** exarata.

§. 65. Etymologia, analogia et linguae cognatae.

Cum linguae graecae sat uberes supersint fontes, ex aetate profecti, qua adhuc vivebat, ex quibus proin ejus cognitio longe facilius ac certius hauriri potest, quam hebraicam ex paucis, quae prostant, documentis cognoscere datum est, per se patet, minus necesse esse, ut scrutator linguae graecae ad praesidia recurrat minus efficacia, qualia sunt *etymologia*, *analogia* et *linguae cognatae*. Nihilominus tamen etiam haec saepius egregie conferunt ad graeca biblica, praesertim rariora ac difficiliora, illustranda et confirmanda *).

*) Sic. e. g. ex *etymologia* facile intelligitur, quare συκοφαντεῖν Luc. III, 14. al. (proprie *ad judicem deferre*, *indicare eos*, *qui ficus ex Attica in aliam regionem exportant*) sit *calumniari*, *malis artibus ab aliis pecunias extorquere*. Item ἐπιούσιος, vox ἅπαξ λεγόμενη in oratione dominica, Matth. VI, 11. Luc. XI, 3. ratione habita *analogiae* linguae graecae bene redditur: *ad substantiam spectans* — *necessarius, quotidianus* —, quia e. g. ἐπιλήνιον est, *quod ad torcular*, et ἐπιτάφιον, *quod ad sepulturam pertinet*.

Haud raro etiam voces et loquendi rationes s. Scripturae graecae ex linguis cognatis, imo et diversis lucem accipiunt. Ponamus exemplum Rom. VII, 14. ubi homo carnalis dicitur πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, *venditus sub peccatum*, seu *venditus in peccati dominium*. Cum hac loquendi ratione, qua Paulus dicere voluit, esse hominem servum seu mancipium peccati, conferatur linguae latinae usus in voce *addictus*. Quia haec vox linguae latinae consuetudine usurpatur, quum in auctione aliquid emitur, et postquam multi licitati sunt, uni tandem addicitur, ita ut in ejus dominium tradatur: *addictus alicui rei dicitur*, qui ei plane deditus est, et in malam partem *addictus peccato*, qui servus est et mancipium peccati. Quapropter hac locutione plane exprimitur notio memorata: *venditus in peccati dominium*.

B. QUATENUS ORIENTALIS EST.

§. 66. Versio Alexandrina et caeterae versiones graecae V. T.

Quum hic loci nostrum non sit inquirere, quae sint linguarum orientalium proprietates, quibus in linguam graecam Bibliorum

immigrare licuisset, sed inspicere velimus Orientalismos, seu Hebraismos in sensu latiori, vere occurrentes in libris, quorum lingua indaganda occupamur, primam ex hac consideratione subsidiorum classem non subministrabunt linguae orientales, sed potius graeca illa, quae Orientalismos fors receptos historice manifestat, quaeque in operibus, uti dicunt, hebraissantibus seu hellenisticis exhibetur.

Quapropter primarius fons usus orientalis, qui in libris s. Scripturae graecis invenitur, sine controversia erit *versio τῶν ό*, cujus indolem §. 36. nott. 1—4. uberius exposuimus. Ea enim Alexandriae a Judaeis confecta Hebraismis scatens, et licet ab erroribus non libera, a Palaestinensibus, ut ab Aegyptiacis, Judaeis diligenter lecta tantam auctoritatem nacta est, ut Judaei sequentium temporum eam ceu sacrum exemplar spectarent, a quo fere numquam, nec in vitiis quidem, discesserunt, et cujus analogiam etiam in novis scriptis religiosis sequendam esse putarunt, ita ut haec versio pro matre linguae graecae hebraissantis, nominatim ejus, quae in s. Scriptura est obvia, haberi possit, et quae pro hujus studio ex ea innotescunt, merito certissima censeantur.

Ad eundem finem aliquid conferunt etiam, quae pariter idiomate graeco plus minusve hebraissante scriptae sunt *versiones Aquilae*, *Symmachi* et *Theodotionis*, quibus junguntur trium aliarum, quae dicuntur IV. V. et VI., fragmenta; quas omnes §. 36. nota 5. paucis designavimus.

§. 67. Quid commodi versiones dictae praestent?

Ex dictis facile colligitur, versiones A. T. graecas pro studio loquendi usus, de quo hoc loco sermo est, egregia emolumenta praebere, quae ad sequentia praesertim referri possunt:

1. Universe indolem linguae hebraeo-graecae et Orientalismos tum lexicales tum grammaticos ac syntacticos in ipsa obvios docent [1]).

2. Obscura dilucidantur facilius, cum pateat recursus ad fontem hebraicum, si graeca, quae hebraicis respondent, non intellexeris [2]).

3. Se mutuo illustrant translationes, cum aut eadem versio obscurum vocabulum alibi clarius exponat, aut una versio pro

obscuriori vocabulo alterius versionis clarius exhibeat, aut graeco vocabulo minus perspicuo alibi clarior expressio hebraica respondeat [3]).

[1]) Praesertim versio Alexandrina quasi Catechismum idiomatis hebraeo-graeci, nominatim biblici, constituit; caeteras versiones graecas ei quoad ambitum et gravitatem longe postponendas esse, ex illarum indole facile intelligitur.

Hebraismi lexicales sunt, si e. g. vocabulo graeco tantus conceditur ambitus, quantus est hebraico, quocum vi sua nativa congruit. Sic διαθήκη, quod proprie est *testamentum*, *foedus* ad imitationem hebr. בְּרִית, cui respondet, praeter alia notat etiam *promissionem*, ut Genes. IX, 9. 11. Levit. XXVI, 42. quod lumen praebet II. Macc. VIII, 15. Luc. I, 72. al. Sed missis aliis observamus, praecipue in rebus, quae ad religionem pertinent, notiones, quas interpretes graeci, usum hebraicorum secuti, vocibus a se adhibitis attribuerunt, etiam in scriptoribus V. T. deuterocanonicis et N. T. recurrere, et proin per illorum usum illustrari et confirmari. Sic ἀλήθεια = אֱמֶת proprie *veritas* Alexandrinis est etiam *probitas*, imo *omnis religio*, uti Ps. XXVI, 3. LXXXVI, 11. al. quod ad Tob. III, 5. et I. Joan. I, 6. lumen praebet; νόμος = תּוֹרָה est *lex*, *Pentateuchus*, *doctrina Mosaica*, *religio judaica*, et *quaelibet ejus pars*, Num. XII, 15. 16. Deut. IV, 8. 44. al. Aeque late vis hujus vocabuli patet in libris deuterocanonicis V. T. Sirac. XLV, 5. Baruch. II, 28. I. Macc. I, 49. II, 21. al. et in N. T. Matth. V, 17. VII, 12. Joan. I, 17. Conf. Exod. XII, 49. et Luc. II, 22. ubi νόμος pro singulis praeceptis Mosaicis ponitur. Mittimus alia. Hebraismi grammaticales et syntactici non minus per versiones graecas, nominatim Alexandrinam, illustrantur. Exempla hujus rei plurima habentur in *Winero* (N. T. Sprachidiom) et H e n. G. J. T i e r s c h i o (De Pentateuchi versione Alexandrina. Erlangae 1841. praecipue libro III.).

[2]) E. g. ἐπί τὸ αὐτό (Matth. XXII, 34. Act. I, 15. al.), cui hebr. יַחְדָּו *una*, *simul* solet respondere, II. Sam. II, 13. Ps. XIX, 10. al. Similiter quia apud Aquilam, Job. XXXVIII, 5. κανών ponitur pro hebr. קַו, quod est *amussis opificis*, *funiculus mensorius*, consulto simul contextu intelligitur, a Paulo II. Cor. X, 13. μέτρον τοῦ κανόνος dici spatium terrarum ad praedicandum sibi a Deo demensum.

[3]) Sic jam memoratum יַחְדָּו, quod Alexandrini alias solent vertere ἐπὶ τὸ αὐτό, Genes. XIII., 6. reddunt clariori ἅμα *simul*. Obscurior translatio verbi פָּתַר apud Alexandrinos Genes. XL. et XLI. per συγκρίνειν, quod proprie est *confundere*, *commiscere*, illustratur ab iisdem, dum illud alibi vertunt per clarius ἑρμηνεύειν, et ab Aquila, qui ἐπιλύειν, et a Symmacho, qui διακρίνειν Genes. XL, 8. pro ipso ponit. Inde intelligetur, I. Cor. II, 13. πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες, sensum verborum s. Pauli esse: *Perfectioribus Christianis perfectiores doctrinas explicantes.*

§. 68. Quae in earum usu observanda sint.

Cautiones, quas pro antiquarum versionum usu in studio linguae hebraicae generatim praescripsimus (§. 37), etiam in collatione versionum graecarum V. T. ad Orientalismos linguae graecae biblicae explicandos adhibendas esse, in promtu est. Addimus sequentia monita:

1. Scrutator linguae graecae hebraissantis, postquam cum hebraicis aliquam familiaritatem contraxit, quae legit in hebraicis, relegat in versionibus graecis. Ex perpetua hac comparatione facilitatem consequetur cognoscendi, quibus graecis quaevis hebraica exprimi soleant, atque, si quae eorum in libro exponendo occurrunt, mox agnoscet.

2. Quodsi Hebraismi, in hagiographis graecis ad literam expressi, extant bene graece redditi in versionibus, his tribuat vim commentarii et interpretationis, translatorum testimonio innixae, dummodo indicium non habeat, quod minus recte versati sint [1]).

3. Attamen quia bene graeca hebraicis substituta ab antiquis translatoribus, sive ab hagiographis, deuterocanonicis nimirum V. T. vel scriptoribus N. T. ipsis adoptata sint, sive ad horum scriptorum hebraissantia explicanda adhibeantur, haud raro sensum magis quam literam exprimunt, illumque vage, vel latius vel angustius reddunt, semper comparatio hebraicorum instuenda erit, ne forte aliquid de vi Hebraismi amittatur [2]).

4. Licet vero sedulo consulendae sint versiones graecae, cavendum tamen est, ne affectatione quadam aut studio novas ac raras interpretationes venandi ducti ex illis in libros s. Scripturae graecos Hebraismos inferamus, ubi ipsa per se lingua graeca commodissimum sensum cum facilitate fundit [3]).

[1]) Sic, dum illud vulgare נָשָׂא פָּנִים, quod ad literam hebraicorum exprimitur: *πρόσωπον λαμβάνειν* (Luc. XX, 21. Gal. II, 6. al.), ab Alexandrinis bene graece redditur: *πρόσωπον θαύμαζειν personarum respectum habere* (Levit. XIX, 15. Deut. X, 17. Job. XIII, 10. XXXIV, 19. al.), habetur interpretatio historice certa, quam etiam Judas v. 16. sequitur.

[2]) Verba: יִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים, Genes. V, 24. de Enocho, proprie: *ambulavit cum Deo,* ibidem a LXX et Hebr. XI, 5. redduntur: *εὐηρέστησε τῷ Θεῷ placuit Deo*, quae sunt perspicua et bene graece dicta. Ast hebraicis sensus magis determinatur, ita ut appareat, causam divini favoris esse in pietate vitae. Pariter dictio: *δι οὐκ ὄντες qui non sunt*, Jerem. XXXI, 15. Sirac. XVII, 28. Matth. II, 18. bene graeca, ast per se

prorsus vaga est, ita ut indicare possit vel nondum natos, vel jamjam mortuos, vel tropice eos, qui sunt nullius auctoritatis. Ex hebraicis אֵינֶנּוּ (Jerem. l. c. coll. Genes. XLII, 36.) discitur, id dici de *mortuis*. Similia sunt plurima. Quam in rem egregie observat C. F. A. Fritzsche, Praef. ad Evang. Matth. Lips. 1826. p. XI.): „Versione LXX ita abutuntur, ut quodcumque ibi vocabulum hebraicum graeco conversum sit, illius vi graecum revera instructum esse argumententur. Quae sententia justam reprehensionem minime incurreret, si aut potuissent ubique illi per linguae graecae rationes verbum subjicere verbo, aut si tanta fuissent linguae graecae scientia praediti, ut scriptorum hebraicorum sententiam omnibus in locis assequerentur, aut si codices istius versionis editionesque non foede essent corruptae."

³) Exemplo sit Luc. VIII, 14. ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι, ubi D. Heinsius (in Exercitatt. in N. T.) novam explicationem hanc profert: „Curis, divitiis et voluptatibus hujus vitae *impelluntur*," provocans ad verba Job. XXIX, 20. τὸ τόξον μου ἐν χειρὶ αὐτοῦ πορεύεται. Existimans enim, hocce πορεύεσθαι esse *moveri*, et hinc etiam in sensu morali posse dici *moveri* i. e. *impelli*, *agitari*, laudatam interpretationem proponere non dubitavit. Sed, qui in summa rei facilitate tantis ambagibus ex versione Alexandrina novas explicationes quaerit, profecto usum illius affectat.

Conf. Wolle, Dissert. de parallelismo N. T. verbali cum LXX versione caute instituendo. Lips. 1731. Caeterum usum versionum graecarum V. T. philologicum et exegeticum magnopere juvant: Conr. Kircheri Concordantiae V. T. graecae hebraeis vocibus respondentes. Francof. 1607. Abr. Trommii Concordantiae graecae versionis vulgo dictae LXX. Amstelod. 1718. Conf. etiam §. 36. not. 5.

§. 69. Libri hebraici ipsi, scripta syriaca, chaldaica, arabica et rabbinica.

Subsidium aliud ad explicanda orientalia constituit collatio cum scriptis orientalibus ipsis. Et primum quidem fieri potest, ut libris sacris graeci idiomatis insint proprietates linguarum orientalium, quae in monumentis graecis sermonis hebraissantis adhuc existentibus non observantur. Quo in casu lux petenda erit ex ipsis libris, qui idiomate *hebraico, aramaico, arabico* et *rabbinico* scripti extant. Quem in finem non solum singulae voces, sed et integrae phrases graecae conferantur ¹); minime vero omnium negligenda est comparatio graeci styli, praecipue poëtici, cum orientali, utpote cui ratione syntaxeos et elocutionis oratoriae atque poëticae quam plurimis in locis et adeo quidem respondet, ut haud raro lux exoptatissima obscuritati afferatur, si textum graecum de verbo ad verbum in orientalem orationem transtuleris ²).

Dein nec illud praetermittendum est, quod, quia adversarii haud raro armis ex Orientalismi cognitione arreptis doctrinas orthodoxas impugnare conantur, in eodem promptuario praesidium contra eorum impetus quaerendum sit [3]).

[1]) Sic. e. g. ex collatione Jeremiae V, 5. Thren. III, 27. intelligitur, ab Hebrais עֹל *jugum* etiam poni pro *praeceptis* et *doctrina*, quod lumen affert locis Sirac. LI, 26. Matth. XI, 29. Item Matth. VIII, 20. loquendi formula: *ὀυκ ἔχει, πῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ* ***non habet, ubi caput reclinet***, ex ***Barhebraeo*** (Chron. Syriac. p. 406) dilucidatur, ubi ***Saladinus*** de Francis dicit: ܠܐ ܗܘܐ ܠܦܪ̈ܢܓܝܐ ܐܬܪܐ ܕܢܣܡܟܘܢ ܪ̈ܝܫܐ ܒܣܦܪ ܝܡܐ ܣܛܪ ܡܢ ܨܘܪ܀, ***non fuit Francis locus in ora maritima, ubi caput reponerent, praeter Tyrum.***

[2]) Exemplo sit locus Sirac. VI, 32. *ἔαν δῷς τήν ψυχήν σȣ (τῇ σοφιᾳ), πανοῦργος ἔσῃ*, ubi alterum membrum respondet hebraicae phrasi נָתַן לֵב לְ ***attendere ad aliquid***, et in altero *πανοῦργος* lumen capit ex עָרוּם, quod non tantum ***astutus***, sed etiam ***prudens***, ***sapiens*** est, uti Proverb. XII, 16. al. — Constructio obscurior Rom. I, 5. *ἐις ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τȣ ὀνόματος ἀυτȣ*, sat clara fit, si hebraice cogitatur: לְהַשְׁמִיעַ הָאֱמוּנָה בְּכָל הַגּוֹיִם עַל שְׁמוֹ ***ad annuntiandam omnibus gentibus fidem in eum.*** Conf. §. 59. not. 2.

[3]) Ita doctissimus Nic. Wiseman (in Horis Syriacis, Tom. I. Romae 1828.) Thomam Hartwell Horne, qui sensum literalem locorum Matth. XXVI, 26. 28. Marc. XIV, 22. 24. Luc. XXII, 19. 20. I. Cor. IX, 24. 25. impugnaverat, ope uberioris notitiae linguae syriacae invictissime refutavit. Contendebat enim Horneus, verba institutionis ss. Eucharistiae syriaco sermone fuisse prolata, et proin cum in illo nullum esset vocabulum, quod ***significandi***, ***repraesentandi***, ***denotandi*** notionem haberet, ita ut a Syris pro hac notione verbum substantivum ***est*** poni deberet et soleret, ex verbis institutionis nullum argumentum pro doctrina catholica adduci posse. Vide Pletz, Theologische Zeitschrift, Jahrgg. I. T. I. Orientalische Literatur, von ***V. (incent. Seback)*** p. 283 sqq.

Praecipua opera, quae ad collationem orientalium serviunt, sunt: Jo. Vorstii De Hebraismis N. T. Commentarius. Amstelod. 1665. — Jo. Leusdeni Libellus de dialectis N. T. singulatim de ejus Hebraismis, denuo editus a. J. F. Fischer, Lips. 1792. — Jo. Lightfoot, Horae hebr. et talm. Lips. 1679. — Chr. Schoetgenii Horae hebr. et talmud. in universum N. T. Dresdae 1733. 42. — J. Gerh. Meuschenii N. T. ex Talmude et antiqq. illustratum. Lips. 1736. — Petr. Keuchenii Annotata in N. T. Editio nova cum Praef. J. Alberti, Lugd. Bat. 1755. — Boysen, Erlaeut. des Grundtextes des N. T. aus der syr. Uebersetzung Quedlinb. 1761. — Confer Hartmann, Linguist. Einleit. in das Studium des A. T. Brem. 1818. p. 375 sqq. Th. Ph. Chr. Kaiser, Comment. de linguae aramaicae usu ad judicanda et interpretanda plura N. T. loca. Norimb. 1831.

§. 70. Cautelae adhibendae, ubi comparandae sunt cum orientalibus dictiones s. Scripturae graecae.

Quum vero tum, quando linguarum orientalium proprietates orationi s. Scripturae graecae adhaerere videntur, quae in fontibus hellenisticis non obveniant, Orientalismus tantum possit adesse, quin historice probari queat, in eo ex sua comparatione assumendo interpretem tanto cautiorem oportebit esse, quanto facilius novae alicujus opinionis stabiliendae aut eruditionis ostentandae causa proprio genio indulgeri soleat, et quanto magis viri etiam celeberrimi hac in re hallucinati sint [1]).

Quare sequentes canones observandos praescribimus:

1. Si expressioni cuidam est significatio graeca historice certa, plana et obvia, quae commodum sensum praebet, sine necessitate aliam mere possibilem ex comparatione cum orientalibus ne petas [2]).

2. Si Orientalismi suspicio adest, studiose quaeratur in versionibus s. Scripturae orientalibus, puta syriacis vel arabicis, an in eorum interpretatione habeatur indicium, proprietatem hanc, de qua suscipio adest, revera in linguam graecam biblicam fuisse receptam. Si nullum suppetit, semper sat dubius manet Orientalismus [3]).

3. Certo vero ea comparatio est reprobanda, qua expressiones graecae cum hebraicis conferuntur, quibus interpretes Alexandrini semper non eas, sed alias, vel si eas in alia tamen significatione substituunt [4]).

4. Denique loquendi formulas ac dictiones, quae non in omnibus partibus sibi respondent, male inter se comparari, sponte intelligitur [5]).

5. Aliunde demum patet, ex incerta aut perrara vocis orientalis significatione non posse pro expressione comparata deduci certius quidpiam [6]).

[1]) Qui in recentiorum interpretum biblicorum scriptis paululum est versatus, innumera hujus rei exempla in promptu habebit. Vix saepius aliquis in s. Scriptura interpretanda ad Syriasmum confugit, quam J. Andr. Boltenius, qui in sua germanica N. T. versione (Alton. 1795 — 1806.) fere pro principio ponit: textum graecum in linguam syriacam prius esse vertendum, ut ejus verus sensus eruatur. Conf. Eichhorn, Allgemeine Bibliothek. T. V. pag. 518 seq.

²) Cur. e. g. Matth. VI, 2. ἀπέχουσι coll. בָּטֵל *desiit*, adeoque in formis transitivis *desinere fecit*, cum Boltenio vertatur: *impediunt*, cum optime congruat vulgaris verbi graeci potestas: *receperunt*, *habent?*

³) Ex hoc capite non tantum Arabismum Boltenii in adjectivo ἀργός *vanus*, *inutilis*, Matth. XII, 36., qui illud ex arabico بَطَلَ per *mendax*, *calumniatorius* explicat, sed etiam Chaldaismum, qui eandem significationem praeberet, suspectum habent, siquidem nulla versione orientali confirmatur.

⁴) Unde Luc. XVIII, 11. πρὸς ἑαυτὸν *secum* vel *apud se* non vertas *seorsim*, conferendo illud cum לְבַדּוֹ, quia huic μόνος vel καϑ' ἑαυτὸν respondere solet, veluti Zach. XII, 12. 13. Ex eadem ratione non probabis interpretationem Nachtigallii (in Henkii Magazin für Exegese etc. T. V. p. 343 sqq.), qui Luc. XXII, 36. vocem μάχαιρα reddit per *cultrum laniarium* (Schlachtmesser pro supellectili viatoria generatim), collatam cum hebraico חֶרֶב, cui tamen in versione Alexandrina nullibi respondit, ubi istud in significatione *cultri* venit.

⁵) Hinc e. g. conjicias, quid censendum sit de comparatione phraseos Matth. XXI, 32. *venire in via justitiae* cum dictione arabica: *venire cum re physica*, *portabili* (i. e. afferre eam), aut dictionis ὁ υἱὸς τῦ ἀνϑρώπυ cum صن لمما, quod tamen caret articulo; et quantopere reprobanda sit collatio verborum Joan. I, 14. καὶ (ὁ λόγος) ἐσκηνώσεν ἐν ἡμῖν, *et* (filius Dei) *inter nos versatus est*, cum habitatione Dei super arca foederis, quam Judaeorum scriptores exprimunt per שְׁכִינָה (ἀναπαύει, πληροῖ, οἰκεῖ, σκηνοῖ).

⁶) Unde dijudices interpretationem verbi ἀπήγξατο Matth. XXVII, 5., quod Boltenius reddit: *praecipitem se egit*, conferens istud cum chald. שְׁנַק, quod praeter vulgarem significationem *suffocandi* etiam notat *excussit*, *projecit*, auctore Buxtorfio in Lex. Talmud. p. 2478., cujus tamen vulgaris significatio in locis ab hoc lexicographo laudatis commode retineri potest, ut ita altera, cui comparatio innititur, ipsa incertior appareat.

II. FONTES USUS LOQUENDI PECULIARIS.

§. 71.

a) *Ad cognoscendas singulorum scriptorum proprietates.*

Ex iis, quae de proprietatibus usus loquendi graeci singulis scriptoribus biblicis peculiaris disseruimus (§. 59.), etiam facile intelligitur, ad quos fontes sit confugiendum, ut ille probe cognoscatur. Generatim, licet omnium hagiographorum graecorum talis sit dictio, ut ad eam intelligendam tum fontes graecos tum orientales adire necesse sit, nequaquam tamen hi et illi ad omnium interpretationem aequalem opem ferent. Ex natura rei enim intelligitur, quoad eos, qui pluribus bene graecis distinguantur, fontes

graecos, quoad eos vero, qui plura hebraica et ad orientalium leges conformata exhibeant, fontes orientales amplioris esse usus[1]).

Quod expressiones et significationes singulis privas vel adamatas ac solemnes attinet, eae hauriendae erunt:

1. Inprimis ex scriptis ipsis auctorum, qui illis utuntur, cum quilibet optimus dictorum suorum interpres sit[2]).

2. Porro ex natura rei patet, illos hagiographos graecos, inter quos major intercedit dictionis convenientia, inprimis idoneos esse, ad dicta sua mutuo illustranda atque explicanda[3]).

3. Denique ex eadem ratione etiam illi scriptores profani, ad quorum sermonem scripta biblica magis accedunt, in explicatione eorum philologica caeteris sunt praeferendi[4]).

[1]) Itaque in explicatione libri Sapientiae, II. Maccabaeorum, Lucae, praesertim quoad Actus Apostolorum, magis ad scriptores graecos, contra in interpretatione Siracidis, I. Macc., Baruch, Matthaei et Marci etc. magis ad fontes orientales recurrendum erit. Confer §. 59. not. 1. et 2.

[2]) Profecto, quid sit ὁ λόγος Joan. I, 1—14. I. Joan. V, 7. Apoc. XIX, 13., et quid denotet phrasis τὰ στοιχεῖα τȣ̃ κόσμȣ Gal. IV, 3. 9. coll. Col. II, 20., primo omnium ex his auctoribus ipsis, qui illis expressionibus peculiari modo utuntur, quaerendum est.

[3]) Quapropter, quia e. g., prout eruditi observarunt, haud exigua intercedit inter orationem Petri et illam Pauli similitudo, scripta horum Apostolorum inter se collata se mutuo dilucidabunt, et alter alterius interpres plurimis in locis esse poterit. Conf. Schottii Isagoge §. 96. nott. 1. 2. §. 101. not. 1.

[4]) Si, quod plures Bibliorum interpretes contendunt, dictio Pauli cum dictione Thucydidis commune quidpiam habet, hic scriptor prae caeteris idoneus erit ad elocutionem Pauli illustrandam. Item quia, ut observarunt eruditi, in epistolae ad Hebraeos dictione permulta sunt, quae ad stylum Philonis accedunt, scripta hujus auctoris servient ad epistolam illam philologice explicandam. Conf. Philologia Thucydideo-Paulina seu notatio figurarum dictionis Paulinae cum Thucydidea comparata a C. L. Bauero. Halae Magd. 1773. et Exercitationes in epistolam Pauli ad Hebraeos ex Philone Alexandrino a Jo. Benedicto Carpzovio. Helmst. 1750.

§. 72.

b) *Ad cognoscendas proprietates N. T. christianas.*

Cum primis aerae nostrae temporibus christianus loquendi usus nequaquam prorsus determinatus fuerit[1]), auctoresque N. T. philosophica styli accuratione nequaquam usi sint, proprietates illius usus eo difficilius eruuntur, quo minus a notionibus, quae

vocibus atque loquendi modis in scriptis unius subjectae reperiuntur, semper ad easdem prorsus notiones earundem expressionum in scriptis alterius legitime concludatur [1]). Unde simul conficitur, quomodo usus iste eruatur, nempe:

1. Studio usus singulorum auctorum N. T., cum sicut in dictione generatim, ita etiam in rebus christianis designandis quilibet habeat suas peculiares vel adamatas expressiones aut significationes plus minusve determinatas [2]).

2. Ex collatione omnium hagiographorum N. T., qui ex rei natura unius magistri auditores, ejusdem aevi ac religionis participes, ejusdem quoque, si quasdam singulorum proprietates excipias, loquendi usus aemuli recte habendi sunt [3]).

3. Ex antiquissimis Ecclesiae patribus, qui usum loquendi de rebus christianis vel immediate ab Apostolis docebantur, vel aliunde scire debebant, quo sensu fideles illius temporis expressiones ad doctrinam et Ecclesiam Christi spectantes acceperint. Huc inprimis pertinent Clemens Romanus, Ignatius M., Polycarpus, Justinus M., Irenaeus, Hippolytus, Cyrillus Hierosolymitanus aliique [5]).

Caeterum patres graeci, qui ab aetate Apostolorum remotiores sunt, ad explicandas N. T. expressiones caute adhibeantur, quia haud raro cum hagiographis iisdem quidem utuntur verbis, sed sensu longe diverso [6]).

[1]) Sic. e. g. Πρεσβύτεροι et Ἐπίσκοποι quasi promiscue ponuntur ab initio, quamvis discrimen gradus et subordinatio jam aderant. Conf. Die heilige Schrift von J. Fr. Allioli ad Act. XX, 17. 28. I. Tim. III, 1.

[2]) Exemplo sit vocabulum πίστις, quod a Paulo passim, praesertim Rom. III, 25—30., in significatu latiori de *fide doctrinae christianae praestita conjuncta cum virtutis christianae studio* accipitur, contra Jac. II, 14. sqq. eadem expressio, utpote opposita τοῖς ἔργοις, de *nudo assensu religioni christianae tributo* ponitur.

[3]) Conf. §. 71. not. 2.

[4]) Quare, quid vocabula religioni christianae propria et quasi technica, aut certe propria significatione praedita, veluti μετάνοια, χάρις, μυστήριον etc. denotent, potissimum ex scriptis N. T. discendum est.

[5]) Exempla usus philologico-christiani haec sunt: I. Cor. II, 10. πνεῦμα ἐρευνᾷ καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ lucem capit ex Cyrill. Hierosolym. Cat. XI. p. 222., ubi ἐρευνᾷν cum γιγνώσκειν permutatur, et ex Clem. Rom. ep. I. ad Cor. p. 52., ubi τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως pro Paulinis τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ ponuntur, ita ut pateat, haec accepta esse de Evangelio,

in quo est μυστήριον Θεοῦ — arcana olim voluntas Dei de salute hominum — manifestatum. — I. Tim. II, 12. Paulus scribit: *Docere mulieri non permitto*, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός. Verbum vero αὐθεντεῖν, quod obscurius est, Theophylactus bene explicat per ἐξουσιάζειν *dominari, imperium usurpare*. Similiter non amplius obscurum erit, Ephes. V, 4. vocem εὐτραπελία, quae sensu bono, quo proprie *urbanitas* dicitur, interpreti ob contextum difficultatem creat, in malam accipiendam esse partem, ita ut *scurrilitatem*, *dicacitatem* significet, si legitur oratio s. Chrysostomi, quae inscriptionem habet: Ascetam non decere εὐτραπελίζειν. Cui s. Hieronymus consentit, qui in nostrum locum ita commentatur: „Scurrilitas consulto adpetit quaedam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possumus adpellare, ut risum moveat audientibus; verum et haec a sanctis viris penitus propellenda, quibus magis convenit flere atque lugere."

*) Sic e. g. veterum interpretum nonnulli, secuti auctoritatem Theodoreti et Theophylacti, φωτισθέντας Hebr. VI, 4. X, 32. explicuerunt: *qui baptismum susceperunt*, quo significatu plures patres tum graeci tum latini hac voce usi sunt. Vide Suiceri Thes. Eccl. sub voce φωτίζω, φωτισμός. Sed baptismum Apostolorum aetate dictum esse φωτισμὸν et baptizatos φωτισθέντας ex libris N. T. demonstrari nequit, in quibus haec vocabula de *collustratione ope religionis christianae* seu *institutione* usurpata reperiuntur. Joan. I, 9. Ephes. I, 18. III, 9. II. Cor. IV, 4. 6.

Caeterum ad usum loquendi N. T. christianum praecipue serviunt: Sigism. Basch, De interpretatione N. T. ex Patribus apostolicis. Lips. 1726. E. A. Frommann, Interpretationes N. T. ex Hippolyto collectae, Coburg. 1765. Ejusdem Interpretationes N. T. ex Irenaeo. P I. et II. ibid. 1766. Ejusdem Observationes ad interpretationem N. T. ex Clemente Rom. Part. I. et II. ibid. 1768. Prae caeteris vero commendari meretur Jo. Casp. Suiceri Thesaurus ecclesiasticus e Patribus graecis II Tomi. Edit. II. Amstelod. 1728.

III. FONTES PRO OMNI USU.

§. 73.

Quod si fontes, quos ad usum communem et particularem explorandum commendavimus, merito aestimantur, profecto ii, qui omnem usum juvant, et simul indubiam in plurimis certitudinem praestant, dignissimi sunt, qui prae caeteris adhibeantur. Huc autem spectant:

1. *Libri biblici ipsi*, graeco idiomate exarati, tum V. T. deuterocanonici, tum N. T. omnes, qui, licet singuli quaedam peculiaria habeant, et illi N. T. etiam expressionibus christianis a caeteris distinguantur, omnes tamen circa usum loquendi graecum et orientalem, et libri N. T. etiam circa usum christianum plurima

habent communia, adeoque talia, quae ad mutuam illustrationem et explicationem egregie faciant [1]).

2. His accedunt *Apocrypha* tum V. tum N. T., a quibus, cum eodem idiomate et eadem fere aetate, qua genuina, conscripta sint, nec non de iisdem rebus religiosis, et quidem, si apocrypha N. T. spectes, de iisdem ut plurimum doctrinis et institutis christianis tractent, non possunt abesse permulta, quae ad omnem hagiographorum usum cognoscendum conferant [2]).

3. Denique hoc loco commemorari debent *Scholia* et *Glossae*, quae aut omnem usum hagiographorum graecorum, aut usum certo aevo valentem, aut denique obscura quaedam unius pluriumque auctorum explanarunt. Dispiciendum tamen est, si quid suo scholiorum et glossarum scriptores ingenio explicuerint, num a conjecturarum suspicione ipsi sint liberi; si vero aliorum compilaverint notas, num hae e bono auctore sint desumtae [3]).

Quoad plurima etiam *versio Alexandrina* caeteraeque versiones graecae, de quibus jam §§. 66—68. actum fuit, denuo commendandae essent.

[1]) Explicationis, quam auctores graeci biblici sibi etiam quoad usum loquendi mutuo suppeditant, exempla innumera possent afferri, quaedam dabimus Cap. III. Trac. I. de locis parallelis.

[2]) Sic e. g., si βέβηλος I. Tim. I, 9. Hebr. XII, 16. pro *homine profano, levissimo religionis et sacrorum contemtore, cui nihil est sanctum*, legitur, III. Macc. II, 14. suffragatur, ubi eodem significatu Antiochus nuncupatur βέβηλος. Item ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος ἐις τὸν xόσμον Joan. VI, 14. (conf. Luc. VII, 19.) *Messias*, et ἀνάληψις Luc. IX, 51. *ascensio Christi in coelum* in Testamento XII Patriarcharum (Fabricii Cod. Pseudep. V. T. Vol. I. p. 568. 585.) eadem potestate veniunt.

Apocrypha edidit J. Alb. Fabricius in opere: Codex Pseudepigraph. V. et Apocryphorum N. T. Hamb. 1719. 22., cui Birch auctarium addidit 1804. Nuper prodiit editio: Codex apocryphus N. T. opera Joan. Car. Thilo. Lips. 1832. et Borberg, Bibliothek der neutestamentlichen Apokryphen. Stuttg. 1840. Caeterum inter Apocrypha V. T. a Protestantibus passim etiam nostra scripta deuterocanonica referri, notum est.

Usum Apocryphorum juvant: G. Jo. Henke, Dissert. de usu librorum apocryph. V. T. in N. T. Halae 1711; Chr. Th. Kuinoel, Observationes ad N. T. ex libris apocryphis V. T. Lips. 1794; P. J. H. Beckhaus, Bemerkungen über den Gebrauch der apocryph. Bücher des A. B. zur Erläut. der neutestamentlichen Schreibart. Dortm. 1808; E. G. A. Boekel, Nova clavis in graecos interpretes V. T. scriptoresque apocryph. ita adornata, ut etiam Lexici in N. T. libros usum praebere pos-

sit. Lips. 1821. Addimus: Millies, Dissert. de usu librorum V. T. apocryph. in N. T. interpretatione justis finibus regendo. Hal. 1800; C. Imm. Nitzsch, De apocryph. Evangeliorum in explicandis canonicis usu et abusu. Viteb. 1808.

[3]) Conf. §. 24. not. 2. *Scholia* aut in margine codicum adscripta, sive textui inserta, sive ad calcem subjecta, aut ex scriptis patrum antiquissimorum collecta et seorsim edita sunt. Notabiliora Scholia congesta exhibent sequentia duo opera: Novum Testamentum una cum scholiis graecis, e graecis scriptoribus tam ecclesiasticis quam exteris maxima ex parte desumptis, opera et studio Joan. Gregorii, Oxon. 1703. fol. et: Novum Testamentum, XII Tomis distinctum graec. et lat. textum denuo recensuit, — — scholia graeca maximam partem inedita addidit, et edidit Christ. Frid. Matthaei. Rigae 1783—88.

Subjicimus exempla, sumta ex scholiis ad Ephes. cap. IV. (in Chr. Fr. Matthaei edit. N. T. pag. 181.), ubi v. 6. legitur: *εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων*. Ultimis verbis Scholiastes adjecit: *τὴν δεσποτείαν*, indicans rem et sensum paucissimis, scilicet, in illo „*super omnes*" cogitandum esse *imperium in omnes*. Ad vers. 14., quo monemur, ne simus amplius infantes fluctuantes, qui circumferantur quolibet vento doctrinae *ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων*, scholii auctor addidit: *ἐν τῃ ἀστάτῳ περιφορᾷ, ὡς νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δε ἐκεῖνο διδάσκειν*, innuens circumscriptione quadam intelligi *instabilem jactationem* doctorum, qui in docendo sibi non constant.

Glossaria praestantiora sunt:

Hesychii Lexicon cum notis doctorum virorum, — suas animadversiones perpetuas adjecit J. Alberti. Lugd. Bat. 1746—66. II Tomi.

Suidae Lexicon, notis perpetuis illustravit Lud. Küsterus. Cantabr. 1705. III Tomi. edit. rec. 1834.

Phavorini Camertis Dictionarium ex multis et variis collectum. Basil. 1538. et Venet. 1712.

Etymologicum magnum cum notis F. Sylburgii. Heidelb. 1594.

Jo. Zonarae Lexicon, ex tribus codicibus mss. nunc primum edidit, observationibus illustravit et indicibus instruxit Jo. Aug. Henr. Tittmann. Lips. 1808.

Photii Lexicon, e codice Galeano descripsit Rich. Porsonus, Lips. 1823. II Vol.

His addi merentur:

Glossarium in N. T. libros, ex Mss. editum notisque illustratum a Jo. Alberti. Lugd. Bat. 1735, quod deinde totum ab auctore in Hesychii Lexicon illatum est.

Glossae in epistolas Paulinas, quae extant in Ch. F. Matthaei *Glossariis graecis* minoribus et aliis anecdotis graecis. Moscov. 1774. 75. Tom. I. p. 95 sqq.

Glossae in epistolas apostolicas, comparatae cum Cyrilli Lexico, quas e codicibus edidit Ch. F. Matthaei in *Lectionibus Moscoviensibus*. Lips. 1779. Vol. II. pag. 6 sqq.

Usum laudatorum glossariorum juvant: *Glossae sacrae Hesychii* — graece excerpsit, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti. Lips. 1785; *Suidae et Phavorini glossae sacrae gr.* cum Spicilegio glossarum sacrarum *Hesychii et Etymologici magni* — congessit, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti. Lips. 1786; J. Zonarae glossas sacras interpretari instituit Sturz. Grimmae 1818.

Exempla, quae praestantiam glossarum ostendunt, sunt: ἀρχὴ γράμματος, quo *Hesychius* vocabulum κεραιά Matth. V, 18., item πολυλογία, quo *Suidas* Matth. VI, 7. βαττολογεῖν, μολύναι, quo idem ibid. v. 16. ἀφανίσαι, denique ἀνεχώρησε, quo Schol. Eurip. Joan. V, 13. ἐξένευσε explicat.

Minus placent: ἐπιώσιος Matth. VI, 11., quod Alberti gloss. p. 202. e verbi ἔπειμι participio ἐπιῦσα exponit, ut notet *diem crastinum, diem sequentem*, λογία = συλλογὴ *collectio* I. Cor. XVI, 1. juxta Suidam, aliaeque his similes interpretationes, probabilius ex etymologia tantum vel contextu desumtae, proin a conjecturarum suspicione haud liberae.

§. 74. Unde cognoscatur, quem ubique nos usum sequi oporteat?

Haud raro notiones vocum phrasiumque sunt aliae Graecis, aliae Orientalibus, et aliae Christianis [1]). Quare statuendae sunt regulae, e quibus, si non semper certum, probabile tamen judicium ferre liceat, quem in quovis loco interpres sequi debeat usum. Et quidem:

1. Attendatur *ad sensum.* Quodsi ex hoc vel illo usu tantum sensus commodus prodit, apertum habetur indicium, quem oporteat nos sequi usum [2]).

2. Consideretur *ratio orationis grammatica* atque *syntactica.* Pro eo, ac illa Graecis solum, vel Orientalibus familiaris, aut saltem frequentior est, etiam usus vel graecus vel orientalis consulendus erit [3]).

3. Nonnumquam etiam ex *notitiis historicis* innotescit, qua ratione expressio quaedam sit interpretanda [4]).

4. Quodsi his rationibus res non decernitur, et tum graecus usus tum orientalis commodum praebet sensum, in regula *usus orientalis* praeferendus erit. Probabilius est enim, homines Hebraeos genere, et scriptores populares, qui erant auctores s. Scripturae graecae, usos esse dictione potius hebraico more, quam graeco, praesertim si hic sit rarior et exquisitior [5]).

[1]) Exemplo sit vox εἰρηνή, quae Graecis est *pax*, Luc. XIV, 32. Act. XII, 20. al., Orientalibus *omnis generis felicitas* (שָׁלוֹם), Marc. V, 34. Luc.

VII, 50. Act. XVI, 36 al., Christianis speciatim *felicitas per Christum parta*, Luc. I, 79. XIX, 42. Rom. II, 10. al.

[2]) Ex hoc capite voces: εἰρήνη Act. XII, 20. secundum usum loquendi graecum; μοιχοὶ vero et μοιχαλίδες Jac IV, 4. non secundum usum loquendi graecum de *physicis*, sed secundum orientalem de *spiritualibus adulteris* (ad imitationem hebraici נָאַף et derivatorum), et χήρα I. Tim. V, 9. nonnisi secundum usum loquendi christianum de *diaconissa* erunt capiendae.

[3]) Unde Luc. XXIV, 36. Joan. XX, 20. 26. εἰρήνη ὑμῖν, quae est consueta Orientalibus salutandi formula, et II. Macc. IX, 19. Act. XV, 23. XXIII, 26. Jac. I, 1. χαίρειν (subintellecto λέγει vel λέγουσι) salutatio a Graecis pro suo more literis praemissa omne dubium tollunt, quem usum interpres sequatur.

[4]) Ita ex historia populi hebraici Rom. II, 8. ἐριθεία potius est *renitentia*, quam *contentio*. Eadem ratione ex historia adventus Spiritus sancti et primae Ecclesiae Act. II. X, 46. XIX, 6. et I. Cor. XII—XIV. patet, quid significet saepius recurrens γλώσσαις λαλεῖν; non minus ex more primorum Christianorum celebrandi Eucharistiam liquet, quid Judae 12. ἀγάπαι denotent.

[5]) Proin Joan. VIII, 21. 24. ἀποθνήσκειν ἐν ἁμαρτίαις non secundum usum graecum interpreteris: *discedere e vita in ipso delicto*, vel *perseverare in peccatis usque ad mortem*, sed hebraice notabit: *perire* vel *damnari ob peccata*.

§. 75. Quae in consulendis linguae graecae biblicae fontibus generatim sint vitanda.

Cum recensiti fontes consulendi sint, quatenus ad usum s. Scripturae graecum sive communem sive peculiarem cognoscendum faciunt, necessario sequitur, generatim omnem comparationem reprobandam esse, quae hunc finem aut non promoveat, aut omnino ei adversetur. Ex hoc capite speciatim:

1. Damnanda est interpretatio, quae usum, cui secundum indicia §. praecedentis insistendum, ex fontibus, qui ad eum cognoscendum non faciunt, veluti graeca ex hebraicis vel vice versa [1]), aut omnino expressiones christianas ex auctoribus profanis, neglectis propriis fontibus explicare conatur [2]).

2. Nec eruditio, quae congerendis auctorum locis lumen majus non affert [3]), aut aliunde clara illustrare intendit [4]), aut planum sensum detorquere praesumit [5]), quaque haud pauci interpretes mire delectantur, probari potest.

[1]) Tali interpretatione praecipue usi sunt *Puristae* et *Hebraistae* (conf. §. 53. not. 2.), quorum priores pure graeca existimari voluerunt, quaecumque

in N. T. leguntur, nec ulla agnoverunt hebraismorum vestigia, posteriores vero, praesertim caeteris ferventiores, omnino negaverunt, elocutioni N. T. quidquam inesse, quod graecitati purae recte vindicetur.

[2]) Sic Doctor Paulus (Philologisch krit. hist. Kommentar über das N. T.) provocans ad talmudicum בת קול cum aliis illud Matth. III, 17. Καὶ ἰδυ, φωνὴ ἐκ τῶν ὀυρανῶν λέγυσα. Ὀῦτός ἐστιν ὁ ὑιός μυ ὁ ἀγαπητὸς *et ecce vox de coelis dicens: Hic est filius meus dilectus*, non de *voce viva externa*, sed de *interna* dici autumat, statuens tonitru velut symbolum praesentiae divinae Joannem ad cogitationem adduxisse, Jesum esse Messiam. Ast Talmudistae non sunt testes apti usus loquendi christiani, et hoc loco eo minus in subsidium vocandi, ac scriptores N. T. ipsi coll. Matth. XVII, 5. Joan. XII, 28. nullam omnino dubitationem relinquunt, quod de *voce externa et articulata* cogitandum sit. Alii non minus perverse vocabulum λόγος Joan. I. 1. sqq. ex Graecorum, nominatim Pythagorae et Platonis philosophia (*Clericus*, Epistolae crit. et eccles. Amstelod. 1712. ep. I. X.), aut ex Philone Alex. vel Babyloniorum Persarumque pneumatologia (Leonh. Bertholdt, Christologia. Erlang. 1811. §§. 23. 24. et Christ. Th. Kuinoel, Evang. Joannis. Prolegg. §. 7.) interpretari conantur, cum praeterquam, quod loci ex his fontibus congesti minime quadrent, Evangelista ipse expressionem sibi peculiarem non in obscuro relinquat. (Conf. §. 71. not. 2). Nec melior est interpretatio, qua Joan. XIV, 11. ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστιν *ego in patre sum, et pater in me est* illustrare volunt ex Elmacini historia Saracenorum (Edit. Erpenii. Lugd. Bat. 1625.), ubi pag. 277. legitur: „*Avus meus in filio est, et ego in patre meo*,“ licet de sensu loci sacri ex contextu et parallelis biblicis nemo dubius esse possit. Similia in recentioribus exegetis haud pauca invenies.

[3]) Ejusmodi eruditio superflua obtinet, dum Seb. Pfochenius (Diatribe de linguae graecae N. T. puritate. Amstel. 1629. p. 21.) et alii notionem vocis ἀκοή *rumor, fama* Matth. IV, 24. advocatis scriptorum graecorum auctoritatibus illustrare et comprobare contendunt, quia praeterquam, quod notio illa hebraissans in libris s. Scripturae graecis testimonio antiquarum versionum fulcitur (conf. Vers. Alexandr. II. Sam. XIII, 30. Jerem. XXXVII, 5. Symmach. et Theodot. Jes. XXIII, 5), in locis ab iis laudatis ἀκοή nihil aliud est, quam *commemoratio, narratio* rerum, quae olim gestae sunt, non autem *fama*.

[4]) Tale est II. Cor. V, 1. ὅτι ἐαν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν ὀικία τυ σκήνυς καταλυϑῆ *si haec terrena nostra domus tentorii destructa fuerit*, ubi praeterquam, quod Apostolo expressiones platonicas obtruserunt, quia Plato corpus humanum γήϊνον σκῆνος appellavit, teste Clemente Alex. Stromat. Lib. V, p. 593., licet *tentorium* aliunde Hebraeis (Sapient. IX, 15. τὸ γεῶδες σκῆνος) aliisque populis notissima imago corporis humani sit, καταλυϑῆ ex copiosis scriptorum profanorum locis, praesertim ex *Anacreontis* Odis IV. et XIV., ubi simplex λύειν eodem significatu occurrit, illustrare voluerunt. Sed ad quid tantae ambages ob notionem verbi καταλυειν *dissolvere*,

destruere, quae caeterum neminem latet, et in nostro loco etiam per contextum confirmatur?

[5]) Ita e. g. Lutheri et Calvini sectatores, antiquiores praecipue, omnia fiduciae in Deo et Christi meritis collocatae tribuentes, congestis Graecorum parallelis demonstrare conabantur, voci biblicae πίστις notionem *fiduciae* fere unice convenire, ita ut etiam copiosos illos s. Scripturae locos, in quibus aperte *fidem historicam*, id est assensum, qui veritatibus divinitus revelatis praestatur, denotat, non alia ratione interpretarentur.

Quantam eruditionem interpretes, qui partes Naturalismi ac Rationalismi sequuntur, haud raro impendant, ut usu loquendi detorto miraculum aliquod aut doctrinam rationi humanae imperviam e Bibliis eliminent, nemo rerum peritus ignorat.

§. 76. Conclusio. Subsidia literaria.

Ex dictis cuilibet patet, quarum linguarum notitia requiratur ad sensum e s. Scriptura rite et accurate eruendum. Etsi vero non omnia argumenta pro potestate vocum ac phrasium statuenda ex ipsis, quos recensuimus, fontibus haurire jubeamur, attamen ne studiis quidem aliorum, qui ex fontibus e. g. versionibus antiquis, Patribus etc. materias congesserunt, recte uti licebit ei, qui linguarum orientalium et graecae cognitione accuratiori careat, idiomatisque biblici proprietates perspectas non habeat, attenta et frequenti lectione. Qua eruditione destitutus nec vim argumentorum in libris subsidiariis obviorum examinare ac aestimare, nec dubius ad allegatum fontem recurrere valebit.

Ad copiosa, quae per decursum hujus tractatus laudavimus subsidia literaria pro studio linguae s. Scripturae tum hebraicae tum graecae commendanda adhuc referimus quaedam melioris notae opera, quae ad discendam linguam biblicam graecam, imprimis N. T. serviunt. Talia sunt:

Lexica: Jo. Frid. Schleusner, Novum Lexicon graeco-latinum in N. T. Editio IV. Lips. 1819. II Tomi. Chr. Abr. Wahl, Clavis N. T. philologica. Edit. II. Lips. 1829. Ejusdem Clavis N. T. philologica usibus scholarum et Theologiae studiosorum accomodata. Editio minor. Lips. 1831. C. G. Bretschneider, Lexicon manuale gr. lat. in libros N. T. Lips. 1829. Edit. III. 1840. Chr. Gottl. Wilke, Clavis N. T. philologica. Dresdae et Lips. 1841. II Tomi.

Quibus addi merentur: Chr. Schoetgenii Lexicon graeco-latinum in N. T. 1790. recentissime edit. auct. et emend. a G. Lebr. Spohn. Hal. 1819. et E. G. A. Boeckel, Nova clavis in graecos V. T. interpretes scriptoresque apocryphos ita adornata, ut etiam lexici in N. T. libros usum praebere possit. Lips. 1821.

Grammaticae: J. C. W. Alt, Grammatica linguae graecae, qua N. T. scriptores usi sunt. Hal. 1829. G. Bened. Winer, Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms. Editio IV. Lipsiae 1836. Edit. V. 1844.

CAPUT II.

DE SENSU EXPLORANDO PER UNIVERSALES COGITANDI LEGES.

§. 77. Dicendorum conspectus.

Ab usu loquendi jam progredimur ad examinandas eas, quae ad rem nostram faciunt, universales cogitandi leges, seu ad illas normas, ad quas mens humana in producendis ac consociandis ideis dirigitur, ceu ad alteram conditionem, in qua inventio sensus orationis cujuscunque, adeoque etiam biblicae residet. Cum enim vocabula, utpote *signa* cogitationum pluribus ex titulis sat imperfecta, sensum loquentis saepe aut in obscuro relinquant, aut certo non indicent, nihil aliud restat, quam ut ad *res significatas* ipsas, id est ad cogitationes loquentis, verbis utcunque adumbratas animus interpretis convertatur, et expensis legibus, ex quibus istae pendent, eruatur ac plane determinetur, quod usus loquendi circa sensum orationis obscurum aut indeterminatum reliquerit (§. 13).

Quae vero sint leges illae, quibus homines in producendis ac consociandis ideis dirigantur, et ad quas proin omnis oratio, quae non est nisi cogitationum internarum externa descriptio seu imago, componatur necesse sit, facili negotio intelligitur. Constat inter omnes, eam esse mentis nostrae indolem, ut omnia ad unitatem revocet, ita quidem, ut quoad cogitatus ipsos *cohaerentia,* et quoad nos atque relationes, in quibus positi sumus, *convenientia* cogitemus. Quae cum ita sint, etiam oratio cujusvis loquentis sana mente praediti, adeoque et eorum, qui in Bibliis loquuntur, necessario ita concepta ponatur, ut, si notiones atque

sententiae, quas complectitur, ipsae inter se conferuntur, antecedentes et consequentes sibi respondeant, et si ad loquentem ejusque relationes exiguntur, eis conveniant. Unde fieri non potest, quin consideratio *contextus* et *auctoris orationis* interpreti biblico sit magno ac multiplici adjumento ad sensum orationis, quem usus loquendi obscurum, incertum aut vagum reliquit, illustrandum, definiendum ac confirmandum. Itaque explorato usu loquendi interpreti adhuc attendendum erit:

a) *Ad contextum*, b) *ad auctorem orationis*.

De quibus jam singulis agemus.

TRACTATUS I.

CONTEXTUS.

§. 78. Notio et diversae contextus species.

Contextus orationis est conjunctio et relatio antecedentium et consequentium, quas loquens spectavit, notionum ac sententiarum, ita quidem, ut ad quamdam *unitatem* tendant. Cum vero haec unitas, quae in sermone abesse non potest, spectari possit aut ratione *personae loquentis* aut ratione *rerum*, quae referuntur, atque priori quidem respectu vel in legibus *rationis* (logices stricte talis), vel *phantasiae* (adsociationis idearum) resideat, posteriori vero res relatae uniantur, sive respicias ad *tempus praeterlapsum*, quo vel successione chronologica evenerunt, vel narrantis dispositione congestae sunt, sive attendas ad *tempus futurum*, quo haud raro a prophetis remotiores cum vicinioribus conjunctae et commixtae prospiciebantur: quatuor diversae contextus species distinguendae sunt, scilicet *a) contextus logicus*, *b) psychologicus*, *c) historicus*, cui accedit *historico-dogmaticus*, et *d) opticus*, qui etiam nomine *prospectus prophetici* venit.

Observare tamen oportet, in singulis recensitis contextus speciebus haud raro plures connexionis rationes plus minusve concurrere, cum praeterquam, quod nexus logicus nullibi prorsus abesse potest, rerum gestarum narrationes saepius non tam juxta seriem temporis, qua contigerunt, quam ratione dogmatica connectantur, et insuper rationes psychologicae, tum in historiis tum in prophetarum prospectibus, virtutem exerceant. Praeterea, cum contextus *logicus* gravissimi sit momenti, operae pretium erit

considerare *proximum,* qui est nexus partium unius ejusdemque propositionis, *remotum,* qui est nexus propositionis alterius cum altera, *remotiorem* denique, qui est nexus mutuus plurium propositionum seu totius orationis.

De singulis contextus speciebus jam dicemus, in fine quasdam animadversiones generales subjuncturi *).

*) De contextu hoc loco agitur, quia ejus probandi vis in universalibus cogitandi legibus fundatur (§. 77.), quamvis, si *indolem* hujus subsidii spectes, quatenus scriptores biblici ipsi in eadem orationis serie suas expressiones obscuriores, vagas ac ambiguas exemplis, synonymis aliisque additamentis clarioribus explicant, ad praecipua usus loquendi testimonia directa referri debeat. Conf. §§. 22. 42.

§. 79. Contextus logicus proximus.

Cum ex lege necessaria, a qua ratio neminem solvit, singulae propositiones unitatem aliquam efficiant, adeoque singulae ipsarum partes concinnare necessario debeant, pro interpretatione propositionum singularum gravis momenti regula ac subsidium prodit, quod nempe *cognita partis ad sententiam aliquam spectantis notione reliquae partes ita sint exponendae, ut ad cognitam quadrent.*

Unde ex noto subjecto ad conveniens praedicatum, et ex noto substantivo ad conveniens adjectivum vel ad aliud substantivum adpositum, ex adverbio ad notionem vocabuli, ad quod spectat etc. [1]) et vice versa [2]), paucis, ex certis ad incertorum notionem concludere licet. Quodsi positiva notio saepius ex hac regula non patet, quia plures notiones sententiae integrae aut parti, ad quam spectant, respondere possunt [3]), negativum saltem momentum praestat regula, quod nempe notio non conveniens non sit spectata ab auctore [4]).

[1]) Sic Joan. III, 21. ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, *qui facit veritatem*, ex subjecto ὁ ποιῶν patet, ἀλήθειαν *practicam religionem*, adeoque *probitatem* indicare; Marc. X, 18. οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός, *nemo est bonus*, *praeter unum Deum*, ex substantivo Θεός liquet, adjectivo ἀγαθός notionem *optimus*, *perfectissimus* adhaerere; in verbis, Joan. VI, 55. „*Caro mea vere* (ἀληθῶς) *est cibus*, *et sanguis meus vere* (ἀληθῶς) *est potus*", adverbium ἀληθῶς bis repetitum innuit, per carnem et sanguinem Domini vere et proprie cibum et potum, non autem improprie doctrinam intelligendam esse.

[2]) Joan. I, 10. ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *mundus per ipsum factus est,* ex praedicato ἐγένετο liquet, mundum physicum, non moralem, ut Soci-

niani volunt, indicari. Joan. I, 18. μονογενής *unigenitus* de Jesu Filio Dei dictum ostendit, eum non ut alios homines, e. g. Joan. I, 12., filium Dei dici, sed ratione longe eminentiori ac prorsus peculiari. Similiter I. Tim. IV, 8. verba: ἡ σωματικὴ γυμνασία *corporalis exercitatio* de gymnasticis exercitiis, non de asceticis intelligenda esse, monet adjectivum σωματικὴ. Plurima alia mittimus.

[3]) Hinc e. g. interpretationes loci vexati Gal. III, 20. in tantam excrescere potuerunt molem, ut earum numerus ducentas et quinquaginta excedat, quia plurimae earum contextui fere aeque conveniunt, vel ab eo saltem non manifeste respuuntur. Conf. H. A. Schott et Jul. Fr. Winzer, Comment. in epistolas N. T. Lips. 1834. Vol. I, pag. 452 sqq.

[4]) Quare Matth. XVII, 27., quae a Dr. G. E. Paulus verbo εὑρίσκειν obtrusa est notio *vendendi*, reprobanda est, utpote contextui proxime repugnans.

§. 80. De rite distinguendis et referendis partibus propositionis

Quid in propositione sit subjectum et quid praedicatum, et quo pertineant caetera adjecta, bene nosse debet interpres. Plerumque id dignoscitur sine omni difficultate e natura rerum, ex ordine vocabulorum, aliisque indiciis grammaticis, nonnunquam tamen res sat ambigua est. Pro casu dubii sequentes observationes subjunguntur, licet ad omne dubium ubivis tollendum non sufficiant. Et quidem

a) quod attinet subjectum et praedicatum,

1. illud Graecis, hoc Hebraeis praecedere solet, quod tenendum est, quamdiu ex rei natura, expensa utriusque ratione, aliisve causis nihil obstat. Exceptio inprimis locum habet in emphasi, cujus vocabulum ex rei natura primo, quantum licet, loco poni solet [1]).

2. Subjectum articulo gaudet, praedicatum non item [2]); at utrumque haud raro aliter invenitur [3]).

b) Difficilius hinc inde definitur, quo alia quaedam propositionis vocabula spectent. Ad quod dispiciendum jubent attendere

1. ad positionem vocis, ex qua ad illud spectare cognoscitur, cui est appositum, et quidem, si nihil obstat, postpositum [4]).

2. Alibi vocabula, quo spectent, dubia accipiantur ad praecipuum, quod auctori obversabatur argumentum [5]).

[1]) Sic Genes. IV, 13. גָּדוֹל עֲוֹנִי, *magna est iniquitas mea*, et Rom. XIII, 10. *plenitudo* (πλήρωμα) *legis est dilectio*, facile praedicatum cognoscitur praepositum.

[2]) Exemplo sint: Ps. CXVIII, 26. בָּרוּךְ הַבָּא *benedictus sit veniens;* Joan. IV, 24. πνεῦμα ὁ Θεός, *Spiritus est Deus.*

[3]) Praesertim subjectum minus determinatum articulo caret, uti Prov. XI, 7. בְּמוֹת אָדָם רָשָׁע *cum moritur homo improbus;* contra praedicatum haud raro, praecipue si subjecto cuidam eminentiori modo tribuitur, articulo gaudet. E. g. Joan. I, 21. ὁ προφήτης εἶ σύ; *num tu es propheta* (ille promissus)?

[4]) Ex hoc capite Matth. V, 3. *Beati pauperes spiritu*, vocabulum *spiritu* (πνεύματι) non ad beatos sed ad pauperes trahas.

[5]) Propterea I. Thess. III, 2. ἐπέμψαμεν Τιμόθεον — — συνεργὸν ἡμῶν — — εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς, *misimus Thimotheum — — coadjutorem nostrum — — ad confirmandos vos*, verba εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς non spectant ad συνεργὸν, sed ad remotius ἐπέμψαμεν, quia in hoc residet notio principalis, et quod Timotheus sit coadjutor Pauli, tantum per incidens adjicitur.

§. 81. Contextus logicus remotus.

Relatio logica sententiarum sese excipientium est diversissima. Aut enim se habent ut genus et species, totum et partes, causa et effectus, antecedentia et consequentia, ratio et consequens, similia et opposita, aut ut assertio et explicatio, demonstratio vel illustratio etc. Ad quam relationem si diligenter attenderit interpres, haud levia in rem suam assequetur emolumenta, Etenim

1. inde saepius inprimis definienda est *significatio particularum*, quibus propositiones sese excipientes conjunguntur, et quarum usus sicut in A. T. ita etiam in N. T. perquam vagus est. Sic non raro particulis mere *copulativis* connectuntur dictiones, quarum relatio logica alias particulas requirit. Etenim illis modo explicatio inducitur[1]), modo conditio subjicitur[2]), modo comparatio innuitur[3]), alias etiam contrarium indicatur[4]). Contra *particulae contrarium indicantes* reperiuntur, ubi nulla est oppositio[5]), sicut et dictiones per particulas *causales* junctae occurrunt, inter quas non nexus causalis, sed ea intercedit ratio, ut altera alteram explicet[6]), aut altera ex altera sequatur[7]), aut altera cum altera comparetur[8]). Aliis tandem in locis nexus vere causalis particulis *comparativis* indicatur[9]). Denique utrum particulae ἵνα, ὅπως *ut*, *intentionem* vel *sequelam*, *effectum* denotent, ex nexu logico dignoscendum est[10]).

2. Porro inde innotescit, quae significatio e pluribus in dato loco eligenda sit; scilicet quae antecedentibus et consequentibus respondet [11]). Quodsi in certo loco contextus nonnisi unicam significationem admittit, haec ipsa certissima habenda erit, licet sufficientibus aliis testimoniis confirmari nequeat. Per hanc regulam significatio *τῶν ἁπαξ λεγομένων* atque rariorum sat certe determinatur [12]).

3. Praeterea exinde intelligitur, quibus limitibus voces et formulae sint circumscribendae, pro eo nimirum, ut latius vel angustius acceptae seriei orationis conveniant [13]).

4. Denique, quae loquens supplenda reliquerit, ex contextu eruuntur [14]).

[1]) Uti I. Sam. XXVIII, 3. בְּרָמָה וּבְעִירוֹ *in Rama, utpote urbe ejus patria;* I. Cor. III, 16. *ὀυκ οἴδατε, ὅτι ναὸς Θεȣ̃ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦμα τȣ̃ Θεȣ̃ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; nescitis, quod templum Dei estis, cum utique Spiritus Dei vos inhabitet?*

[2]) Huc pertinet Genes. XLII, 18. זאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *si hoc feceritis, vivetis;* Joan. XVI, 24. *ἀιτεῖτε καὶ λήψεσθε, si petieritis, impetrabitis.*

[3]) E. g. Job. XII, 11. הֲלֹא־אֹזֶן מִלִּין תִּבְחָן וְחֵךְ אֹכֶל יִטְעַם־לוֹ *nonne auris sermones probat, sicut palatum cibos gustat?*

[4]) Tale est Jud. XVI, 15. אֵיךְ תֹּאמַר אֲהַבְתִּיךְ וְלִבְּךָ אֵין אִתִּי *quomodo dicis amo te, cum tamen cor tuum non sit mecum?* Ex hoc capite Act. X, 28. in verbis Petri: *ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὡς ἀθέμιτον ἐστιν ἀνδρὶ ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, καὶ ἐμοὶ ὁ Θεὸς ἔδειξε μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον* Vulgatus καὶ recte vertit *sed*, est enim notio adversativa: Creditur nefas esse Judaeo, familiariter uti gentilibus, *sed* Deus alia me docuit.

[5]) E. g. Joan. XVI, 2. *Absque synagogis facient vos, sed* (ἀλλὰ) *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo*, quo in loco ἀλλὰ rectius *imo* redditur, est enim gradatio. Conf. etiam Luc. XII, 7.

[6]) Cujus modi est I. Cor. XI, 23. *Ἐγὼ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίȣ, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ Κὺριος Ἰησȣ̃ς ἐν τῇ νυκτὶ, ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον*, ubi ὅτι explicative accipiendum est, ita ut sit *nempe, scilicet.*

[7]) Uti Jerem. VII, 18. — — — הַבָּנִים מְלַקְּטִים עֵצִים וְהָאָבוֹת מְבַעֲרִים אֶת־הָאֵשׁ לְמַעַן הַכְעִסֵנִי׃ *filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem* — — — *ut* (i. e. quo fiet, ut) *me ad iracundiam provocent.*

[8]) Exemplo sit Hebr. VI, 7. *Γῆ γὰρ ἡ πιȣ̃σα τὸν ἐπ' ἀυτῆς πολλάκις ἐρχόμενον ὑετὸν καὶ τίκτȣσα βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις, δι' ȣ̃ς καὶ γεωργεῖται, μεταλαμβάνει εὐλογίας ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃*, ubi particula γὰρ comparativa est: *Sicut terra, quae — — —, a Deo foecundata est.*

[9]) Ita Rom. I, 28. *καθὼς sicut*, manifeste indicat *quia*, ita ut verba Apostoli reddenda sint: *Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

10) Quapropter, si Rom. V, 20. legitur: *Lex subintravit, ut* (ἵνα) *abundaret delictum*, quia Deus profecto data lege augere delictum non intendit, ἵνα reddendum erit: *eo effectu, ut.*

11) Sic Genes. XXIV, 2. זְקַן בֵּיתוֹ *senior domus ejus*, intelligitur ex additamento: הַמּוֹשֵׁל בְּכָל אֲשֶׁר לוֹ *qui praeerat omnibus, quae habebat.* Luc. I, 35. πνεῦμα ἅγιον non *impulsum divinam*, sed *vim divinam* notare, docet non minus sequens δύναμις ὑψίστου, quod explicat illud, quam praecedens: πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, quam objectionem refutat angelus. Porro Luc. I, 28. κεχαριτωμένη notare *Deo acceptam*, patet ex sequenti v. 30. εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, *invenisti gratiam apud Deum.*

12) Ejusmodi est Genes. XLII, 23. מֵלִיץ, quod esse *interpretem* cognoscitur, quia tantum ob adhibitum interpretem fratres Josephi, ut observatur, putare poterant, se ab eo non intelligi. Num. VI, 3. לַח esse *viride* et *recens*, docet oppositum יָבֵשׁ *aridum.* Pari modo Hebr. I, 1. προφῆται non esse *scripta prophetarum*, sed *prophetas ipsos*, ex opposito ὁ υἱός manifestum est.

13) Exemplum habes Genes. XXVIII, 14., ubi בְךָ *per te*, ad Jacobi posteros extendendum esse, evincit appositum וּבְזַרְעֶךָ *nempe per semen tuum*, sive per *posteritatem tuam.* Contra Act. II, 5. ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν non pro omni sua universali vi accipiendum esse intelliget, qui attenderit ad v. 9. sqq. ubi diversae nationes, quae aderant, enumerantur.

14) Matth. VI, 24. οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, *nemo potest duobus dominis servire*, subintelligendum esse: *contraria jubentibus*, sequentia docent, quae de Deo et de nimia divitiarum cupiditate loquuntur. Non minus Joan. III, 2. 3. ex responso Domini patet, Nicodemum etiam de conditione interrogasse, sub qua regni coelestis particeps aliquis fiat, et Evangelistam hanc interrogationem omisisse.

§. 82. Contextus logicus remotior.

Similem usum exhibet contextus remotior, ob quem ad sententias ejusdem orationis plus minusve distantes attenditur. Quo fit, ut

1. singularum vocum notiones pateant [1]; dein
2. rigor dictorum sive termini notionum definiantur [2]; denique
3. ut inde quoque, ex integra nempe cogitatuum etiam remotiorum serie, quae sint supplenda, intelligantur [3].

Insuper contextus iste alia sat gravia praestat commoda. Ex facta enim remotarum sententiarum inter se comparatione consilium auctoris elucescit, num nimirum et ubi illustrare vel demonstrare, docere vel movere, absolute vel conditionate intelligi velit, et quae sunt similia [4].

1) Uti Joan. I, 1., ubi quid sit λόγος, sequentibus membris, praesertim v. 14. docetur, quo σὰρξ factus, inter homines versatus, majestate

unici Dei filii a Patre missi conspicuus, gratiae et verissimae doctrinae auctor praedicatur.

[2]) Inde Philipp. II, 21. *Omnes, quae sua sunt, quaerunt, non quae sunt Jesu Christi*, intelligitur, *omnes* (πάντες), de doctoribus christianis dictum, restringendum esse, quia ibidem IV, 3. plures laudantur, qui cum Paulo in Evangelio praedicando laboraverunt.

[3]) Ita e. g. considerata argumentatione Gal. III, 2—5. facile intelligitur, deesse sententiam: *Religionem a Deo donis spiritualibus confirmatam relinquere non oportet.*

[4]) Sic explicandi consilium, et quidem I. Cor. XIII, 4. sqq. per proprietates rei descriptas, Hebr. XI. per exempla, Rom. V, 12. sqq. per comparationem nulli ad cogitatuum nexum attendenti dubium esse poterit.

Plura de diversis nexus logici speciebus ac probandi vi legi possunt in Joan. Jahn Enchiridio Hermeneuticae, p. 51 sqq.

§. 83. Contextus psychologicus.

Ea est animae nostrae indoles, ut ideae sese in mente mutuo provocent atque excipiant, quae nobis olim simul aut in iisdem adjunctis obversabantur, quae frequenter sibi succedebant, quae cum praesenti animi statu, puta hilari vel tristi, conveniunt, vel denique, quae res similes vel contrarias repraesentant. Cum in his legibus adsociatio idearum, quae est operatio animae (ψυχῆς) nostrae, versetur, conjunctio ac relatio notionum ac sententiarum loquentis eis innixa *contextus psychologicus* dicitur.

Teste experientia, quae dictis legibus conveniunt, fieri solent, ita tamen, ut ab isto ordine nonnunquam deflectatur; quam ob rem generatim monere oportet, interpretationes illis, ubi recte applicantur, respondentes perquam probabiles, saepe vero non omnino certas esse.

Specialia emolumenta, quae ex nexu psychologico interpreti accedunt, sunt:

1. Qui cognoverit, quae cogitata in animo loquentis sese consequi et comitari consueverint, quaeve, dum verba faceret, animi dispositio fuerit, inde definire poterit, quaenam dictorum interpretatio caeteris sit praeferenda [1]).

2. Ope contextus psychologici nonnumquam ratio dicti cujusdam ac ipsius dicendi modi cognoscitur, qua ignorata interpretatio aut in obscuro relinquitur, aut saltem non plena luce gaudet [2]).

3. Haud raro, ubi loquentem aut a nexu notionum vel sententiarum logico, aut a dispositione rerum gestarum chronologica

deflexisse observatur, hujus rei ratio et explicatio in legibus psychologicis deprehenditur [3]).

4. Denique eodem pacto illustrantur imagines, quarum usus semper e vera aut opinata similitudine petitur [4]).

Quodsi vero nexus psychologicus praeprimis in similitudinis ratione versatur, observare juvat, eam hominibus minus cultis ac vivacioribus, quales sunt Orientales, esse dicendi atque scribendi rationem, ut ipsis dictorum series frequenter ex mera similitudine accidentali soleat obvenire, quod ipsum in s. Scriptura, et quidem nonnunquam etiam in auctoribus caeterum cultioribus occurrit, et inde lucem nanciscitur [5]).

[1]) Ex hoc capite interpretatio vocabuli θέλημα in oratione dominica Matth. VI, 10. de ea *voluntate*, qua Deus declarat, quid a nobis fieri velit, satis confirmatur observatione, quod notio voluntatis Dei, actionibus exequendae, non minus, quam notiones de Patre coelesti honorando regnoque divino promovendo ad primarias atque solemnes, quae in institutionibus Jesu arcte cohaerent, notiones pertineat, et proin a precandi formula, qua hae proponuntur, illa abesse non possit. Pari modo, si quibusdam verba Math. XXVI, 45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν (Vulg. *Dormite jam)* ironiam continent, nostrâ sententiâ Dominus sine ironia, quae ab instante patiendi tempore et a tristi animi dispositione aliena erat, serio discipulis dicebat: *Alio, quam nunc, tempore dormiatis.*

[2]) Ejusmodi est locus Joan. VII, 37. 38. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς ἑιστήκει ὁ Ἰησῦς, καὶ ἔκραξε λέγων, Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω. Ὁ πιστεύων ἐις ἐμὲ. καθὼς ἐίπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. Constat, ultimum diem festi tabernaculorum prae caeteris solemnem fuisse ob ritus, qui eo peragebantur, praesertim ob aquae ex fonte Siloam a sacerdote haustae effusionem, clangentibus tubis et buccinis. Quae ipsa ceremonia Domino, qui ejusdem spectator adfuerat, haud dubie occasionem dedit, de saluberrima illa ac laetissima Spiritus sancti effusione, quam suis sectatoribus erat largiturus, verba faciendi. Quam quidem utriusque effusionis conjunctionem etiam eo comprobatam existimamus, quod Jesus jam alio tempore loquendi rationem prophetarum secutus institutiones et dona Messiae cum fonte aquae vivae comparaverit. Conf. Jes. XII, 3. XLIV, 3. LV, 1. Ezech. XXXVI, 25. Joel III, 18. Joan. IV, 14. Caeterum nec inter Talmudistas defuerunt, qui aquae effusione significatas esse dotes Spiritus s. tempore Messiae tribuendas praeciperent. Vide Lightfoot et Wetsten. ad l. c. Etiam Evangelista ipse verbis Christi eandem interpretationem adjecit VII, 39.

[3]) Ita a nexu logico ad psychologicum deflectit Apostolus I. Cor. VII., ubi de matrimonio et virginitate disputat. Cum enim v. 12. sqq. praecepisset quae agendi ratio conjugi alteri, transgresso ad religionem christianam, cum altero nondum christiano sit tenenda, v. 17—24. relationes homi-

num personales, civiles atque domesticas religione christiana generatim non immutari docet, qua institutione interjecta, v. 25. sqq. quaestionem principalem resumtam prosequitur. Cujus digressionis ratio ex adsociatione idearum Apostoli aliunde nota elucescit. Quod ad nexum historicum attinet, Lucas, qui caeterum continuam seriem (καθεξῆς) seu ordinem temporis, quem promisit (I, 3.), servat, III, 19. 20. tamen eo nexu relicto Joannem ab Herode carceri traditum commemorat; etenim v. v. 21. 22. narrat, quae contigerunt tempore, quo Jesus a Joanne, utique adhuc libero, baptizabatur. Ratio ordinis turbati est, quod Evangelista, qui hactenus animum Joannis adeo intrepidum in urgenda vitae emendatione et sanctimonia descripserat, ut nequidem scelerato regi parceret, tristem sortem, quam severus concionator sibi inde paravit, ab ista descriptione non alienam, et propterea statim inserendam existimavit, licet res gestae, quas postea refert, eam praecederent.

4) De imaginibus biblicis infra §. 111 sqq. plura dicentur, e quibus eas e similitudinis lege petendas et illustrandas esse, facile intelligitur.

5) Quod fit, dum dicta ob solam quamdam expressionis convenientiam conjunguntur. Sic Lucae XII. τὸ ἅγιον πνεῦμα ansam dedit, ut dictis Domini de gravitate blasphemiae in Spiritum sanctum v. 10. consignatis promissa discipulis data de ejusdem auxilio coram magistratibus et tribunalibus subjungeret. Pari ratione Paulus a commemorata potestate Ecclesiae judiciaria (κρίνειν) I. Cor. V, 12. ad lites Christianorum civiles dijudicandas (κρίνεσθαι) VI, 1. sqq. transit.

§. 84. Contextus historicus et historico-dogmaticus.

Res gestae aut narrantur juxta ordinem temporis, quo successerunt, aut ea dispositione a scriptore connectuntur, ut ad certum consilium, puta ad quamdam veritatem demonstrandam, vel agendi rationem repraesentandam ac illustrandam faciant, quin ad tempus accurate attendatur. Quodsi prius obtinet, *contextus historicus*, si posterius, *historico-dogmaticus* habetur. Quod jam duplicem hujus connexionis rationem attinet, sequentia sunt notanda:

1. Etiam in iis historiae biblicae partibus, quae caeterum ordinem chronologicum sequuntur, hinc inde res gestae a scriptore conjunguntur, licet revera longiori temporis spatio, quo aliae res praetermissae succedebant, fuerint ab invicem remotae [1].

2. Frequenter in libris historicis s. Scripturae nexui pure historico, qui desideratur, historico-dogmaticus substituitur. Quo in casu, ut jam observatum est, praeter loquentis consilium etiam rationes psychologicae vim exercere solent [2].

3. Saepe nexus alter cum altero consociatur, uti in historiis, quae vocantur pragmaticae, passim [3].

Magni momenti esse, ut interpres sciat ordinem, quo res, quae narrantur, successerint, facile patet. Etenim facta praecedentia probe perspecta lucem afferunt consequentibus. Quanta porro emolumenta interpreti ex perspectis factorum dictorumque occasionibus et loquentium adjunctis, quae successionis rerum gestarum historicae investigatione panduntur, accedant, suo loco dicetur [4]). Quam ob rem ordini eventuum chronologico eorumque occasionibus et adjunctis explorandis diligenter incumbat.

Quod attinet interpretationem locorum, qui contextu historico mixto cohaerent, videndum est, num ad certum consilium efficiendum, an ob similitudinis rationem sint congesti? In priori casu juxta praecepta, quae de consilio proponentur, in posteriori juxta ea, quae de contextu psychologico valent, instituenda est.

Hoc loco monendum est, errare interpretem, qui eum contextum historicum, in quo consilium quoddam vel similitudinis leges vim habent, pro mere historico sumeret. Quare inquirat, num historia explicanda ordine chronologico fors non sit consignata, et quomodo ille restituatur. Prius indicant *historici alii*, qui easdem res referentes successionem eventuum historicam accuratius praeseferunt; dein *loquentis consilium*, quod ejusmodi est, ut temporis ordinem curare non teneatur [5]). Posterius, quod haud parum difficile est, iterum inprimis *ex aliis historiae ejusdem documentis, chronologice conscriptis* [6]), dein *ex circumstantiis*, quibus melius congruit argumentum [7]), cognoscitur. Utrumque aliquantum *consideratio rei naturae* adjuvat. Et negative quidem certo inferre licet, narrationem quamdam non esse chronologice consignatam, si rei naturae probe cognitae repugnat. Quia vero naturam rei saepius sat exploratam non habemus, et multo minus ubique definire possumus, num ordo, quem sequitur scriptor, ei revera adversetur, an ei, et quidem solus, conveniat; hoc subsidium raro et caute tantum adhibendum est [8]). Accedit, quod ratione historiae evangelicae considerare oportet, Jesum diversis temporibus diversis in locis diversos auditores instituisse, ita ut credendum sit, eum eandem doctrinam non semel tantum sed saepius verbis, ut fieri solet, plus minusve diversis tradidisse, cum contra singulis Evangelistis doctrinam aliquam semel tantum literis mandasse sufficiens fuisse videretur. Quam ob rem conatum posi-

tive definiendi singulorum ordinem et occasiones, praesertim in Evangeliis cassum laborem existimamus [8]).

[1]) Exemplo sit Evangelium Joannis, in quo, licet caeterum non obstante consilio dogmatico cap. XX, 31. enuntiato ordinem chronologicum accuratius sequatur, frequenter longiores lacunae occurrunt, inde explicandae, quod auctor, qui reliquos Evangelistas supplere voluit, res gestas, longiori temporis spatio distantes aliis, quae intercesserant, quum ex illorum relatione jam notae essent, omissis connecteret.

[2]) Conf. §. 83. not. 3. In Evangelio Matthaei, qui ob consilium, quod sequitur, dicta et facta Jesu non serie historica sed ratione dogmatica congerit, auctorem quoque quamdam materiae et formae similitudinem in rebus gestis disponendis sequi, plura haud obscura indicia innuunt. Conf. VIII, 17. XIII, 35. et IX, 36—38. coll. X. XI.

[3]) Ita Joannes, qui prae reliquis Evangelistis est scriptor historiae pragmaticus, perquam frequenter narrationibus animadversiones judiciumque suum inseruit. Imo non tantum factis sed etiam dictis Jesu, inprimis sententiis, quae vel obscuritatis aliquid vel offensionis, vel pondus magnum habere viderentur, interpretamenta sua adjecit. II, 21. sqq. VI, 6. 64. 71. VII, 39. XI, 13. 51. XII, 6. 14—16. 33. 37. sqq. XXI, 19. 23. Itaque in hac tractatione rebus gestis, quae, si intervalla excipias, chronologice se consequuntur, observationes auctoris, quae ad ipsius consilium faciunt, admiscentur.

[4]) Haud dubie, ut exemplum adducamus, triumphalis Domini ingressus in urbem Hierosolymarum lucem capit ex resuscitato paulo ante Lazaro. Joan. XII, 12. sqq. coll. XI, 1. sqq. De commodis, quae interpres ex cognitis occasionibus et adjunctis rerum gestarum nanciscitur, vide §§. 91. 92.

[5]) Ex his indiciis Matthaeum V.—IX, 35. ordinem chronologicum non presse sequi intelligimus, quia alii Evangelistae plura alio tempore a Jesu dicta et facta fuisse referunt, et quia auctor post clausulam IV, 23. insertam consilium innuit exponendi, primum quomodo Dominus docuerit V.—VII. dein quomodo sanaverit VIII, 1. sqq.

[6]) Quapropter eruditi ad ordinem chronologicum earum Matthaei partium, quas ab illo deflexisse existimant, restituendum narrationes reliquorum Evangelistarum, quae successionem rerum historicam accuratius sequuntur, merito in subsidium vocant.

[7]) Hoc subsidio e. g. orationem dominicam non ei, quem Matthaeus VI, 9. sqq., sed illi, quem Lucas XI, 1. sqq. refert, rerum ordini chronologice annectendam esse, recte statuitur, qui circumstantiis a posteriori annotatis optime convenit.

[8]) Cum Matthaeus XIV, 2. commemorasset, Herodem, cui miracula Christi innotuerant, in eam opinionem venisse, Joannem a se trucidatum in vitam esse reversum, historiam captivitatis ejusdem ac mortis v. 3. sqq. non chronologico ordine insertam esse, natura rei manifesto docet. Contra vero, si eruditi (conf. Feilmoser, Einleit. II. edit. p. 29.) sanatio-

nem servi centurionis inter hujus generis miracula speciatim recensita a Matthaeo VIII, 5. sqq. secundo loco positam inserendam esse arbitrantur historiae evangelicae sequiori, utpote cui melius congrueret, quia eximia centurionis fides a Domino laudata pluribus curationibus a Salvatore peractis facilius explicari posset, haec minus firma sunt, cum profecto alia quoque insignia facta ab hoc Evangelista separatim non exposita, quibus initia publicae vitae Jesu sublatis hominum infirmitatibus et indigentiis illustrabantur, centurionis fidem excitare et confirmare potuerint. Vide Joan. II, 1. sqq. IV, 45. sqq. Luc. IV, 23. coll. Matth. IV, 23 — 25.

[9]) Aut quis e. g. singulas doctrinas orationis sic dictae montanae apud Matthaeum V—VII. juxta tempus certo ordinasse gloriabitur?

§. 85. Contextus opticus.

Prophetis, qui ab ipsa s. Scriptura speculatoribus ex alto loco prospicientibus comparantur [1]), nonnumquam confusus tantum ac minus clarus rerum futurarum conspectus contigisse videtur, quo nec ipsi omnia viderunt, nec quae viderant, satis distincte conspexerunt. Etenim si vaticinia eorum consideraveris, haud raro ab alia re ad aliam remotam transilire deprehenduntur, quo fit, ut distantia connectant, quin intervallum, quod intercedit, innuant, et perspicuitate in rebus, praesertim remotioribus repraesentandis careant [2]). Cum ejusmodi prospectus res futuras, saepius non tam successione chronologica, qua eventurae sint, quam potius similitudinis lege conjunctas exhibeant, in *contextu optico* nexum historicum simul cum psychologico vim habere patet. Quam ob rem interpretatio vaticiniorum, quae illo contextu cohaerent, ad utriusque nexus praecepta pro ratione virtutis, quam alter vel alter in prospectu prophetico exseruit, instituenda erit. In specie pro contextus optici indole interpreti sequentes cautiones sunt observandae:

1. Cum contextus ille haud raro eventus diversos, qui visionibus propheticis exhibentur, utut longo temporis intervallo distantes conjungat, eos ad temporis unitatem redigere non licet, sed potius singulos accurate separari, et quantum fieri potest, suo tempori assignari oportet [3]).

2. Cavendum est, ne ob levem aliquam similitudinem vaticinium inter et eventum quemdam sequioris aetatis posterior priori praesagitus fuisse invito auctore artificiose aut violenter statuatur [4]).

3. Ubi vero a sacro vate certas res futuras adumbratas fuisse certum vel saltem satis probabile est, videat interpres, ne ipsi plura vel clariora tribuat, quam quae ab eo spectata fuisse, subsidiis hermeneuticis probari possunt [5]).

Caeterum loci, quibus contextus opticus subesse asseritur, vexatissimis s. Scripturae textibus adnumerantur, in quorum expositione una sententia omnibus vix unquam arridebit [6]).

[1]) Sic Ezech. III, 17. dicit Jehova ad prophetam: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Confer Hab. II, 1. Jes. XXI, 6.

[2]) Ejusmodi prospectus propheticus obtinet, si reditum ex captivitate Babylonica et tempora Messiana conjungunt. Huc spectat Jes. XLV. ubi propheta permixtim de Judaeorum per Cyrum liberatione ac de salute per Christum speranda loquitur. Quid? quod Jesus ipse morem veterum prophetarum secutus videtur, excidium Hierosolymarum et judicium extremum a se redituro habendum jungens, Matth. XVI, 27. 28. XXIV. Conf. Die heil. Schrift, von J. F. Allioli. T. V. Matthaeus p. 70. et 103.

[3]) Quapropter si visiones propheticae, quales sunt in nota praecedenti commemoratae, duos diversos eventus exhibent, alter ab altero probe est distinguendus.

[4]) Contra hoc monitum peccarunt interpretes, qui singulas visiones Apocalypseos sine firmo argumento et satis coacte atque argute de certis primae Ecclesiae fatis vel etiam de eventibus recentioris aevi exposuerunt.

[5]) Ratio hujus cautionis in indole prospectus prophetici posita est.

[6]) Jahn et Ackermann hunc contextum attribuunt locis, quos potius mere poëticam Messianae felicitatis descriptionem existimamus, quam quidem maximam fore cognoverunt prophetae, quin omnia Messiae fata ipsis perspicue revelata dicenda sint. Quod obtinere videtur Mich. IV.—V. Zach. IX.—XI. et alibi, ubi laudati auctores interposita Maccabaeorum tempora deprehendunt. Conf. Ackermann, Introd. in libros sacros V. F. P. II. §§. 75. 97. 153. Ast ab imagine felicitatis a Messia afferendae pro genio illius aevi victor, rex subjugataeque gentes abesse non potuerunt.

§. 86. Consideranda circa contextum.

Cum tot ac tanta sint, quae singulae contextus species subministrant, interpretationis subsidia, summi momenti est, nosse, unde partium orationis *nexus* ejusque *ratio* cognoscatur.

Ad statuendum primum, *quae in nexu posita sint*, non acquiescat interpres consuetae in capita et versus divisioni, utpote quae haud raro minus accurata invenitur [1]). Nec recentiorum divisionibus, quorum alii alias sectiones ponere amant, ea vis tri-

buenda est, ac si ultra eas egredi non liceat, quum saepius ea, quae sibi lucem affundunt, a se invicem remota inveniantur. Indicia nexus certiora sunt:

a) Loquendi formulae, quae initium, continuationem aut finem orationis innuunt [2]).

b) Unitas temporis, loci et personarum tam loquentium quam earum, ad quas dirigitur oratio, cum quaevis mutatio in his omnibus indicium esse soleat, non eandem amplius orationem continuari [3]). Quod tamen personas attinet, in colloquiis mutatione personae loquentis nexus non semper tollitur vel interrumpitur, imo unus quoque idemque sermo ad diversos auditores dirigi potest, ita ut aliae personae, ad quas oratio convertitur, non semper certum indicium alius orationis sint [4]).

c) Denique ipsum orationis, de qua agitur, argumentum in suas partes resolvendum est, ut inde dijudicetur, quae inter se conveniant et connectantur, aut disconveniant et separentur [5]).

Quod dein *nexus rationem* attinet, duo possunt interrogari:

1. Quod contextus *genus* obtineat? utrum nexus sit logicus an psychologicus, historicus an historico-dogmaticus, an opticus? Ad quod dispiciendum aliquantum particulae serviunt, multum tamen praesidii non praestant, quia, ut monuimus, earum usus in sacris literis perquam vagus est. Magis attendendum est ad notiones ac sententias sese excipientes, ut earum consideratione et comparatione cognoscatur ipsarum relatio, indeque colligatur, utrum rationibus logicis, an legibus adsociationis idearum, succesione eventuum historica, an prospectu prophetico cohaereant [6])?

2. Interpretis est, *gradum* nexus explorare, id est, inquirere et dijudicare, utrum in locis, de quorum explicatione agitur, essentialis vel accidentalis, angustior vel latior, vicinior vel remotior nexus locum habeat? Gradum nexus indicant:

a) Ratio grammatica, qua interpres in cognoscendo nexus gradu, vario modo adjuvatur [7]).

b) Parentheses et digressiones, quae, ubi obvenerint, plus minusve manifestant, antecedentia et consequentia non arcte inter se cohaerere [8]).

c) Quod historicum nexum attinet, ipsi auctores hinc inde plus minusve perspicue edicunt, num proxime, an post tempus, num quondam, an multo tempore elapso quidpiam evenerit [9]). Nonnun-

quam aliae narrationes earumdem rerum cum aliis comparatae ostendunt, num inter eventus narratos vicinior an remotior nexus obtineat [10]).

d) Denique, si ejusmodi indicia desunt, aliud non restat, quam ut interpres, argumento in suas partes resoluto, ipse dijudicet, quo gradu singula cohaereant.

[1]) Quam parum Bibliorum divisio recepta nexum orationis curaverit, obvia exempla ostendunt. Sic Jes. IX, 7. clauditur vaticinium VIII, 1. coeptum. Ejusmodi vaticinii finis est quoque Jes. XXI, 10., quin caput finiatur. Psalmi XCV. (hebr.) versus 7. et 8. ineptissime dividuntur.

[2]) Quo spectant: Genes. VI, 9. אֵלֶּה תּוֹלְדֹת נֹחַ, quibus verbis initium alterius documenti historiae Noachi indicatur; Jes. XXI, 11. מַשָּׂא דּוּמָה et ibidem v. 13. מַשָּׂא בַּעְרָב, ubi priori loco vaticinium de Duma, tribu aut urbe Arabiae, posteriori vero vaticinium de Arabibus inchoare significatur. Contra Joan. XX, 30. 31. clausulam continent, qua monet Apostolus, se operi suo finem imposuisse, ita ut, quae sequuntur, serius ab eo adjecta videantur.

[3]) Jes. XIV, 28. praeter verba: הָיָה הַמַּשָּׂא הַזֶּה, notatio temporis, quo Achaz rex mortuus est, initium alterius orationis indicat. Joan. XIV, 31. prioris sermonis finis manifestatur verbis: Ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν. Oratio ad Petrum Gal. II, 14. coepta III, 1. non amplius continuatur, quia auctor ad Galatas verba facit.

[4]) Jes. VII, 13. nexus colloquii non tollitur, licet v. 12. Achaz, v. 14. sqq. propheta loquatur. Luc. XVI, 1. Dominus ad discipulos loquitur, postquam XV, 2. sqq. ad Pharisaeos et scribas verba fecerat. Inde interpretes concludunt, priori loco initium novae orationis indicari; alii tamen eandem orationem XV, 3. coeptam capite XVI. continuari et peculiari solum modo ad discipulos converti existimant, quia hoc capite v. 14. expressa Pharisaeorum mentio fit. Conf. Hofmann, Hermeneut. p. 104. et Kuinoel, Comment. in libb. N. T. hist. V. II. Edit. II. p. 561 sqq. nec non Krit. Exeget. Komment. über das N. T. von H. A. W. Mayer. Götting. 1832. I. Abth. p. 354.

[5]) Paulus I. Cor. VIII, 1. — XI, 1. de carnibus, quae Diis immolatae fuerant, agit. Quodsi argumentum hujus tractatus in suas partes resolvitur, duae admonitiones, quae proxime ad illud non spectant, insertae observantur, altera brevior de scientia recte applicanda VIII, 1—3., altera prolixior de conversatione Apostoli a Corinthiis imitanda IX.

[6]) Exempla hujus rei subministrat Matth. VI., ubi v. 1. sqq. facile patet, Jesum generalem sententiam: „Opera bona non ob gloriam apud homines acquirendam peragantur," *logice* per partes dispescere voluisse; at v. 19. sqq. *psychologice* ad praecedens ἀποδώσει continuatur sermo de praemiis virtutis, quae oppositis bonis terrestribus exaggerantur. Num vero de avibus et liliis sermonem fecerit Jesus v. v. 26—28., quia locus haec conspicienda exhibuit, certo definiri nequit, licet a veri similitudine non abhorreat.

7) Ita Joan. I, 14. *πλήρης* non cum priori *μονογενοῦς* vel *δόξαν*, sed cum remotioribus *ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* nempe *ὁ λόγος* conjungendum esse, genere casuque docemur. Rom. V, 12. apodosis protasiu non immediate, sed v. 18., interjectis pluribus membris, sequitur. Unde nexus remotior manifestus est. Alia mittimus.

8) Nonnunquam breves notae per modum incisi insertae sunt, quae nexum parum afficiunt. E. g. Genes. XXIII, 2. וַתָּמָת שָׂרָה בְּקִרְיַת אַרְבַּע הִוא חֶבְרוֹן בְּאֶרֶץ כְּנָעַן *Sara mortua est in Kirjath Arba (serius Hebron appellata) in terra Canaan*. Ejusmodi parenthesis est quoque Ruth IV, 7., qua antiqui moris notitia datur. Longiores parentheses vel digressiones, quales occurrunt I. Cor. I, 13. — III, 3. sqq. I. Tim. I, 5. — 18., remotiorem nexum innuunt.

9) Indicia nexus historici vicinioris, quae scriptores ipsi exhibent, sunt: Genes. XLI, 1. וַיְהִי מִקֵּץ שְׁנָתַיִם יָמִים *post duos annos;* Matth. XVII, 1. *καὶ μεθ' ἡμέρας ἕξ sex diebus elapsis*. Conf. Joan. XX, 26. al. — Act. IX, 23. *ὡς δὲ ἐπληρῦντο ἡμεραὶ ἱκαναὶ multo autem tempore elapso*, remotior nexus indicatur. Contra Matth. XII, 1. *Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ in illo tempore*, definitum tempus plane non habes.

10) Sic. Matth. III, 1. verba: *Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις illo tempore*, sequuntur quidem commemorationem temporis, quo Dominus post reditum ex Aegypto Nazarethi habitare coepit; ast coll. Marco I, 9. Luc. III, 1. sqq. 23. latius accipienda sunt, ita ut non ad initium sed fere ad finem domicilii Nazarethani referantur.

§. 87. Cautiones ratione contextus.

Sicut plures interpretes antiquiores, praecipue medii aevi, textum quasi per se, nulla nexus praecedentium et consequentium ratione habita minus recte considerarunt, ita recentiorum explanatorum nonnulli in eo errant, quod in contextu constituendo et adhibendo nimium audaces ac violenti sint. Ut itaque omnis circa ipsum error levetur, sequentes cautiones subjungere placet:

1. Artificio sive critico sive hermeneutico contextus ne quaeratur. Quamvis dissimulandum non sit, sacros libros ejusmodi subiisse mutationes, quae nexum perturbant, et propterea sanae criticae subsidiis reparari debent; minime tamen audacibus conjecturis, quae plerumque nonnisi praejudiciis originem debent, indulgere licet [1]. Pari modo, quia auctores sacri magnam partem illiterati, nec elocutione accuratiori et quaesita, sed stylo plano et vulgari usi fuerunt, contextus, qui violentis artibus comparatur, aut doctam subtilitatem supponit, merito suspectus est [2].

2. Magis adhuc reprobanda est enodatio, quae contextus gratia non tantum artificiose explanat dicta, sed addit, demit aut im-

mutat, ut certus prodeat sensus; quae agendi ratio profecto non interpretatio sed corruptio s. textus est [3]).

3. Caveat interpres, ne contextum arbitrarium constituat, quo singula dicta ad sententiam referuntur, ad quam vel prorsus non, vel tamen non unice spectant [4]).

4. Videat, ne contextum alium cum alio commutet, nec gradum nexus statuat arctiorem aut latiorem, quam qui revera obtinet [5]).

5. Neque interpres contextui justo majorem vim tribuat, ad eum solum ita attendens, ut e pluribus interpretationibus contextui congruis illam, quae ipsi prae caeteris respondet, seligat, reliquis Hermeneuticae subsidiis neglectis. Cum enim in scriptis auctorum vulgarium, quales biblici sunt, singula orationis dicta ad rigorem logicum non ita componantur, ut omnia optime cohaereant; in casu, quo non una tantum, sed plures interpretationes contextui plus minusve conveniunt, quae seligenda sit, non contextu solo, sed caeteris etiam adminiculis hermeneuticis, praecipue usu loquendi, rite aestimatis decidendum est [6]).

6. Nec vicissim interpres contextui justo minorem vim concedat. Quod ut evitet, non tantum notionem vel sententiam, quae sola contextui convenit, tanquam certo genuinam firmiter teneat, sed etiam interpretationem cujusdam loci, quam contextus inter plures prae caeteris tuetur, aliis adminiculis hermeneuticis non repugnantibus, recipiat [7]).

[1]) Qua de causa reprobanda est transpositio meris conjecturis innixa, quam Michaëlis Rom. IX, 13—16., v. 16. immediate post v. 13. ponens, et Wassenberghius (Valckenarii Schol. II. p. 31.) Matth. XXVII, 33—39., versus sequenti serie: 33. 34. 37. 38. 35. 36. 39. collocans, applicandam proposuit.

[2]) Ex hoc capite Luc. VI, 30. verba: καὶ ἀπό τοῦ αἴροντος τὰ σά μὴ ἀπαίτει, *et ab eo, qui aufert, quae tua sunt, ne repetas,* non exponas de *creditoribus* sequens Storrium (Diss. exeget. in librorum historic. N. T. aliquot loca. Tüb. 1790. p. 69 sqq.), cujus artificiosa singularum sententiarum coagmentatio orationi, quam Lucas h. l. exhibuit, non congruit, nec in omni contextu creditores inveniet, nisi qui singularia sectatur.

[3]) Ejusmodi violentam textus mutationem proponunt, qui Matth. XIV, 25., ubi Jesus περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης *ambulans super mari* dicitur, volunt, ut mente suppleatur ἐπ' αἰγιαλῷ *in littore* (maris), quo evanescat miraculum, licet contextus manifesto sit contrarius. Non minus verbis scripturae vim inferunt, qui Matth. III, 16. 17. IX, Act. 3—7. vocem e coelo auditam nonnisi tonitru autumant.

[4]) Arbitrariae conjunctionis profecto rei sunt, qui e. g. I. Cor. VII. dicta de non ineundo matrimonio omnia ad v. 26. δία τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην *ob praesentem calamitatem* (Christianorum persecutionem) referunt, licet plura, ut v. 32. sqq., pro omni tempore valeant.

[5]) Hoc errore labitur interpres, qui e. g. quaerit nexum logicum, ubi psychologicus, aut in vaticiniis historicum, ubi opticus est. Justo arctiores nexus limites ponunt, qui Matth. XXII, 14. verba Domini: Πολλοὶ γάρ ἐισι κλητοὶ, ὀλίγοι δε ἐκλεκτοὶ tantum ad versus proxime praecedentes referunt. In hoc enim nexu sensus prodiret: Ex ipsis Ecclesiae membris pauci salvantur; si vero, ut res postulat, ad totam parabolam, adeoque ad omnes invitatos (v. 3. — 6.) extenduntur, sensus longe mitior prodit.

[6]) Exemplo sint verba Joan. I, 30. ἔμπροσθέν μυ γέγονεν, quae plures *de dignitate* et *auctoritate*, qua Jesus Joannem longe antecesserit, intelligenda esse praecipiunt. Ast licet haec explicatio contextui egregie respondeat, tamen reprobanda est, quia praeter alia usus loquendi obstat, qui adverbium ἔμπροσθέν nunquam in versione Alexandrina, in libris N. T. scriptorumque profanorum de *dignitate*, *auctoritate*, sed interdum *de loco*, veluti Luc. XIX, 4., plerumque vero *de tempore* e. g. Judic. I, 23. I. Reg. III, 12. II. Reg. XVIII, 5. Joan. III, 28. usurpari testatur. — Pari ratione Luc. XVIII, 11. coll. 13. interpretatio formulae πρὸς ἑαυτὸν *seorsim* bene quidem, ast non sola quadrat, cum etiam altera, qua *secum*, *tacite* redditur, contextui conveniat, quae recipienda est, quia ab usu loquendi postulatur. Conf. §. 70. not. 4.

[7]) Quapropter Luc. VI, 35, ἀπελπίζειν necessario reddendum est: *sperare, inde sperare*, quia haec significatio praecedentibus (v. 34. παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν) sola congruit, altera significatione: *desperare*, quam lexica indicant, reprobata. Recte etiam Joan. VII, 17. verba Domini: ἀπ' ἐμαυτὒ *de auctore* doctrinae traditae interpretaberis, quia haec interpretatio praecedentibus et consequentibus prae caeteris respondet, nec alia subsidia hermeneutica adversantur.

TRACTATUS II.

CONSIDERATIO AUCTORIS ORATIONIS.

§. 88. Interpres sciat, quae sit persona loquens.

Cum homines in producendo et consociando ideas cum aliis communicandas a lege unitatis, quam nemo sanae mentis migrare potest, ita pendeant, ut cogitata eorum necessario non solum inter se cohaereant, sed etiam loquentibus conveniant (§. 77.); pensato orationis biblicae contextu, utut ejus ope plurima ex usu loquendi minus clara ac decisa egregie tum illustrentur tum determinentur, nondum omnem interpretis operam absolvi, per se patet. Restat

enim consideratio auctoris, qua sensus exploratio diversimode adjuvatur, quia dictorum notiones ac sententiae, si ex laudatis praesidiis nondum satis definitae et perspectae sunt, recte cum loquente comparantur, et prout ei conveniunt, assumuntur. Ut vero haec comparatio institui possit, interpres ante omnia sciat oportet, *quae sit persona loquens.*

§. 89. Quomodo cognoscatur, quaenam sit in singulis libri partibus persona loquens?

Haec cognitio eo majori cum solertia comparanda est, quo frequentius, praecipue in libris A. T., personae loquentes mutantur, quin lector moneatur [1]). Ne itaque in statuenda persona loquente minus recte procedat interpres, monemus:

1. Generatim auctor libri vel partis, quae, uti singuli psalmi, totum aliquod constituit, sermonem facere censendus est.

2. Si dicta quaedam non ab ipso auctore esse asseruntur, sed ab alio prolata, id probari debet, sive argumentum ab expressis, quibus id annunciat auctor ipse, verbis [2]), sive ex orationis conditione et cogitationum serie petatur [3]).

3. Ubi persona loquens cum difficultate eruitur, considera, cui personae materia et forma conveniat; interdum ex una aliqua sententia pro integra sectione lucem capies [4]).

Circa personam loquentem praeterea notant:

a) Auctorem nonnumquam nomine aliorum loqui. Num id obveniat, statui nequit, nisi ratione habita dictorum, quae auctori soli conveniunt aut repugnant, aut saltem pluribus quadrant [5]).

b) Porro haud parum difficultatis in eo est, ut determinetur ubivis, quo loco dicta loquentis jam personae desinant, aliusque dein incipiant. Quae de re iterum regula alia statui vix poterit, quam: continuari personae jam loquentis verba, donec sive materia sive forma dictorum mutatae personae rationem subministrat [6]). Sano autem interpretis judicio prudentique lectoris sensui pro singulis locis plura relinquenda sunt.

[1]) Nominamus Psalmum CX., in quo modo auctor Davides Messiam canit, modo Deus ipse illum alloquitur, quin mutatio personae loquentis indicetur.

[2]) Sic in libro Jobi, si non auctor loquitur, sed verba Dei, Satanae, Jobi, amicorum eum visitantium aliorumve referuntur, id expresse notari solet.

[3]) Inde Jes. LVIII, 3. *Quare jejunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas*

vestra, et omnes debitores vestros repetitis, facile verba priora Israëlitarum ad Jehovam loquentium, posteriora Jehovae Israëlitis respondentis esse intelliguntur.

[4]) Ita Psalm. XX, 10. ex verbis: *Domine, salvum fac regem*, coll. v. 2.—6. haud improbabiliter vota populi pro rege suo facta agnosces, quibus v. 7. respondetur: *Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*. V. 8. rursus verba populi sequuntur.

[5]) Sic, si ad indolem dictorum attenditur, intelligitur, Rom. VII, 7.—25. Apostolum eloqui de semetipso sensa hominis spiritu Dei nondum prorsus accensi, Gal. II, 19. vero ab eo prolata esse sensa cujusvis veri Christiani.

[6]) Huc spectat Joan. III, 16.—21., ubi plures interpretes ex orationis forma et ipsa repetitione verborum, quae v. 15. leguntur, colloquium Christi cum Nicodemo in antecedentibus exhibitum non amplius continuari, sed illi commentarium ab Evangelista annecti, censuerunt.

§. 90. Divisio tractatus.

Quodsi vero ad sensus explorationem etiam orationis auctorem considerandum esse statuimus, ut huic legi satisfiat, omnes, in quibus loquens versatur, relationes, quae in ejus idearum procreationem ac consociationem aliquam vim exseruerunt, et proin cognitae plus minusve certo indicare debent, quid et quomodo dixerit, expendendas esse, manifestum est. Hae vero relationes commode ad tria capita rovocari possunt, ita ut primo loco eae ponantur, quae, quia *extra loquentem* quidem sunt, attamen *in ejus animum vim habent, externae loquentis circumstantiae* nominantur. Dein commemorandae sunt, quae *in ipso loquentis animo resident*, atque ejus *culturam* et *animi dispositionem* constituunt. Quibus subjungenda est *peculiaris intentio, animo quidem loquentis concepta, extra illum vero efficax*, in quantum oratione sua certum effectum apud alios obtinendum spectat, et quae propterea loquentis *consilium* dicitur.

Quapropter, ut orationis auctor ex omnibus, quae ad sensum dictorum faciunt, partibus consideretur, respiciendum est: *a. ad ejus circumstantias externas, b. ad culturam et animi dispositionem, c. ad consilium.* De quibus singulis jam dicemus.

ARTICULUS I.

CIRCUMSTANTIAE LOQUENTIS EXTERNAE.

§. 91. Occasio dicendi.

Inter circumstantias externas, quae in loquentis animum virtutem exercent, primo loco occasionem dicendi merito ponimus.

Etenim ad dicendum induci solent homines certis quibusdam motivis, sive dubiis, quae solvere, sive vitiis et erroribus, quos corrigere, sive votis, quibus satisfacere, sive afflictis animis, quos erigere intendunt. Jam haec externa, quaecumque fuerint, quae effecerunt, ut quis dicendi, et quidem hoc vel illud dicendi consilium caperet, *occasio sermonis* dicuntur. — Ex natura rei liquet, orationem occasioni attemperari, et proin hujus cognitionem ad sensum dictorum explorandum maximi momenti esse. Sane, quod in Psalmis, imo etiam in epistolis N. T. aliisque s. Scripturae partibus interpretandis saepe haereamus, est, quod occasiones ad dicendum vel scribendum ignoramus.

Praecipua vero emolumenta, quae occasio sermonis rite cognita interpreti suppeditat, sunt sequentia:

1. Saepe inde dijudicatur, quaenam significatio e pluribus in dato loco seligenda sit. Scilicet, quae respondet occasioni [1]).

2. Occasio haud raro docet, num dictio proprie an inproprie sit capienda, nec non troporum sensum illustrat [2]).

3. Interdum ostendit, quinam sint dictorum termini [3]).

4. Denique ope hujus subsidii gravitas dictorum cognoscitur, et quidem duplici modo.

Primum, quae quis gravibus rationibus externis motus dixit, mentem loquentis profecto accuratius pandunt, quam incidenter prolata, adeoque locis classicis debent adnumerari [4]). Si porro animadvertimus, aliquem sua sponte, nulla occasione externa provocatum docuisse, nequaquam assumere licet, docentem e mente aliorum tantum dixisse, seu sese accomodasse, sed potius statuendum est, doctrinas ultro propositas ipsius loquentis sensa exprimere [5]).

Ex notitia occasionis consilium quoque loquentis patescere, infra dicetur (§. 131).

Cognoscitur vero occasio sermonis aut ex ipsius loquentis declaratione, aut ex aliorum relationibus [6]). Ubi autem, quod haud raro obtinet, ejusmodi indicia occasionis desunt, materia substrata singulaque loci dicta cum notis circumstantiis et factis fatisque personae loquentis comparentur, indeque occasio statuatur [7]).

[1]) Ex hoc capite Joan. VII, 17. ἀπ' ἐμαυτȣ̃ *ex mei ingenii viribus* interpretandum est, quia admiratio Judaeorum fontis doctrinae adeo sublimis, quam Jesus proposuit, Dominum ad dicendum movit, cui adeoque occasioni se accomodans de fonte doctrinae agere debuit.

[2]) Si e. g. attendimus ad occasionem, qua Christus Joan. VI, 54.—56. protulit verba de carne sua manducanda et sanguine suo bibendo, merito concludendum est, haec non improprie, sed proprie dicta esse. Occasio enim hujus asserti fuit offensio Judaeorum de verbis immediate praecedentibus, similem sententiam enuntiantibus. Exemplum troporum, quos occasio et adjuncta externa explicant, vide infra §. 151. nota 3.

[3]) Unde Matth. XIX, 9. voces: *ob fornicationem*, imo omne responsum Jesu ad legem Mosaicam restringunt, de cujus sensu a Pharisaeis interrogabatur, coll. v. v. 3. 7. Ita haec responsio Domini non contradicit ipsius mandato Marc. X, 11. 12. discipulis dato et I. Cor. VII, 10. 11. 39. fusius exposito.

[4]) Quapropter Paulus I. Cor. VII, 1. sqq., ubi quaestioni Corinthiorum de matrimonii legibus respondit, quid de re sentiret, occultare noluit. Ast quid de Petro sentiat idem Apostolus, noli ex Gal. II, 6. sqq. petere, ubi de Petri persona incidenter sermo occurrit.

[5]) Quare, quae Jesus Joan. V, 22.—30. sua sponte dicit de resurrectione mortuorum et de judicandis ab ipso hominibus, ipsius Salvatoris doctrinam a Christianis amplectandam esse, credere oportet.

[6]) Evangelistae saepius occasiones sermonum Jesu assignarunt. Sic quanam occasione Dominus precandi formulam, quam dominicam orationem dicimus, proposuerit, diligenter notavit Lucas XI, 1. Circumstantias, quae moverunt Matthaeum, ut Evangelium literis mandaret, refert Eusebius Hist. Eccl. lib. III. 24. Verumtamen testimonia scriptorum ecclesiasticorum diversi sunt pretii, prouti notitiam occasionis scribendi cujusdam libri sacri vel ex antiquiore teste fide digno, vel ex propria conjectura petierint.

[7]) Tali modo ut plurimum in Psalmorum, nonnumquam etiam in epistolarum N. T. aliarumque quoque singularum s. Scripturae partium occasione figenda procedendum est, e. g. Ps. IV., cujus occasio fuerint calumniae et defectio plurium a Davide, fors tempore rebellionis filii Absalom. Nec minus, qui noverit, Christianos judaissantes auctoritatem Pauli apud Galatas diminuere omni modo studuisse, intelliget, eorum conamina Apostolum movisse, ut Gal. I. et II. tam anxie suam auctoritatem apostolicam tueretur.

§. 92. Reliqua loquentis adjuncta.

Praeter circumstantias, quibus auctor orationis ad loquendum movebatur, plerumque et aliae sunt, quae in sermonem vim habentes nomine *adjunctorum* insigniuntur. Huc nominatim spectant aetas, patria, religio, status civilis, nec non fata ac facta loquentis. Quantopere tempus, locus aliaque adjuncta usum loquendi determinent, ex §. 18. patet; at etiam in ipsas notiones ac sententias a loquentibus spectatas potestatem exercent. Quapropter eorum consideratio haud raro ad dictorum sensum accuratius definiendum

et illustrandum facit [1]). Ut praecipua quaedam interpretationis commoda inde derivanda in specie enumeremus:

1. Ex adjunctis colligitur, num quaedam dicta proprie an improprie [2]), num absolute an relative accipienda sint [3]).

2. Ex iisdem interdum rei gravitas rite cognoscitur [4]).

3. Denique inde rectum quoque petendum est judicium de certa hominum agendi ratione, inprimis si a communi consuetudine discedere videtur [5]).

Ex quibus simul patet, non solum quantopere hoc quoque subsidium ad sensus inventionem conferat, sed etiam quam diligenter curandum sit, ut adjuncta rite cognoscantur et aestimentur, ne ab iis petatur, quod aliunde explicandum est [6]).

[1]) Ita consideratis adjunctis Jesum Apostolis ob nuntiatum suum ex hoc mundo discessum tristibus Joan. XIV, 16. sqq. per Παράκλητον nonnisi solitum divinae providentiae auxilium sui loco promisisse, nemo alucinabitur.

[2]) Ex hoc capite verba Matth. XXVIII, 19. Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, utpote quae ad ultima Domini in coelum redeuntis mandata pertinent, non tropice sed proprie accipienda esse, patescit.

3) Unde cognoscimus, Act. XV, 29. legem de non comedendis carnibus sacrificalibus non fuisse absolutam sed relativam, latam ob offensionem Judaeorum illo tempore et loco alia ratione non evitandam, quia mutatis circumstantiis earum esus permittitur, dummodo infirmi non offendantur. Conf. I. Cor. VIII. Rom. XIV, 2. 3.

[4]) Sic e. g. quae Paulus Rom. XIII, 1. sqq. et Petrus I. ep. II, 13. sqq. de reverentia et obedientia erga magistratus praecipiunt, ortis illorum jussu persecutionibus Christianorum, summi momenti esse intelliguntur.

[5]) Id obtinet, si Act. XVI, 3. Timotheum circumcidi jussit Paulus, qui alias abrogationem legis Mosaicae ceremonialis palam proclamavit, et in aliis adjunctis Titum incircumcisum comitem habuit. Gal. II, 3.

[6]) Profecto, quae Joannes I, 1. sqq. scripsit de λόγῳ, male repetuntur ex commercio urbis Ephesi, ubi Evangelista per plures annos commoratus est, cum Alexandria, ubi Philo aliique Judaei Alexandrini similem doctrinam de νοῒ divino, quem et λόγον dicebant, profitebantur. Conf. §. 71. not. 2.

§. 93. Personae, ad quas oratio convertitur.

Ast non solum ad personam loquentem ejusque adjuncta attendat interpres, sed etiam probe consideret personas, ad quas oratio convertitur, quum eis earumque indoli loquens a se dicta tum ratione materiae, quam tractat, tum ratione formae proponendi accommodasse existimandus sit. Qua consideratione interpretatio

multum proficiet. Inde enim, ut praetereamus accomodationes ad imperfectiores auditorum lectorumve notiones, de quibus infra (§. 119 sqq.) dicetur,

1. cognoscetur, quibus terminis dicta circumscribenda, adeoque utrum augenda an mitiganda sint [1])?

2. Cognita personae, ad quam oratio convertitur, indoles facit, ut et orationis cujusdam, et ipsius dicendi modi ratio reddi possit, quibus ignoratis dicta aut in obscuro relinquuntur, aut non plena luce gaudent [2]).

3. Denique inde liquet, a loquente, qui ad plebejos vel minus cultos verba facit, rigorem styli philosophici non exspectandum, adeoque nec quaerendum esse [3]).

Haud raro autem difficile est determinare personam, ad quam oratio fit [4]), et eas illius qualitates, quae ad dicta interpretanda faciunt [5]); nec id semper patet, quousque ad eandem personam oratio continuetur [6]). Ut jam primo persona haec, si de ipsa dubium exoritur, eruatur, dicta cum circumstantiis et proprietatibus personarum, ad quas oratio conversa esse potest, comparentur, eaque assumatur, cui conveniunt dicta [7]). Quod dein qualitates personae istius attinet, eae docentur indiciis, quibus cultura cognoscitur, quae inferius notabimus. Eadem demum persona eousque erit assumenda, quousque nullum in sermonis materia aut forma ejusdem mutatae vestigium deprehenditur [8]).

[1]) Inde e. g. verba Zachariae ad filium suum Luc. I, 76. *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis*, augenda esse patescit, quia alias Joanni non plene responderent, qui fuit prophetarum maximus et praecursor Domini. Conf. Matth. XI, 9—11. Contra quae extant Matth. VI, 25. sqq. *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini etc.* mitiganda sunt, quia Dominus ea dixit ad ὀλιγοπίστυς, coll. v. 30.

[2]) Act. XXIV, 25. legitur: *Disputante autem illo (Paulo) de justitia et de castitate et de judicio futuro tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te.* Cur de his rebus Paulus coram Felice dixerit, et cur hic tremefactus fuerit, illi perspicuum erit, qui noverit, quae *Tacitus* Hist. V, c. q. de indole hujus viri notavit: *Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit.* Eodem pacto, cur scribendi ratio Apostolorum hinc inde brevior ac minus accurata deprehendatur, non mirabitur, qui sciverit, illos scripsisse lectoribus cognitione doctrinae viva voce jam imbutis, quibus plura clara et definita erant, quae nobis secus sunt.

[3]) Ejusmodi est, dum Joan. VII, 17. ad probandum, Deum suae doctrinae auctorem esse, Jesus dicit: *Si quis voluntatem ejus* (Dei) *facere voluerit, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso* (ἀπ' ἐμαυτȢ) *loquar*, et Joan. XI, 34. Mariam sororem Lazari defuncti et Judaeos plorantes interrogat: *Ubi posuistis eum?* In utroque loco Dominum de se modo humano divinae suae naturae non adaequato loqui, cuivis planum erit, qui observaverit, eum verba facere ad auditores nondum praeparatos ad percipienda accuratiora.

[4]) Sic. Ps. XLV. non est una omnium sententia, ad quam personam Psalmista loquatur, aliis Psalmum gratulationem ad inaugurationem regis, vel ad expeditionem bellicam, aliis epinicium de reditu regis reportata gloriosa victoria consentibus; quibusdam epithalamium est, cum nuptias Salomon cum filia regis Aegypti I. Reg. III, 1. IX, 24. celebraret. Antiquioribus rectius, ut videtur, conjunctio Messiae cum Ecclesia canitur. Conf. Hebr. I, 8. 9.

[5]) Ita Jes. XXI, 13. qualitates Dedanitarum satis notae non sunt.

[6]) Gal. II, 14. sqq. Paulus quidem ad Petrum loquitur; ubi vero desinat haec ad Petrum conversa oratio, haud omnes conveniunt.

[7]) In Prophetis haud raro persona vel natio, ad quam vaticinium pertinet, diserte indicatur, e. g. Moab, Damascus, Jes. XV. XVII.; nonnunquam personae vel gentis notae characteristicae ita describuntur, ut facile cognoscatur. Sic Jes. XVIII, 1—2. nemo non Aegyptum agnoscit. Attentis vero circumstantiis et proprietatibus in Psalmo XLV. supra laudato Messiam cani intelligitur, quia de rege celebrato ea praedicantur, quae alii non conveniunt; imo v. 7. diserte Deus dicitur.

[8]) Ex hoc nomine nobis Gal. II, 14. coepta oratio Pauli ad Petrum, supra not. 6. commemorata, videtur continuari usque ad III, 1., ubi Galatas iterum expresse alloquitur Apostolus.

§. 94. Rerum, quae in oratione tanguntur, natura.

Cum denique prudens quivis rerum, de quibus loquitur, justas notiones tenere existimandus sit, verba vero generatim signa cogitationum nostrarum multis ex titulis imperfecta (§. 13.) extremas rerum lineas potius, quam res ipsas depingant et repraesentent, intelligitur, ad ipsas res, seu ad proprietates, *quae rebus inhaerent earumque naturam constituunt*, attendendum esse, ut notiones a loquente spectatas rite percipiamus.

Usus hujus subsidii in interpretationis negotio est vastissimus. Praeterquam enim, quod interpres pro usu contextus logici proximi eo carere non possit, si modo ex natura subjecti ad praedicatum, modo ex natura praedicati ad subjectum concludere velit (§. 79.), sequentia commoda hoc loco adhuc commeranda videntur:

1. Consideratio rei naturae ad dictorum sensum adcuratius definiendum et illustrandum facit [1]).

2. Frequentissime termini dictorum hoc subsidio constituuntur, quod eo majoris momenti est, quo minus s. Scripturae dicendi ratio ad rigorem philosophicum sit redacta, reique consignandae accurate semper conveniat [2]).

3. In similitudinibus aliisque comparationibus tertium, in quo res conveniunt, nequit intelligi, nisi attendatur ad naturam rei, quae comparatur, et illius, quacum comparatur [3]).

Caeterum per se patet, rerum, de quibus sermo est, naturam ab interprete ita accipiendam esse, prout a loquente in suis adjunctis cogitata existimanda est. Cavendum ergo est, ne auctoribus sacris, aliisque in s. Scriptura loquentibus subtilior rerum notitia tribuatur, quam revera habuerunt, et ne illis eruditio obtrudatur, qua praediti non fuerunt [4]).

[1]) Sic e. g. praevia cognitione ac consideratione institutionis ac celebrationis Paschatis judaici (Exod. XII. XIII, 3—10.) intelliguntur, quae extant Joan. I, 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, et I. Cor. V, 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.*

[2]) Profecto considerata rei natura Matth. VI, 31. non omnis cura bonorum terrestrium, sine qua consistere societas non posset, Matth. VII, 1. non omne judicium de aliis, sine quo lites societatis nunquam dirimerentur, interdicitur; nec Matth. XIX, 24. absoluta impossibilitas coeli obtinendi diviti asseritur, cum divitiae talem impossibilitatem non involvant.

[3]) Ita Genes. XLIX, 9. *Catulus leonis Juda* nequit intelligi, nisi ad proprietates talis catuli attenditur, eaeque cum proprietatibus Judae comparantur, istaque ratione convenientia, quae inter has et illas intercedit, figitur.

[4]) Quare e. g. Joanni Evangelistae cum quibusdam recentioribus non tribuas cognitionem philosophiae platonicae, unde, ut volunt, hauserit ea, quae de Λόγῳ scribit.

De restrictione subsidii ex rerum natura petiti ob indolem s. Scripturae divinam vide Sect. II. Cap. I. §. 168.

ARTICULUS II.

LOQUENTIS CULTURA AC ANIMI DISPOSITIO.

§. 95. Utriusque considerandae necessitas atque ambitus.

Quod jam ea, quae in loquentis animo resident, attinet, tum *ingenii* ejusdem, tum *animi stricte talis* ratio habenda est.

Culturam ingenii in *materiam* orationis magnam exercere vim, nemo dubitabit, qui rem rite perpenderit. Cum enim loquentes secundum culturam, qua imbuti sunt, sentiant cogitentque, non potest fieri, quin eorum notiones pro illius diversitate diversae sint, vel certe ratione modi aut gradus perfectionis plus minusve discrepent. Nec minus *forma* dicendi, id est, ratio cogitata hoc vel alio modo plus minusve claro et accurato manifestandi, declarandi ac confirmandi a cultura ingenii pendet. Unde facile intelligitur, loquentis culturam tum ratione materiae tum ratione formae diligenter considerandam esse, ut notiones, quae verbis subjectae fuerint, earumque rationes rite percipiantur.

Sicut vero interpres loquentis culturam nosse debet, ita etiam ejusdem *animum*, qui pari ratione non solum in notionibus procreandis ac consociandis, sed etiam in iisdem proponendis vim exserit, exploratum habeat, ut sensum dictorum rite intelligat. Eam vero *animi dispositionem*, quae in loquentis sensum vim exercet, in *constantem* et *temporariam* discernere juvat. Ad priorem loquentis *characterem*, ut vocant, id est, mores proprios, quibus ceu imagine expressa ab aliis distinguitur, ad posteriorem *affectum* seu statum animi data occasione commoti, easque dicendi rationes, quibus affectus manifestari solet, referimus. Itaque in hoc articulo agendum erit:

I. *De loquentis cultura*, quatenus in materia et quatenus in forma vario modo agit.

II. *De dispositione animi*, quantum ad loquentis characterem et affectum spectat, et in dictorum sensum vim exserit.

I. LOQUENTIS CULTURA,

α) QUATENUS VIM HABET IN ORATIONIS MATERIAM.

§. 96. Quae hac in respectanda sint?

Notiones hominum passim, sicut res humanae generatim, in continuo fluxu versantur, cum teste historia errores alii oriantur, alii deponantur, scientiae et artes excolantur, et causae rerum melius intelligantur, idque non eodem ubique tempore et modo fiat. Nec desunt tamen quam plurimae notiones, quae apud omnes fere homines manent quasi immutatae, aut saltem non adeo cito et facile mutantur. Cum jam interpretis sacri sit, praecise eas notiones

e vocibus eruere, quae loquenti biblico, certo in culturae gradu posito, inhaerebant, et vocibus ab ipso subjiciebantur, plurimum intererit nosse:

A. *quando notionum biblicarum varietas suspicanda sit*, et

B. *qua ratione qualitas notionum cognoscatur?*

Quod prius attinet, diversitatem notionum suspicari licet *ratione fontis*, ex quo derivantur, et *ratione subjecti* loquentis, cujus animo insunt. Quod vero posterius spectat, fontes, ex quibus qualitatem notionum variantium haurire oportet, Archaeologia biblica et Introductio in libros V. et N. T. sunt. De singulis pauca dicemus.

A. *DIVERSITAS NOTIONUM SUSPICANDA, ET QUIDEM*

§. 97.

a) *ratione fontis.*

Quo spectant: 1. *Notiones sensus* externi et interni. Priores variant, prout res, quas designant, discrepant [1]); ast stabiles manent, dum res, quas designant, ipsae stabiles sunt [2]). Contra notiones sensus interni nonnisi discrimen gradus pro diversitate subjecti admittere videntur [3]).

2. *Notiones rationis* in significatu latiori, ad quas primum referimus *notiones abstractas*, quae variant pro diversitate rerum, a quibus abstrahuntur. Nec desunt tamen quam plurimae abstractorum notiones, quae per se apud omnes immutatae manent [4]). Dein hoc loco commemoramus notiones de spatio et tempore atque de legibus cogitandi conceptas, quae iterum ex se immutabiles sunt [5]). Ast ideae metaphysicae [6]), et quae cum iis cohaerent notiones officiorum, quae homines naturis superioribus, sibique ipsis et aliis praestare debent [7]), diversissimae deprehenduntur. Quae eo magis attendi debent, quo graviores sunt notiones rerum hujus generis, et quo plus s. Scriptura eis occupatur.

3. Notiones *institutione* ab aliis acquisitae, quibus eas accensemus, quae, quamvis sua quisque ratione ipsas sibi possit comparare, tamen communicari solent institutione, qua vix unus prorsus caruerit. Quod hujusmodi notiones attinet, per se intelligitur, majorem convenientiam exspectandam esse, si eorum, utut plurium, quibus ipsas in acceptis referimus, unus fuerit magister [8]).

Videndum tamen erit, num discipuli bene ceperint et firmiter tenuerint a magistro proposita, et non proprio studio vel ex quacunque ratione alia magistri sententias missas fecerint [9]). Si diversorum magistrorum plus minusve independentium sensa proponuntur, de majori ex rei natura discrepantia timendum erit. Atque haec dicta de notionibus institutione aliorum comparatis commode referre poteris ad omnes notiones historicas, quas quis non sua experientia didicit.

[1]) Sic habitacula, ritus conversationis, instrumenta musica aliave plurima pro locorum temporumve ratione alia sunt, et proin eorum compellationes notiones sat discrepantes exprimunt. Aut quis non videt discrepantiam notionis *urbis*, si prima urbs (עִיר) haud dubie nonnisi aliquot turgoriola, forte in colle sita et septo vel fovea circumdata, complectens, quam Kain extruxisse legitur Genes. IV, 17., confertur cum Ninive, metropoli Assyriae Jon. I, 2. III, 3. vel Babylone, metropoli Babyloniae II. Reg. XXIV. XXV. al., vel etiam cum urbibus Hebraeorum, inprimis Hierosolymis aetate Christi?

[2]) Hinc notio plurium, quae ad physicam et historiam naturalem pertineat, e. g. aquae, lapidum, eadem est ubivis, licet judicium ob raritatem aut abundantiam et usum eorum varium esse possit.

[3]) Huc spectant notiones affectuum animi, uti gaudii, doloris, tristitiae, irae etc. Licet hi natura sua iidem maneant, quoad gradum tamen pro ratione ejus, quem movent, saepe valde discrepantes inveniuntur. Sic, si Matth. II, 16. legitur, Herodem M. virum crudelissimum, cum se a Magis delusum videret, ira exarsisse, et Marc. VI. 22. Herodi Antipae, homini lascivo, cum uxore fratris in adulterio et incestu viventi puellam saltatricem placuisse, nemo non suspicatur affectus vehementiores et immoderatos, quos ipse in utroque loco contextus comprobat.

[4]) Profecto notio virtutis alia fuit gentilibus, alia Judaeis, et alia est Christianis, quia sentiendi agendique rationes, a quibus abstrahitur haec notio, non idem valent apud illos diversae religionis asseclas; contra notio rubedinis, dulcedinis et quae sunt aliae his similes per se apud omnes immutatae reperiuntur.

[5]) Sane leges mathematicae et logicae semper et ubique eaedem sunt omnibus hominibus, qui earum recte conscii sunt.

[6]) Quis nescit discrimen notionum, quas homines de Deo ejusque proprietatibus, de creatione ac conservatione universi, de spiritibus eorumque indole ac numero, et de sexcentis aliis, quae cum his nexum habent, conceperunt? Hinc, qui Marc. XV, 39. verba centurionis: *Vere homo iste filius Dei erat*, ita intelligeret, ac si homo gentilis Jesum agnovisset *filium Dei* eo sensu ac perfectionis gradu, quo proponitur a Joanne XX, 31., haud dubie erraret.

[7]) Constat e. g., homines immolare et pium et Deo dignum ab aliis, impium vero et damnandum ab aliis esse ductum; fornicationes hinc inde Deorum

nomine fuisse sacratas; quod conversandi rationem cum altero sexu attinet, non eadem ab omnibus sectis praescripta haberi, et quae sunt similia.

[8]) Huc spectant plurimae notiones, quae in omnibus A. F. libris, etiam sequioris aetatis, inveniuntur, utpote ex institutione Mosaica derivatae.

[9]) Id obtinebat apud Pharisaeos, qui, licet se caeterum Mosis discipulos jactarent, saepe leges Mosaicas, e. g. legem de servando Sabbato Matth. XII, 10. sqq. ultra mentem legislatoris extenderunt.

§. 98.

b) *Ratione subjecti loquentis.*

Quodsi subjectum loquens consideratur, diversitatem notionum indicat:

1. *Indoles.* Notum est, homines acriori ingenii acumine praeditos sine omni fere molestia etiam abstrusiora ita penetrare, ut notiones eorum sat claras atque perfectas concipiant; cum contra alii obtusioris ingenii homines iis cognoscendis vel prorsus impares sint, vel de iis nonnisi tenues et imperfectas notiones sibi mente fingere valeant[1]).

2. *Educatio,* quae hac in re maximi momenti est. Equidem primum quod singulos homines attinet, quo melius vel pejus docti et educati fuerint, eo justiores vel minus justas habebunt notiones[2]). Dein quis ignorat, etiam quamvis aetatem, quamvis nationem, scholam et sectam, quodvis denique systema philosophicum habere suas notiones, opiniones, cognitiones plus minusve perfectas, suos errores suaque praejudicia, quae haud dubie originem debent principiis educationis, qua sunt usi[3]).

[1]) E. g. homines singulari ingenio praediti sine omni institutione, sua sponte multa de legibus physicis observant, cum contra magna hominum pars ad eas rite intelligendas prorsus hebes sit. — Etiam judicium de actionibus, licet educatione plurimum regatur, ab hominum indole independens non semper invenitur. Conf. Theol. moral. in compendium redacta ab Ambr. Jos. Stapf. Oeniponti 1832. Tom. I. Sect. II. Cap. II. §. 74. n. 5. 6.

[2]) Sic, quam urbem sat mediocrem dicit, qui multas regiones peragravit, maximam habebit plebejus, pagos tantum hucusque intuitus. Quam musicam egregiam dixerit incultus, pessimam saepe habebit artis hujus magister. Quot notiones antiquis non ita cultis prorsus deerant, quibus instructus est nostri aevi vir eruditus?

[3]) Quae singularia Philosophiae et Theologiae praecepta Judaei, inprimis Alexandrini, notionibus sui aevi suaeque regionis inhaerentes foverint tem-

pore translationis LXX, commemoravimus §. 36. not. 3. — Christi tempore Judaei divisi erant in plures sectas et scholas, uti Pharisaeorum et Sadducaeorum, et illi in asseclas Schammai et Hillelis, quorum opiniones diversae saepius referuntur vel attinguntur, e. g. Matth. XIX, 3. XXII, 23. 36. Act. IV, 13. XXIII, 8. Quo etiam spectant actiones gentilium Act. XIV, 10. sqq., quae debentur opinionibus, quas de Diis suis habuerunt. Denique ante systema solare *Copernici* opinionem de motu planetarum aliam fuisse nemo ignorat. Conf. Jos. X, 12. 13.

§. 99. Conclusio.

Ex paucis hisce, quae indigitasse sufficiat, abunde patet, quod, quia in s. Scriptura tot saeculorum notiones, quae diversissimarum regionum, sectarum et sententiarum hominibus inerant, proferuntur, si interpres ad loquentium culturam non, ut par est, respexerit, indeque veram omnium, quae oratione manifestantur, notionum indolem juste definiverit, frequenter melioribus deteriores, vel deterioribus meliores, antiquis recentiores, vel recentioribus antiquas, domesticis peregrinas, vel peregrinis domesticas, paucis alias notiones subjiciet, quam quas loquentes verbis suis expressas voluerunt. Merito igitur praecipuam attentionem *culturae loquentium ratione materiae* interpres impendat oportet, ut ex eorum dictis notiones adaequate eruat; et nihilominus timendum est, ne adhibita omni diligentia hinc inde res secus cedat.

B. *FONTES, QUALITATEM NOTIONUM COGNOSCENDI.*

§. 100. Archaeologia.

Quatenus notionum diversitas ab externis, quae loquentem circumdant, rebus dependet, earum qualitas petenda est ex Archaeologia, quam ex hac ipsa ratione gravissimam esse intelligitur. Studium ipsius Hermeneutica supponit. Partes Archaeologiae sunt: 1. Geographia; 2. historia naturalis; 3. mores et consuetudines hominum biblicorum, adeoque inprimis orientalium; 4. status politicus et 5. religiosus; denique 6. historia biblica cum chronologia *).

*) Subsidia prostant praeter nota J. Jahnii et F. Ackermanni opera:

I. Generatim:

J. H. Pareau, Antiquitas hebr. breviter descripta. Ultraj. 1828.
E. F. C. Rosenmüller, Handbuch der bibl. Alterthumskunde. Leipz.

1823 sqq. J. Joach. Bellermann, Handbuch der bibl. Literatur. 4 Bde. 1796—1805. Jos. F. Allioli, Handbuch der biblischen Alterthumskunde. 2 Bde. Landshut 1844. W. Mart. Lebr. de Wette, Lehrb. der hebr. jüd. Archaeologie. Leipz. 1830. G. Bened. Winer, bibl. Realwörterbuch. Leipz. 1833. Scholz, Handb. der bibl. Archaeologie. Bonn 1834. Quibus addimus Aug. Calmet, Dictionnaire hist. crit. chronol. geogr. literal de la Bible. Paris 1722. et 1730. In lat. translatum per J. D Mansi. IV Tomi. Aug. V. 1729—38. Germanice cum notis ab H. G. Glockner. 4 Bde. Liegnitz 1751—54.

II. In specie:

1. *Geographia*: Adr. Reland, Palaestina. Traj. Batav. 1714. Sam. Bochart, Phaleg et Canaan 1646. C. F. Kloeden, Landeskunde von Palaestina. Berl. 1817. J. F. Roehr, Hist. geogr. Beschreibung des jüd. Landes. Zeitz 1831. Ackermann, Bibl. Atlas. Weimar 1832.

2. *Historia naturalis*: J. Jac. Scheuchzer, Physica sacra. Aug. V. 1731—35. Sam. Oedemann, Sammlung aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift. Rostock 1786—95. Sam. Bochart, Hierozoicon edit. ab E. F. C. Rosenmüller, Lips. 1793 sqq. Ol. Celsius, Hierobotanicon. Upsal. 1745—47. Chr. Tob. Ephr. Reinhard, Bibelkrankheiten des A. B. Frankf. u. Leipz. 1767.

3. *Mores*: Ant. T. Hartmann, Die Hebräerin am Putztische und als Braut. Leipz. 1809. E. F. C. Rosenmüller, Das alte und neue Morgenland. Leipz. 1818—20. Pfeifer, Ueber die Musik der alten Hebräer. 1779.

4. *Status politicus et sacer*: J. Selden, Jus naturae et gentium juxta disciplinam Hebraeorum. London 1640. Jo. David Michaëlis, Mosaisches Recht. Frankf. 1775—80. Jos. Priestley, Vergleichung der Gesetze des Moses mit denen der Hinduer. Ausg. von Ziegenbein. Braunschw. 1801. Adr. Reland, Antiquitates sacrae veterum Hebraeorum, ed. J. G. Vogel, Hal. 1769. G. Lor. Bauer, Beschreibung der gottesdienstlichen Verfassung der alten Hebräer. Leipz. 1805. Conr. Iken, Antiquitates hebr. secundum triplicem Judaeorum statum, eccles. polit. et oeconomicam delineatae, edit. a G. H. Schacht. Ultraj. 1810. Conf. Blas. Ugolini Thesaurus antiquitatum sacrarum. Venet. 1744.—69. 34 Voll. in fol.

5. *Historia*: J. Jac. Hess, Geschichte der Israeliten vor den Zeiten Jesu. Zürich 1776 folg. 12 Bde. G. Lor. Bauer, Handbuch der Geschichte der hebr. Nation. Nürnb. 1800. J. M. Jost, Geschichte der Israeliten seit der Zeit der Maccabäer. Leipz. 1820 folg. 9 Bde.

6. *Chronologia*: Jac. Usser, Annales V. et N. T. Genev. 1722 sqq. J. E. Silberschlag, Chronologie der Welt, berichtigt durch die heilige Schrift. Berlin 1783. Conf. Petavius, Rationarium temporum. Lugd. Bat. 1724.

§. 101. Subsidia in hunc finem originaria.

Ast non omnes notiones operibus archaeologicis, quae statum orbis antiqui externum proponunt, sufficienter pro interpretanda s. Scriptura illustrantur; imprimis religiosa cogitandi ratio aetatis biblicae justo minus in Archaeologia tractari consuevit. Quapropter, et quia aliunde interpretem peritum ipsos fontes, e quibus Archaeologi hausere, adire oportet, abs re non erit, eos paucis indigitare, ex quibus *notiones religiosae Gentilium*, *Judaeorum* et *Christianorum* petendae sunt.

§. 102. Fontes culturae religiosae Gentilium.

Opiniones religiosae *Graecorum* et *Romanorum* ex operibus Classicorum harum gentium repetuntur. Eruditorum placita facilius cognosci non possunt, quam e philosophorum scriptis, inter quae eminent Ciceronis de natura Deorum, de divinatione et de officiis libri; plura porro Plato et Epictetus illustrant. Cum vero s. Scriptura vulgi potius opiniones attingat, ad istas illustrandas praecipue Ovidii metamorphoses, Luciani dialogi, comediae Aristophanis, Plauti, Terentii etc. servient.

Quid *Orientales* senserint, nos docent circa plura e. g. Astrologiam, *Ephraemus Syrus* et *Abulfaragius*, porro liber *de mysteriis Chaldaeorum et Aegyptiorum*, qui *Jamblichio*, philosopho Syro, adscribitur, et opiniones gnosticas in Asia minori obvias tractat [1]. *Zoroastri* doctrinae de daemonibus et lustrationibus, quae ex *Zend-Avesta* cognoscuntur, pro interpretatione biblica non carent utilitate.

Quibus adjungimus *itineraria*, quae haud raro, licet longe recentioris sint aetatis, antiquis tamen documentis, e. g. inscriptionibus religiosa continentibus, abundant, et jam ideo non sunt negligenda, quia Orientales tenaces sunt antiquitatis, ita ut in eorum locis non omnia, quae vigebant aetate biblica, disparuisse censenda sint.

Denique nominamus *historicos antiquiores*, qui praeter facta opiniones quoque religiosas referunt vel certe attingunt, quae lucem pro s. Scriptura illustranda praebent [2].

[1] Sic, quae Act. XIV, 10. sqq. referuntur de Barnaba et Paulo, a Lystrensibus pro Jove et Mercurio habitis, illustrantur ex Ovidii

Metamorph. VIII, 611. sqq. et Fast. V, 495. — Jamblichius (de Myster. Chald. et Aegypt.) proponit systema theologiae magicae, ex quo ea petunt, quibus illustrantur in epistolis Pauli ad Ephes., Coloss. et ad Timoth. de Magia obvenientia.

[2]) De itinerariis et historicis eorumque recto usu vide J. Jahn, Biblische Archaeologie T. I. §. 3. p. 9 sqq.

§. 103. Fontes culturae religiosae Judaeorum.

Sentntias et opiniones Judaeorum exhibet:

1. *S. Scriptura A. F.*, fons omni exceptione major. Nec non N. F. plura refert vel attingit, quae sunt judaica, nominatim rabbinica [1]).

2. Dein ad rem nostram faciunt *versio Alexandrina* et paraphrases chaldaicae, *Targumin* dictae, quae, sicut eas fontes significationum hebraicarum laudavimus (§. 36), ita etiam fontes opinionum judaicarum censendae sunt, quia earum auctores in vertendo ita versabantur, ut effatis A. F. suas vel sui aevi opiniones inferrent. In usu tamen harum versionum, praesertim chaldaicarum, ad finem nostrum cautione opus est, eo quod inferioris aetatis hominum opiniones minus certe aevo, in quo sacri libri conficiebantur, attribuuntur [2]).

3. *Libri apocryphi V. T.* ob ipsorum originem ac fata pari ratione minus certe adhibentur, quin omni usu destituantur [3]).

4. Graviores pro re nostra sunt Josephus Flavius et Philo, auctores omnibus notissimi, etsi eorum opiniones Judaeis promiscue adscribere nefas esset. Etenim Josephi fidem suspectam in quibusdam facit studium sectae Pharisaeorum et accommodationis ad placita Graecorum et Romanorum, cujus plura vestigia in scriptis ejus occurrunt [4]); Philo autem philosophiae platonicae fuit addictus et allegoriae nimis studiosus [5]).

5. *Talmud* merito fons opinionum judaicarum habetur, quia tamen recentiora admixta habet, caute adhibeatur [6]).

6. Ad fontes subsidiarios etiam referunt commentarios in Talmudem et s. Scripturam, qui ab *Abenesra, Abarbanel, Maimonide* aliisque eruditis Judaeis inde a saeculo XII. confecti sunt, qui tamen utpote ab aetate biblica longius remoti, vix aliquid utilitatis praestant [7]). Alios mittimus [8]).

[1]) Conf. §. 97. not. 8. 9. et Matth. XIX, 3. sqq. Marc. VII, 2.—13., quibus addi possunt quam plurimi alii loci N. T.

[2]) Exempla opinionum judaicarum utrique translationi insertarum habentur in locis iterato laudatis §. 36. not. 3. 6. Placita Judaeorum Alexandrinorum in versione LXX expressa adhibentur ad illustrandos locos N. T. Act. VII, 38. Gal. III, 19. Hebr. II, 2. Ast, si etiam II. Timoth. III, 8. nomina Aegyptiorum, qui Mosi restiterant, Ἰαννῆς et Ἰαμβρῆς (Vulg. Mambres) ex Targum Jonath. ad Exod. VII, 11. desumta existimant, id sat incertum est, quia illud Targum, licet ex antiquioribus interpretationibus collectum, ob plura indicia interna aetati apostolicâ longe recentiori tribui debet, et proin rectius statuitur, et Apostolum et paraphrastam dicta nomina ex traditione Judaeorum hausisse.

[3]) Sic, quae in Testamento XII patriarcharum de classibus angelorum et septem [illegible]elis leguntur, adducunt ad locos Col. I, 16. II. Cor. XII, 2. illustrandos.

[4]) Talia sunt, si Josephus (Archaeol. l. II, 16.) transitum populi Israëlitici per mare rubrum comparat cum transitu exercitus Alexandri M. per mare Pamphilium, aut si (ibidem l. III, 5.) post descripta phoenomena, quae in monte Sinai locum habuerunt, dicit: *De his quisque, ut libuerit, sentiat.* Quantopere haec a cogitandi ratione Judaeorum abhorreant, nemo non videt.

[5]) *Philo Judaeus*, Alexandrinus, philosophiae platonicae addictus, plures habet opiniones peculiares, quae nationi judaicae perperam tribuerentur. Quo praeter alia spectant ejus placita de λόγῳ, angelorum primo, quae ex hac etiam causa ad Joan. I, 1. sqq. transferre minime licet. Conf. §. 71. not. 2. §. 75. not. 2.

[6]) Ita ex Talmude opiniones Pharisaeorum de formulis et obligatione jurisjurandi, quae Matth. V, 33. respiciuntur, illustrare solent. Conf. Lightfoot horas hebr. et talmudicas ad h. l.

[7]) Ad pauca, quae ex hisce commentariis aliquid commodi praebent, spectat sententia *Maimonidis* in tract. Gezalch, c. 5. „*Ubicumque numisma alicujus regis obtinet, illic incolae regem istum pro domino agnoscunt,*" quam ad Matth. XXII, 19. sqq. transferre solent.

[8]) Si hoc loco etiam nominant *Cabbalam*, et ex ea translationem LXX Jerem. LI, 1. לֵב קָמָי per χαλδαίυς i. e. כַּשְׂדִּים explicare, vel 7 Sephiroth cum partibus doxologiae Apoc. VII, 12. conferre conantur, sat incerta, et quae vix alicujus momenti sunt, proferunt.

Opera Lightfootii, Schoetgenii et Meuschenii, quae §. 69. not. 3. qua subsidia significationes orientales linguae graecae biblicae cognoscendi adduximus, etiam hoc loco ad studium culturae religiosae Judaeorum commendanda sunt. Quibus addimus: Wetstenii N. T. 1751. Jo. Gill, Commentar. in N. T. ex Rabbinis illustratum. Lond. 1648. et D. Leonh. Bertholdt, Christologiam Judaeorum. Erlangae 1811.

Pro usu singulorum fontium judaicorum serviunt praeter Trendelenbergii Chrestomathiam Flavianam. Lips. 1789 Stahlius, qui in Bibliotheca Eichhornii Vol. IV. pag. 771 sqq. Philonis systema theologicum descripsit; Dahlii Chrestomathia Philoniana. Hamb. 1800; W. Schaef-

fer, Quaestionum Philonicarum particula I. et II. 1829; A. Gfroerer, Philo und die Alexandrinische Theosophie. Stuttg. 1831.

§. 104. Fontes culturae religiosae Christianorum.

Notiones Christianorum biblicas docent:

1. *Libri sacri N. F.* qui fontem earumdem praecipuum constituunt. His accedunt

2. *Patres Ecclesiae*, aliique scriptores ecclesiastici, inprimis Patres apostolici, quibus etiam accenseri potest Eusebius, quod antiquiora accurate refert. Porro huc pertinent

3. *Scripta haereticorum* adhuc restantia, e quibus placita eorum innotescunt, quibus ex parte jam Apostoli, praesertim Joannes et Paulus refragandum consuerunt. Praecipue hoc loco notari merentur errores Gnosticorum et judaissantium, quorum priores philosopsiae orientali addicti plurima, quae a communi sentiendi judicandique consuetudine recedunt aut omnino falsa sunt, inde derivata cum religione christiana conjungere studebant, posteriores vero Judaismo velut immersi praeter legem Christi observantiam legalium Mosis urgebant. Errores plurimorum haereticorum referunt Irenaeus et Epiphanius, hinc inde forte minus exacte. Denique hoc loco nominamus

4. *Apocrypha N. F.*, id est scripta, quae Apostolis virisque apostolicis supponebantur, quae quidem magna ex parte Christianorum placita complectuntur, cum cautione tamen adhibenda sunt, tum quia hinc inde adulterata exhibent, tum propterea, quod aetas plerorumque hucusque nondum satis determinata est *).

*) Conf. J. F. Kleuker, Untersuchungen über die Apocryphen des N. B. De adhibenda *Ecclesiae catholicae doctrina* ad cognoscendas sententias christianas sermo erit Sect. II. Cap. II.

§. 105. Introductio in libros sacros.

Culturae, qua singuli fuerint hagiographi imbuti, conditionem ac gradum introductiones speciales A. et N. T. interpretem doceant, quibus simul peculiaris cogitandi ratio eorum exponenda est, pro quibus singuli auctores scripserunt. Commentatores melioris notae expositionibus suis introductiones praemittere solent. Quare hoc loco uberiora praecipere supersedemus, contenti, Bibliorum interterpretes de hoc quoque haud levi interpretationis momento monuisse.

§. 106. Admonitio et votum.

Quamvis huic interpretationi, quae notiones s. Scripturae e cogitandi ratione aetatis biblicae eruere et definire studet, modo solers cura impendatur, haud immerito tamen optatur:

1. Ut praecipuis quibusdam fontibus, e. g. Josepho Flavio et Philoni pro cognoscenda cultura Judaeorum religiosa, et antiquissimis Ecclesiae Patribus in discendis notionibus religiosis Christianorum majus studium solertiorque usus accedat;

2. Ne excerptis non satis accuratis interpres acquiescat, sed ut ipsos fontes, locorumque extractorum contextum studiose consulat;

3. Ne hujus quoque interpretationis limites ultra necessitatem modumque extendantur, quod fieret, si caeterum sat clara, ab ipsis hagiographis perspicue exposita, adductis undique ad meram eruditionem ostendendam locis illustrarentur [1]), aut omnino scriptoribus sacris prorsus aliena obtruderentur [2]).

[1]) Sic, si Lightfootus, Wetstenius aliique Joan. VII, 27. πόθεν ἐστίν, *de loco*, ubi Jesus, antequam publicum docendi munus coepisset, commoratus sit, explicantes, locis rabbinicis operose congestis demonstrare student, ex opinione Judaeorum duplicem Messiae manifestationem statuendam, et de altera v. 42. de altera v. 27. sermonem esse, labore sat superfluo occupantur, cum verba nostra non de loco sed *de origine* Messiae intelligenda esse ex v. 28. et 29. planum sit.

[2]) Conf. §. 103. not. 5.

Subsidiis cognoscendae culturae ratione materiae jam assignatis adhuc addere placet: Abriss der hebr. (sittlich-religiösen) Cultur bis auf das Zeitalter Jesu. Beiträge zur histor. Interpretation des N. T. aus den damals herrschenden Zeitbegriffen, in Henke's Magazin III. u. IV.; K. G. Bretschneider, Historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Leipz. 1806. Quae opera vero, cum haud raro ad rem non facientia, vel omnino a mente hagiographorum et personarum biblicarum aliena propinent, nonnisi cum cautione, supra nro. 3. inculcata, adhibenda sunt.

LOQUENTIS CULTURA,

β) QUATENUS VIM HABET IN ORATIONIS FORMAM.

§. 107. Ad quae in ea consideranda attendendum sit?

Quia cultura, quam loquentes in Bibliis sibi acquisierint, non solum in ipsos cogitatus, quos cum aliis communicare intendunt, sed etiam in modum eos proponendi vim exserit, ita quidem, ut

pro illius diversitate notiones mente conceptas etiam diverso modo eloquantur, declarent et referant, per se intelligitur, interpreti biblico ad culturam quoque, quae in formam vim habet, attendendum esse, ut rationem loquendi biblicam probe cognoscat, hacque cognita notiones ipsas tales, quales menti loquentium obversabantur, ex singularibus verborum involucris illis consuetis perfecte, sine omni immutatione, augmento vel diminutione eruere valeat. Cum vero de singulari hagiographorum cultura, quantum ad stylum quoque attinet, agatur in speciali sacrorum librorum introductione, hic loci biblica dicendi ac scribendi ratio nobis universe consideranda est. Quo in negotio, quia cultura loquentium formalis tum in oratione biblica *generatim*, tum *speciatim* in quibusdam dicendi rationibus biblicis conspicua est, agemus

A. *de indole orationis biblicae in genere,*

B. *de quibusdam dicendi rationibus in specie*, quae aut hagiographis privae sunt, aut certe magis familiares, vel etiam alia ratione conformatae, et propterea singularem in exponenda s. Scriptura attentionem merentur.

A.

§. 108. De indole orationis biblicae in genere.

Oratio biblica generatim considerata *duobus* potissimum distinguitur. Et primum quidem notam *tenuioris culturae* impressam habet. Quo fit, ut loquentes in Bibliis utantur brevibus sententiis, et iisdem fere, quantum fieri potest, vocibus ac formulis, quin ipsas variare ament [1]); ut porro careant accuratiori, qua schola utitur, dictione, nec non rigore logico definitionum, quibus descriptiones, declarationes et antitheses substituunt [2]), et divisionum ad nexum et limites determinandos [3]); ut denique modo quaepiam desint [4]), modo pleonasmi occurrant [5]). His frequenter accedunt anthropomorphismi et anthropopathismi, quibus humano more de Deo, quasi esset homo, loquuntur [6]), et generatim repraesentationes sensuales, quibus res exprimunt, prout sensibus offeruntur, quamvis omnibus his dictionibus rectiores subsint notiones [7]).

Dein vero peculiare orationi biblicae est, quod loquentes, utpote Orientales, *ferventiorem indolem ac vivaciorem imagi-*

nationem praeseferant. Hinc non mirabimur, si tropis et comparationibus frequentioribus et insolentioribus [8]), atque fusis per adjuncta, quae minus necessaria sunt, descriptionibus utuntur [9]), si paronomasiis [10]) et antithesibus [11]) delectantur, si notiones abstractas qua personas repraesentant [12]). Praeterea nemo ignorat, in demonstrando formulas disciplinae logicae attemperatas quaerendas non esse [13]), personam loquentem passim mutari, quin lector praevie moneatur (§. 89), orationem directam frequentari, et quae sunt alia hujus generis.

Magni porro momenti pro interpretatione est, utraque, de qua diximus, proprietate dictionis biblicae id quoque effici, ut saepe singularia pro universalibus ponantur, contra alibi generaliter quaedam dicantur, quae restringi debeant [14]). Caeterum haec omnia pro auctorum ingenio, aetate, caeterisque adjunctis plus minusve esse diversa, facile intelligitur.

1) Nemo rerum peritus ignorat, quantopere auctores biblici hac in re discedant a Graecis classicis, qui *periodice* loquuntur, orationem arctissime per convenientes particulas nectunt, et magna orationis varietate insignes sunt, cum contra illorum oratio *membratim* incedat, et nulla vel exigua varietate distinguatur. Sic, ut alia mittamus, auctores historici tum A. tum N. T. in narrando, praesertim in transeundo ab una re ad aliam fere continuo easdem formulas retinere solent. Ita voces et phrases: וְ, אָז, בַּיָּמִים הָהֵם, וַיְהִי, וְהִנֵּה, וַיַּעַן וַיֹּאמֶר, καί, τότε, ἐν ἐκείνῳ καιρῷ, ἐν ἐκείναις sive ταύταις ἡμέραις, καὶ ἐγένετο, καὶ ἰδοὺ, ἀποκριθεὶς δὲ εἶπε et aliae frequentissime redeunt.

2) Tali modo definiuntur vel potius describuntur ac declarantur: πίστις Hebr. XI, 1. *peccatum* I. Joan. III, 4. *Deus verus* Act. XVII, 24. sqq. *lex et conscientia moralis*, et quae huic legi repugnare solet *sensualitas* Rom. II, 14. 15. VII, 22. sqq., *charitas christiana* I. Cor. XIII, 4—8. ut alia taceamus.

3) Exemplo sint Rom. I, 29. sqq. Gal. V, 19. sqq., ubi Apostolus profert singulas vitiositatis species, in quibus enumerandis nec accurate secundum systematis formam singula vitia disposuisse, nec de discrimine vocum omnium synonymarum subtiliori cogitasse censendus est; imo ad ipsas rei species designandas vocabula occurrunt, quae notionem totius exprimunt. Item non sat accurate loquitur idem Apostolus I. Cor. VI, 18. asserens, omne peccatum excepta fornicatione extra corpus esse, cum nemo negaverit, gulam, sui ipsius mutilationem, suicidium aliaque esse peccata, quae in proprium corpus committuntur. Nec Joannes I. epist. IV, 2. rem absolvit statuens, omnem spiritum, qui Jesum Christum in carne venisse confiteatur, ex Deo esse, cum non obstante hujus doctrinae fundamentalis professione a doctoribus errores possent proponi, ob quos

qua falsi deberent notari. Plura vide in C. Unterkircher, Hermeneut. §. 83.

[4]) Ellipses A. F. occurrunt: Job. III, 20. לָמָּה יִתֵּן לְעָמֵל אוֹר *quare dat* (Deus) *misero lucem?* Jesaiae XLVIII, 11. אֵיךְ יֵחָל וּכְבוֹדִי לְאַחֵר לֹא־אֶתֵּן׃ *Quomodo profanetur* (scilicet gloria mea), *gloriam meam non do alteri.* Plura vide Jahn. Gramm. heb. p. 364. 370. 428. In N. T. conf. Rom. XV, 2., ubi protasis completa non est, et Luc. XIII, 9., ubi ad verba κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν deest apodosis.

[5]) Ejusmodi locutiones pleonasticae sunt: *Extendens manum tetigit eum,* Matth. VIII, 3. *Surrexit et abiit,* ibid. IX, 8. Alia mittimus.

[6]) Expressiones *anthropomorphiticae* de Deo occurrunt: Genes. XI, 5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam; antropopathicae:* I. Sam. XV, 35. *Quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum* (Saulum) *regem super Israel.*

[7]) Ejusmodi est, si Genes. II, 2. Deus ab universo opere quievisse, et ibid. v. 8. Paradisum plantasse dicitur, quia in posteriori loco creatio Paradisi, in priori cessatio creationis hujus universi sensibus hominum ita se manifestabat.

[8]) Huc spectat Jes. XI, 6. repraesentatio aetatis aureae Messiae: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hoedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos* etc.

[9]) Talis descriptio e. g. habetur Genes. VI, 14. sqq. de arca a Noacho construenda.

[10]) Exemplum paronomasiae in hebraico habes Mich. I, 10. in graeco Histor. Susannae v. 54—59. Conf. §. 59. not. 3.

[11]) Antitheses in A. et N. T. frequentantur, e. g. Psalm. LXXVIII, 39. רוּחַ הוֹלֵךְ וְלֹא יָשׁוּב *halitus transiens, qui non revertitur;* Joan. I, 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὁ γέγονεν, *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est;* v. 7. sqq. 20. III, 15. 36. V, 19. 24. VII, 18. VIII, 45—47. al.

[12]) Ita ut persona inducitur *sapientia* Prov. IX, 1. sqq. Sap. VII, 21. sqq. Sirac. I.

[13]) Minus accurate ad leges logicas, sed potius κατ' ἄνθρωπον formata videntur argumenta I. Cor. XI, 4. sqq. XV, 29. I. Tim. II, 13. 14. et alia.

[14]) In formula illa Exod. III, 8. et alibi de regione Canaan usurpata: „*Terra, quae fluit lacte et melle,*" *lac* et *mel* ponuntur pro omnibus bonis, quibus terra incolas cumulat. Alia exempla dictorum singularium pro universalibus habes infra §. 118. not. 4. Ad dicta generalia, quae justis limitibus restringenda sunt, pertinet illud Pauli: *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.* Tit. I, 12.

B. *SPECIALES DICENDI RATIONES BIBLICAE.*

§. 109. Praecipuae earum recensentur.

Ad speciales dicendi modos, qui praecipua interpretis attentione digni sunt, licet non omnes in solis Bibliis occurrant, refe-

rimus *a) parallelismum poëticum* et *b) imagines*, quo spectant *similitudines*, *metaphorae et allegoriae*, *visiones*, *parabolae et fabulae*, atque *gnomae*. Quibus *c)* necessaria subjungemus praecepta *de accomodationibus*, et quidem tum ratione ejus, quae a recentioribus s. Scripturae perperam obtruditur, tum ratione illarum, quas admittere fas est.

Quarum dicendi rationum plures brevius tractare licebit, quia methodus in ipsis explicandis observanda e rhetoricae regulis ponitur nota. Unde ea solum paucis perstrinxisse sufficiat, quae pro recta Bibliorum interpretatione necessaria videntur. Subsidia quoque literaria ut plurimum praevie nota postulantur.

§. 110.

a) *De parallelismo poëtico.*

Licet sacri poëtae rythmo stricte tali careant, dudum tamen in iis observatus fuit quidam parallelismus membrorum, vi cujus duo vel plura commata unam eandemque cogitationem primariam ex diversis partibus et pro variis conditionibus spectantia cum quadam membrorum dimensione ita conjunguntur, ut sententiae sententiis, verba verbis respondeant. Haec vero styli biblici proprietas in duas species discedit, *syntheticam* nempe et *antitheticam*, dum cogitatio primaria sese exserit vel membris *eandem rem* diverso modo spectantibus et variantibus, vel membris de *rebus contrariis* contraria praedicantibus, ita ut priori in casu membra coordinentur, in posteriori sibi opponantur [1]).

Rationes vero praecipuae, quae inter singula membra parallela sive coordinata sive opposita intercedunt, in sequentibus consistunt:

1. Quod in uno membro universaliter, in altero specialiter enuntiatur [2]). Interdum tamen specialis notio in ambobus adest membris, ex quibus universalis notio eruenda est [3]).

2. In altero membro ponitur abstractum, in altero concretum [4]).

3. In altero membro res subjective, in altero objective exprimitur [5]).

4. In altero membro quodammodo causa alterius exponitur [6]).

5. Quod in altero membro simpliciter, in altero per circumlocutionem dicitur; vel in altero membro adest tropica, in altero propria dictio [7]).

6. Quod in altero positive, in altero negative proponitur. Quo etiam spectat ratio, qua notio eadem duabus sententiis contrariis effertur [8]).

Ex his vero, quae ex plurimis aliis fere exempli causa tantum adduxisse sufficiat, simul facile intelligitur, cur et quomodo interpretatio biblica parallelismo membrorum adjuvetur. Etenim quia ea est hujus parallelismi indoles, ut eadem sententia primaria in singulis membris parallelis diverso modo efferatur, non potest non fieri, quin haec membra mutuo se explicent. Quare pro hermeneutico parallelismi tum synthetici tum antithetici usu in universum recte statuitur regula haec: Id, quod perspicuum, definitum ac certum est, norma habeatur explicandi ea, quae obscura, incerta et vaga sunt. Ut vero haec regula ad singula parallelismi membra explicanda rite applicari possit, duo casus probe discerni debent. Aut enim unum membrum perspicuum ac certum est, tunc norma sit explicandi alterum vel caetera; aut singula membra ita comparata sunt, ut nullum per se sat clarum sit, tunc singulis membris diligenter consideratis ac inter se collatis quaerenda est universalis sententia a loquente spectata, cui interpres tanquam fundamento insistat, ponens hanc universalem notitiam pro norma, quam in singulis membris ulterius dilucidandis sequatur. Quia vero vel verba et constructiones, vel res et sententiae sunt, a quibus hac ratione obscuritas, qua laborant, removeatur, usus parallelismi membrorum *philologicus* [9]) et *historicus* [10]) distinguitur.

Quamvis autem hujus subsidii usus, inprimis in A. T. explicando, sit frequentissimus, in eo tamen adhibendo provide interpres versetur, quia saepe non prorsus idem, sed paululum immutatus sensus singulis membris subest, ita ut strictissime parallela non sint. Cavendum itaque est, ne aut illius suffragio sine consensu aliorum fontium certitudo tribuatur, aut ex altero membro alteri perfectior vel tenuior, vel alia notio sententiave adscribatur, quam quae ei revera competit.

[1]) Quod vulgo addunt genus synonymum (Rob. Lowth, De poësi Hebraeorum sacra §. 31. not. 2. laudatus, Jo. Jahn, Archaeologia bibl. §. 91. J. H. Parreau, Institutio interpretis V. T. Part. III. Sect. I. c. 1. et alii) ratione habita nostrae definitionis ad genus syntheticum referendum est.

[2]) Membra *synthetica* sunt: Prov. III, 9.

כַּבֵּד אֶת־יְהוָה מֵהוֹנֶךָ
וּמֵרֵאשִׁית כָּל־תְּבוּאָתֶךָ׃

Honora Dominum de facultatibus tuis,
Et de primitiis omnium proventuum tuorum;

antithetica vero: Prov. XII, 10.

יוֹדֵעַ צַדִּיק נֶפֶשׁ בְּהֶמְתּוֹ
וְרַחֲמֵי רְשָׁעִים אַכְזָרִי׃

Justus curat etiam vitam jumenti sui,
Sed cor improborum crudele est.

[3]) Huc spectat Prov. XV, 8.

זֶבַח רְשָׁעִים תּוֹעֲבַת יְהוָה
וּתְפִלַּת יְשָׁרִים רְצוֹנוֹ׃

Sacrificium improborum abominabile est Domino,
Sed orationem justorum acceptam habet;

quibus inest sententia univiversalis haec: Tantum cultus proborum Deo placet.

[4]) Id obtinet in parallelismo antithetico, Prov. XV, 9.

תּוֹעֲבַת יְהוָה דֶּרֶךְ רָשָׁע
וּמְרַדֵּף צְדָקָה יֶאֱהָב׃

Abominatio est Domino via improbi,
Sed sectantem justitiam diligit.

[5]) Exemplum habes Psalm. XXXVIII, 4.

אֵין־מְתֹם בִּבְשָׂרִי מִפְּנֵי זַעְמֶךָ
אֵין־שָׁלוֹם בַּעֲצָמַי מִפְּנֵי חַטָּאתִי׃

Non est sanitas in carne mea coram indignatione tua,
Non est incolumitas in ossibus meis coram peccato meo.

[6]) Ejusmodi est Cant. I, 6.

אַל־תִּרְאוּנִי שֶׁאֲנִי שְׁחַרְחֹרֶת
שֶׁשֱּׁזָפַתְנִי הַשָּׁמֶשׁ

Ne me aspiciatis, quod tota nigra sum,
Etenim sol me signavit.

[7]) Exemplo sit Psalm. LXIX, 9.

מוּזָר הָיִיתִי לְאֶחָי
וְנָכְרִי לִבְנֵי אִמִּי׃

Alienus factus sum fratribus meis,
Et peregrinus filiis matris meae.

Prov. XV, 15. dictioni propriae figurate dictum opponitur:

כָּל־יְמֵי עָנִי רָעִים
וְטוֹב־לֵב מִשְׁתֶּה תָמִיד׃

Omnes dies pauperis sunt mali,
Sed secura mens est juge convivium.

8) Exempla sunt: Psalm. LXIX, 6.

אֱלֹהִים אַתָּה יָדַעְתָּ לְאִוַּלְתִּי
וְאַשְׁמוֹתַי מִמְּךָ לֹא־נִכְחָדוּ׃

Deus tu nosti stultitiam meam,
Et delicta mea coram te non sunt celata;

et Prov. X, 4.:

רָאשׁ עֹשֶׂה כַף־רְמִיָּה
וְיַד חָרוּצִים תַּעֲשִׁיר׃

Pauperem facit manus remissa,
Sed manus sedulorum ditat.

9) Obscuritas vocabulorum hoc parallelismo removetur Psalm. CV, 18.

עִנּוּ בַכֶּבֶל רַגְלָיו
בַּרְזֶל בָּאָה נַפְשׁוֹ׃

ubi ex בַּרְזֶל in posteriori membro colligitur, כֶּבֶל in priori esse *vinculum* ad pedes ligandos et quidem ferreum. Psalm. XCVII, 11. *lucem* (אוֹר) designare *felicem sortem*, indicat respondens in altero membro *gaudium* (שִׂמְחָה). Nec minus Luc. I, 79. in cantico Zachariae σκότος et σκιὰν θανάτȣ esse *miseriam*, testatur respondens in sequenti membro ὁδὸς εἰρήνης *conversatio prospera*. Ratione constructionis inde baud raro intelligitur, quae sint supplenda. E. g. ad Prov. X, 14. *Sapientes occultant scientiam, at ori stulti ruina propinqua est*, priori membro supplendum est: „*adeoque nihil patiuntur*," ad alterum vero (at ori stulti) addendum: „*qui manifestat, quae scit.*"

10) Exempla rerum et sententiarum, quae usu hujus parallelismi illustrantur, habes: Psalm. LXXVI, 3., ubi intelligitur, שָׁלֵם in priori membro esse Hierosolyma (conf. Genes. XIV, 18.), quia in posteriori respondet Zioni; Psalm. XII, 3. sententia, quae in altero membro verbis impropriis et figuratis nominatur, in altero propriis exprimitur: *Corde et corde loquuntur — mendacium loquuntur.*

Plura de usu hujus subsidii habentur in Jahnii Enchiridio Hermeneut. §. 20. V. et in opusculo: De parallelismi membrorum in poësi Hebraeorum usu hermeneutico et critico. Auctore F. Beck. Havniae 1840.

b) *De imaginibus biblicis.*

§. III. Earum indoles ac diversa genera.

Omnes quidem nationes, praesertim in operibus poëticis figurato dicendi genere uti solent; attamen Orientales sub calidiori

coelo degentes ferventiori indole ac vivaciori imaginatione praeditos, quam nos, delectari comparationibus, similitudinibus et metaphoris non tantum frequentioribus, sed et iis, quae a nostra sentiendi ratione satis abhorreant, jam monuimus (§. 108). Quapropter cum ob singularem plurium ejusmodi imaginum rationem saepe difficile sit, res ac sententias, quae sub iis latent, sine augmento vel diminutione ita eruere, ut a loquentibus spectabantur, in sensu imaginum explorando maxime circumspectum esse oportet interpretem, ut omnia imaginis momenta non ex nostro sentiendi modo, sed secundum sensum Orientalium aetatis biblicae intelligat atque exponat.

Ut autem, quae ad hanc rem spectant, debito ordine ac diligentia tractemus, primum quaedam generatim de imaginibus praecipiemus; dein diversa ipsarum genera considerabimus.

Nomine *imaginum* intelligimus omnes figuras sermonis, quibus quaedam cogitatio per aliam similem vel cognatam, sed vivaciorem repraesentatur. Unde patet, interpreti earum ad tria momenta esse attendendum:

1. Ad rem, quae ob aliquam similitudinem vel connexionem ad aliam rem designandam in auxilium vocata est;

2. ad rem, quae ista imagine designatur;

3. ad tertium, quod vocant, comparationis, ab aliis etiam fundamentum translationis dictum, seu ad illud momentum, in quo loquens convenientiam alterius rei cum altera reposuit.

Quia vero Orientales, ut diximus, ferventioris ingenii et vivacioris imaginationis atque alius sentiendi rationis sunt, usu imaginum a nobis maxime differunt. Quam ob rem

a) *frequentiores* sunt imagines in Bibliis et fere ubique obviae, praesertim in libris poëticis et in prophetis [1]).

b) Nonnunquam sunt *luxuriantes*, id est justo plus pro nostro gustu minutiis distinctae, et descriptionibus et adjunctis, quae nobis superflua videntur, oneratae [2]).

c) Frequenter sunt *audaciores*, dum justo plura vel majora exhibentes ultra similitudinis rationem adeo exaggerantur, ut rem repraesentandam excedant [3]).

d) Denique saepius ita comparatae sunt, ut *sordidae* et *indignae* videantur, si eas ad nostros mores retuleris [4]).

e) Demum a rebus antiquis vel peregrinis desumuntur, quae nobis sunt *inusitatae* [5]).

Distinguuntur vero imagines *quantitate* et *qualitate.* Priori respectu sunt vel *simplices* vel *compositae;* posteriori *similitudines* et *metaphorae* discernuntur.

Quod differentiam imaginum ratione quantitatis attinet, ad *simplices* referimus eas, quibus una tantum cogitatio nonnisi una alia ei simili repraesentatur, sive id uno alterove tantum, vel paucis verbis, sive etiam pluribus fiat. Sunt vero in Bibliis plures res uno alterove verbo expressae, quae passim qua imagines aliarum usurpantur; quo inprimis quaedam nomina propria personarum, civitatum ac nationum referenda sunt, quibus aliud nominatur, et aliud simile indicatur [6]). Imagines *compositas* eas vocamus, in quibus, dum repraesentant quamdam cogitationem per singularia, plures imagines commiscentur [7]).

Ratione qualitatis seu modi notiones comparandi vel manifesta similitudinis mentione res cum alia confertur, vel sine ejusmodi disserta mentione res alia re simili repraesentatur. Prioris generis collationes *similitudines*, posterioris *metaphorae*, aut si continuantur, *allegoriae* audiunt [8]). Quibus subjungi oportet *visiones*, *parabolas* et *fabulas* atque *gnomas*, quae modo ad similitudines modo ad metaphoras ac allegorias accedunt, prout indicium comparationis aut manifestum est, aut reticetur [9]).

Restat, ut moneamus, in hisce figurati sermonis generibus haud raro multa esse admixta, quae non ad sensum constituendum, sed tantum ad imaginem vividiorem efficiendam et exornandam faciunt, in quibus propterea nec peculiaris sensus quaerendus est [10]).

[1]) Exempla diversarum imaginum, quibus s. Scriptura abundat, hujus et proxime sequentium §§. notae plurima exhibent.

[2]) Ejusmodi sunt, Cant. IV, 2. *Dentes tui sicut greges tonsarum* (ovium), *quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.* Conf. ibid. VI, 5. Sirac. XXIV. 17. sqq. notae imaginis sapientiae cumulantur. In N. T. Apoc. XVII. et XVIII. item XXI. casus Babylonis et nova Hierosolyma elegantibus imaginibus minutim describuntur, quarum prior interitum potentiae idololatriae, posterior beatissimam sortem bonorum post resurrectionem universalem depingit.

[3]) Ita vaticiniis quasi familiare est, magnas quasdam mutationes et insolitos eventus exprimere per obscurationem solis et lunae, per lapsum siderum, terrae motus etc. Jes. XXXIV, 4. *Et tabescet omnis militia coelorum, et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum* (sidera)

defluet, sicut defluit folium de vinea et ficu. Similia leguntur Ezech. XXXII, 7—8. Joel II, 10. 31. Matth. XXIV, 29.

[4]) E. g. si Ephraim dicitur עֶגְלָה מְלֻמָּדָה אֹהֲבַת לָדוּשׁ *juvenca assuefacta, amans triturationis*, Hos. X, 11.; *Aegyptus* עֶגְלָה יְפֵה פִיָּה *juvenca pulcra ore*, Jerem. XLVI, 20. et Joseph celebratur בְּכוֹר שׁוֹרוֹ *primogenitus tauri*, Deut. XXXIII, 17. imagines nostro sentiendi modo abjectae et sordidae videntur; at cogitandum est, haec animalia apud antiquos Hebraeos maximi habita, indeque imagines ab illis petitas ad orationis lumina spectasse.

[5]) In Bibliis ejusmodi orationis ornamenta a rebus orientalibus antiquae aetatis, inprimis palaestinensibus et hebraicis petita sunt. Plura vide in Jahnii Archaeol. bibl. §. 91. II.

[6]) Imaginum simplicium, quae uno alterove verbo continentur, notiores sunt: קֶרֶן *cornu* pro *potentia* I. Sam. II, 1. Psalm. LXXV, 6. 11. Jerem. XLVIII, 25. Luc. I, 69.; עֹל ζυγός *jugum* pro *servitute* Jes. IX, 4. Act. XV, 10. Gal. V, 1. I. Tim. VI, 1.; מַפְתֵּחַ κλεὶς *clavis* pro *potestate*, Jes. XXII, 22. Matth. XVI, 19. Quod nomina propria attinet, David pro Messia Jerem XXX, 9., Elias pro Joanne Baptista, praecursore Domini Malach. IV, 5. coll. Matth. XI, 14. XVII, 12., *Jerusalem* pro *regno Messiae* hujus et alterius vitae Jes. LX, 1. Gal. IV, 26. Hebr. XII, 22. Apoc. XXI, 2. 10., *Gog et Magog* pro *impiis adversariis religionis christianae* Apoc. XX, 7. coll. Ezech. XXXIX, 1. 6. ponuntur. Imago simplex, ast pluribus verbis descripta, habetur Apoc. III, 7. *Qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit.*

[7]) Exemplum imaginis compositae habes Apoc. VI, 12. 14. *Et ecce terrae motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae de coelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur, et coelum recessit sicut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.*

[8]) Similitudines sunt Matth. VII, 24—27. *Omnis ergo, qui audit verba haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificat domum suam supra petram — — — — Et omnis, qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam.* — — Ad metaphoras et allegorias spectant Luc. III, 8. 9. *Facite fructus dignos poenitentiae. — — — Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.*

[9]) Haec figuratae orationis genera Orientales nomine מָשָׁל arab. مَثَل comprehendunt, ea minime tam accurate distinguentes, sicut occidentales aestheticae disciplinae praeceptores.

[10]) Ita e. g., quae in parabola de filio prodigo Luc. XV, 11. sqq. refert de stola prima, de calceamentis, de annulo, de vitulo saginato, parabolam ornant et vividiorem reddunt, ast peculiarem sensum non afferunt.

§. 112. Similitudines.

Cum in similitudinibus res cum alia re manifesto conferatur, interpreti ambae notiones, tum quae imaginis instar adhibetur, tum quae ipsa imagine designatur, facile innotescunt. Superest igitur, ut quaerat tertium comparationis, seu in quo, aut quibus momentis convenientia alterius rei cum altera, et quousque a loquente spectata sit. Quod cum rarissime ab ipso loquente declaratum sit, utraque re diligenter considerata modo ex contextu, modo ex occasione sermonis, modo ex rei natura aliisque subsidiis hermeneuticis exploretur [1]. Faciliori negotio id cognoscitur, quando res, quae alterius imago est, latiori descriptione proponitur, quia interpreti merito suspicari licebit, loquentem eam similitudinis rationem spectasse, quam in notis imaginis praecipua solertia et accuratione depictis prae oculis habuisse censendus est [2]. Contra comparationes breviores et imagines rarioris usus plerumque obscuriores sunt, quia ipsis deest, unde lux petatur; nonnumquam tamen etiam tales jam sua indole sat clarae sunt [3].

Caeterum quod de imaginibus generatim diximus, etiam de similitudinibus valet; nonnumquam sunt insolentiores, proin juxta cogitandi rationem Orientalium judicandae [4].

[1]) Sic Hos. VI, 4. *Pietas vestra sicut nubes matutina et sicut ros matutinus pertransiens*, momentum similitudinis inter imaginem et rem designatam a loquente in inconstantia et brevi duratione repositum esse, ex contextu et natura imaginis intelligitur. Similitudini Matth. XIII, 47. 48. a Jesu propositae v. 49. 50. explicatio adjecta est.

[2]) In similitudine Matth. XIII, 31. *Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo,* haec verba nondum definiunt, utrum odoris acrimoniam, quo gaudet granum sinapis, an aliam ejus proprietatem loquens spectaverit. Sed cum v. 32. addatur: *quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis ejus,* intelligitur, convenientiam imaginis cum re designata a loquente spectatam in eo esse, quod in Ecclesia christiana sicut in grano sinapis parva initia maxima captura sint incrementa.

[3]) E. g. Jerem. VI, 7. *Sicut puteus aquam ebullit, ita* (Hierosolyma) *malitiam ebullit,* comparatio non obscura est.

[4]) Ejusmodi est Cant. VII, 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.*

METAPHORAE ET ALLEGORIAE.

§. 113. Earum notio et divisio.

Ad imagines quidem, quibus notiones aliae aliis sine aperta convenientiae mentione substituuntur, aliquo modo *tropi* generatim spectant, quo nomine permutationes locutionis certam notionem exprimentis cum alia notionis similis vel cognatae intelligimus. Tropos triplicis generis esse, nempe: Metonymiam, Synechdochen et Metaphoram, notum est. Cum duo priora genera, in sacris paginis frequenter obvia [1]), speciales leges non requirant, quia ratione eorum oratio biblica a nostra vix differt, hoc loco solum de metaphora quaedam speciatim praecipienda videntur.

Metaphora est comparatio, qua sine ipsius indicio manifesto loquens notionem alteram alteri simili substituit. Unde patet, eâ non vocabula sola permutari, sed revera alteram cogitationem alterius loco proferri, quo fit, ut altera, quam loquens proxime spectat, ceu imago alteram ceu rem repraesentatam in audientium vel legentium mente, observata utriusque similitudine oriri faciat.

Metaphoram simpliciter dictam imaginibus simplicibus, et quidem iis, quae uno alterove tantum verbo proferuntur, adnumerare licet; nam metaphora pluribus descripta *allegoria* nuncupatur, quae non est nisi continuata metaphora. Solent distingui allegoriae *purae*, in quibus omnes partes impropriae sunt et *impurae* seu *mixtae*, in quibus propria impropriis admixta occurrunt [2]).

Interpretis est, metaphoras tum simpliciter sic dictas, tum eas, quae pluribus efferuntur seu allegorias *agnoscere*, et agnitas recte *interpretari*. Utrumque difficile non est, ubi loquens ipse vel auctor sacer disserte imaginem declarat, aut ubi in allegoriis impropria per propria admixta vel subjecta explicantur [3]). Ubi vero haec manifesta indicia desunt, aliis subsidiis hermeneuticis explorandum est, num locutio biblica metaphorica sit, et quis sit illius sensus?

[1]) *Synechdochas* habes, ubi *εἰςέρχεσθαι καὶ ἐξέρχεσθαι* ut hebraicum בּוֹא וְצֵאת (Deut. XXVIII, 6. I. Sam. XVIII, 13. 16. al.) *intrare et exire*, quo singulae hominum actiones designantur, pro vita et conversatione

cum aliis in universum legitur Act. I, 21. Joan. X, 1. vel ubi *σάββατον* *sabbatum* totam hebdomadem designat Matth. XXVIII, 1. Luc. XVIII, 12. Ad *metonymias* pertinent locutiones, quibus שֵׁבֶט *sceptrum* pro regia dignitate Genes. XLIX, 10., חֶרֶב *gladius* pro bello Lev. XXVI, 6., *lotio manuum* pro contestanda innocentia Deut. XXI, 6. Matth. XXVII, 24. ponitur, vel quibus הָרִים, גְּבָעוֹת *montes, colles* pro idolis ibidem cultis Jerem. III, 23. aut לִבּוֹת וּכְלָיוֹת *corda et renes* pro tacitissimis cogitationibus et sensibus hominum dicuntur Ps. VII, 10. et quae sunt sexcenta alia hujus generis.

[2]) Exemplum allegoriae purae legitur Jes. V, 1—6., ubi regnum Juda sub imagine vineae arguitur de vitiis, et vastandum praedicitur; elegans allegoria mixta occurrit Ps. LXXX, 9—18., qua populus Israeliticus sub imagine vitis ex Aegypto transplantatae et laete florentis sistitur, et subjectis nonnullis proprie dictis ulteriori Dei curae commendatur. Conf. Rom. XI, 17. sqq.

[3]) Allegoriae, quae Ezech. XV, 1—5. legitur, v. 6—8. diserta declaratio subjicitur. Pari modo Matth. XVI, 6. verba: *Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum*, inferius v. 11—12. ab ipso loquente explicantur. In allegoria mixta Ephes. VI, 11—17. dictiones propriae tropicis lucem afferunt.

§. 114. Unde metaphorae et allegoriae dignoscendae sint?

Quod jam metaphoras *dignoscendas* attinet, notum est, primos dictorum, quae in s. Scriptura referuntur, auditores ipsos hinc inde non statim perspexisse, utrum ea tropice, an proprie accipienda sint [1]). Quam ob rem nobis eo magis firmis praeceptis opus est, quibus in dignoscendo tropico dicendi genere regamur, quo magis a personis, quae in Bibliis loquuntur, lingua, tempore, loco, natione atque moribus distamus, et quo minus proin omnia, quae in eorum dicendi ratione vim habebant, satis prespecta habemus.

Quae vero hac in re interpreti observanda sint, ex rei natura facile intelligitur. Et quidem generatim ea omnia, quae proprie intellecta a subsidiis hermeneuticis respuuntur, improprie accipienda esse, quisque videt. Ad singulas autem metaphoras dignoscendas sequentia servient:

1. Interpreti sacro nihil antiquius esse debet, quam ut assidua scriptorum orientalium, inprimis auctorum biblicorum lectione cum illorum usu loquendi tropico, communi et peculiari aliquam familiaritatem contrahat, quo fiet, ut metaphoras et allegorias in Scriptura occurrentes plerumque facile agnoscat [2]).

2. Ratio habeatur contextus, qui vario modo orationem impropriam esse indicat. Et primum quidem, si subjectum et praedicatum ejusdem propositionis ita comparata esse deprehenduntur, ut alterum alteri proprie convenire non possit, alterum tropicum habendum erit, dummodo utrumque bene cognitum, et repugnantia, quae ex significatione propria alteri adscripta oriretur, aperta sit [3]). Conclusio vero ad significationem tropicam subjecti vel praedicati, deducta ex eorum, si utrumque proprie accipiatur, contradictione duplicem exceptionem postulat. Et quidem primum e praedicato, quod repugnat subjecto, inferre non licet, illud tropicum esse, quando loquens de hoc aut errore deceptus aut studio falsum praedicat [4]). Altera exceptio ad mysteria fidei, inprimis duplicem Christi naturam spectat, de qua §. 168. sermo erit. Dein praeter indicium, quod collatio subjecti et praedicati praebet, in orationis serie dicta haud raro quaepiam alia adjecta, antecedentia vel consequentia habent, quae de metaphora cogitandum esse innuunt [5]).

3. Praeterea indicia sensus translati sunt loquentis adjuncta atque consilium, nec non loci paralleli et analogi, de quibus singulatim suis locis mentio fiet [6]).

Hisce subsidiis metaphorae plerumque dignoscuntur, ita ut raro tantummodo hac de re dubium relinquatur [7]). In allegoriis difficultas nonnumquam in eo posita est, quod non satis constet, utrum singula quaedam dicta, quae ad allegoriam caeterum referenda videntur, tropice an proprie intelligenda sint. Ad quam solvendam statuunt regulam: „Tropum suspicari licet in singulis partibus aliquam cum universa allegoria connexionem habentibus." Quae quidem regula aliquem usum praebet, ast eo cautius adhibenda est, quo minus ipsa connexio cum allegoria semper dubio careat, et quo facilius, praesertim apud Joannem, a translatis ad propria et vicissim transeatur [8]).

[1]) Ita cum Matth. XVI, 6. sqq. verbis: *Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum*, discipuli Domini tropice admoniti fuissent, ut sibi diligenter caverent a Pharisaeoram et Sadducaeorum falsa et perversa doctrina, metaphoram ante magistri declarationem non agnoverunt, sed verbis proprie acceptis putarunt, reprehendi suam incuriam, quod non idoneum panum numerum secum tulissent, simulque sibi inculcari, ne a Pharisaeis atque Sadducaeis panem compararent. Conf. quoque Joan. II, 19 — 22.

[2]) Profecto, qui in usu loquendi Orientalium bene versatus noverit, ipsis solemne esse, כּוֹס ποτήριον *calicem* dicere pro *sorte hominum* sive *fausta* sive *adversa*, uti Psalm. XI, 6. XVI, 5. XXIII, 5. LXXV, 9. Jes. LI, 17. 22. Jerem. XXV, 15. 17. al. (conf. Schultens. ad Haririi Consessum II. 65. 66. Ephraem T. I. 46.) eandem metaphoram in locis Matth. XX, 22.—23. XXVI, 39. Apoc. XIV, 10. XVI, 19. al. agnoscere non haesitabit.

[3]) Ex hoc capite, si Deus dicitur *rugire ex Zion* Amos. I, 2., aut *ex alto* Jerem. XXV, 30., vel si Paulus II. Cor. II, 15. de se dicit: Χριστȣ̃ εὐωδία ἐσμὲν, *Christi bonus odor sumus*, praedicata manifesto tropica sunt, quia proprie accepta subjectis non congruunt, imo sine absurditate nequidem tribui possunt.

[4]) Huc spectat, si caecus a nativitate Joan. IX, 30. simpliciter ac sine restrictione asserit: *Peccatores Deus non audit*, et ibid. VIII, 48. Judaei Christo dicunt: *Samaritanus es*, et *daemonium habes;* priori enim loco caecus ille errore deceptus loquitur, posteriori vero Judaei de industria Dominum conviciis proscindunt. Quam ob rem, licet praedicata proprie accepta subjectis non conveniant, impropria tamen dicenda non sunt.

[5]) Ejusmodi est, si Genes. XXXIV, 30. Jacobus filiis dicit: עֲכַרְתֶּם אֹתִי לְהַבְאִישֵׁנִי בְּיֹשֵׁב הָאָרֶץ *perturbastis me, foetere facientes me habitatoribus terrae*, ubi intelligitur, *foetere facere* metaphorice esse *odiosum facere*, quia ex antecedentibus patet, Jacobum laudatis verbis improbare facinus filiorum, qui incolas urbis Sichem interfecerant, et depraedati fuerant.

[6]) Commoda, quae pro dignoscenda metaphora praebent loquentis adjuncta atque consilium, nec non loci paralleli, §. 92. not. 2. §. 144. not. 2. §. 148. 2. not. 3. recensentur et exemplis illustrantur. Analogia fidei vero docet, ea, quae Matth. V, 29. 30. *de eruendo oculo* et *abscindenda manu*, et XIX, 12. *de eunuchis, qui se ipsos castraverunt*, a Domino dicuntur, orationem translatam esse, quia summa doctrinae revelatae homini corporis sui destructionem ac mutilationem manifesto interdicit.

[7]) Ejusmodi locus dubius est Jes. III, 16. sqq., ubi interpretes non conveniunt, utrum per *luxum filiarum Zion* luxus mulierum, an urbium, quae, ut constat, more Orientalium tanquam mulieres considerantur, designetur. Pari modo, quae Joel. I, 2. sqq. de vastatione regionis per agmina locustarum leguntur, nonnulli interpretes tropice de vastatione per Chaldaeos interpretantur.

[8]) Habetur illa regula in Ernestii Instit. Interpret. P. I. Sect. II. IV. §. 14. Ea tamen non obstante, ut exemplum ponamus, minime nobis persuadere possumus, quae Joan. VI. inde a v. 48. *de pane vitae, pane coelesti* leguntur, non proprie de *Eucharistia*, sed tropice de *doctrina* intelligenda esse, quia cum allegoria praecedenti v. 31. sqq., qua fidem doctrinae suae praestitam tanquam *panem vitae* designaverat, arctissime connexa sunt. Arbitramur enim, hoc loco orationem tropicam in propriam ita transire, ut utriusque hic pateat sensus: *Nutrio sectatores meos ad*

salutem doctrina, imo et carne atque sanguine meo. Etiam singulae expressiones a Joanne saepius, uti III, 6—8. IV, 6—15. 31—34. XI, 11—14. πνεῦμα, σὰρξ, ὕδωρ, βρῶσις, βρῶμα, κοιμᾶν modo proprie, modo tropice accipiuntur.

§. 115. Metaphorae et allegoriae interpretatio.

Quod ad metaphoras et allegorias *interpretandas* spectat, haud dubie eaedem res respiciendae sunt, ad quas in explicandis imaginibus biblicis generatim attendendum esse diximus (§. 111). Quapropter interpres primo omnium claram notionem rei, quae metaphorae inservit, ratione habita rerum antiquarum et cogitandi rationis Orientalium sibi paret[1]); dein collatis subsidiis hermeneuticis illam notionem explorare studeat, quae imagine repraesentatur. Subsidia vero, quae in hunc finem commendant, sequentia sunt:

1. Usus loquendi, quem etiam in tropis explicandis respiciendum esse volunt. At licet locutiones, quae vel in Bibliis generatim, vel a singulari auctore certo sensu tropico passim usurpantur, probabilius in loco quoque, quo exponendo occupamur, pari ratione intelligendae sint, cautione tamen hac in re opus est, ne inde minus certa aut falsa inferantur eo, quod eadem cogitatio tum diversarum cogitationum, tum ejusdem diversa ratione acceptae imago esse possit[2]). Quam ob rem,

2. cum soli usui loquendi fidendum non sit, porro contextum, dicendi occasionem, loquentis adjuncta atque consilium, materiam substratam atque locos parallelos in auxilium vocare oportet, ut cognoscatur notio, quae imagini subest[3]). Qua notione inventa metaphora in similitudinem convertitur, et sicut illa explicanda est[4]).

Quod in specie ad allegorias, quae per plura similia efferuntur, explicandas attinet, vix opus est, ut, quae supra (§. 111. not. 10.), ubi de imaginibus generatim sermo fuit, de non interpretandis adjunctis, quae ad sensum plane nihil conferunt, praecepimus, hoc loco repetamus. Monere tamen juvat, ut provide hac in re procedatur. Quem in finem interpres primo omnium quaerat summam rei seu cogitationem principalem. Qua explorata ea imaginis adjuncta, quae ad ipsam plane nihil faciunt, ita ut salva sententia abesse possint, solum ad imaginem exornandam et vividiorem efficiendam adesse censenda, et propterea non explicanda

sunt; contra ea, quae cogitationi principali aliquid luminis vel virtutis afferunt, negligere non licet[5]).

[1]) Quem in finem, si e. g. Genes. XLIX, 9., ubi Juda nominatur *catulus leonis*, et comparatur leoni et leaenae cubanti, interpres imaginem rite aestimare, omnemque ejusdem potestatem percipere velit, non sufficit nosse naturam leonis, qui cubans satur neminem laedit, sed et illud observandum est, leonem ab Orientalibus poni pro rege et heroe.

[2]) Ad explicandas imagines Apocalypseos collatio Prophetarum V. T., imprimis Ezechielis, Danielis et Zachariae saepius lucem praebebit. Attamen imaginibus Prophetarum nonnumquam in Apocalypsi alius tribuitur sensus, quam quem apud illos habent. Sic Joannes Apoc. XVII. XVIII. loquens de exitio Babylonis haud dubie respexit ad vaticinium Jes. XIII. XIV., quo Propheta hic depingebat futuram eversionem regni Babylonici et Chaldaeorum, qui Judaeos affligebant; Apostolus vero eandem imaginem adhibet ad delineandum interitum Romae ceu sedis idololatriae atque potentiae impietatis et adversariorum Messiae.

[3]) Exemplo sit locus Matth. XVI, 18. 19. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, ubi locutionibus tropicis designari singularem praerogativam ac potestatem Petro concessam, praeter usum loquendi contextus, occasio atque loquentis consilium, quod haud dubie fuit honorare ejus fidem ac amorem, nec non loci paralleli docent. Conf. Jes. XXII, 22. Apoc. III, 7. Matth. XVI, 16. 17. Joan. XXI, 15 — 18.

[4]) Quodsi e. g. cognoveris, locis supra §. 114. not. 3. laudatis imagine *rugitus*, qui Deo tribuitur, Orientalibus designari *minas*, habebis similitudinem hanc per se claram: Sicut leo rugiens minatur exitium animalibus, quae et omnia audito illius rugitu prae timore contremiscunt, ita Deus minatur per Prophetam mala grandia aut exitium.

[5]) Huc spectat Ezech. XVI., ubi vividissimis coloribus imago ingratae feminae depingitur, quae a Jehova e miserrimo statu erepta, beneficiis cumulata et in conjugem assumta turpissimae infidelitatis erga benefactorem se ream fecit. Omnis imaginis indoles ex cogitandi ratione Judaeorum considerata clare docet, summam rei imagine repraesentatam esse perfidiam nationis Judaicae erga Jehovam. Equidem singula imaginis lineamenta ad cogitationem principalem magis illustrandam et sublevandam non omni vi destituuntur, graviter tamen erraret interpres, si minutissimos quosque, qui a sacro vate efferuntur, tractus vitae dissolutae illius adulterae ad caput rei aliquid conferre, vel omnino singulas ejusdem actiones lascivas ad certos historiae Israelitarum eventus respicere existimaret. Ejusmodi adjuncta solum eo fine adsunt, ut imago exornetur, attentio et affectus excitentur, non vero ut sensui peculiarem vim addant.

In explicatione allegoriae errarunt plures interpretum antiquorum, adjunctis accidentalibus justo plus, contra plures recentiorum, eisdem justo minus tribuentes. Priores e. g. omnia adjuncta prolixae imaginis Ezech. I, 4. sqq., quorum plura manifesto solum ad ornatum et vividiorem descriptionem adsunt, operose exposuerunt, alii alia invenientes. Posteriores contra in imaginibus propheticis, quibus regnum Messianum cum distinctis et sat claris plurium ejusdem eventuum specialium praedictionibus repraesentabatur, nil nisi generales promissiones melioris status per Messiam adducendi, vel victoriae ab illo devictis gentium oppugnationibus reportandae viderunt.

§. 116. Visiones.

Visiones sunt imagines rerum ordinis supernaturalis, quibus interventu divino quaedam veritates vel certi eventus futuri adumbrantur. Res vero, quae in visione imaginis instar modo menti hominis in exstasi vel somnio, modo oculis corporeis signo quodam objicitur, plerumque prolixiori oratione describitur, rarius paucis tantum verbis proponitur [1]).

Distinguunt inter visionem *allegoricam* et *historicam*, quarum prior obtinet, quando signo quodam, quod conspiciendum exhibetur, doctrina aliqua vel praeceptum repraesentatur; posterior vero locum habet, quando res, quae vel revera conspicitur, vel solum conspecta dicitur, quin revera obtutui narrantis objecta fuerit, ad eventum quemdam indicandum visa proponitur, quam ob rem haec in visionem historicam *veram* et *fictam* subdividitur [2]).

Quod ad visionis interpretationem spectat, peculiaribus praeceptis opus non est. Etenim in visione historica sicut in quavis imagine primum ab interprete res, quae sive conspectui loquentis ad aliam rem designandam vere oblata fuerit, sive solum ab eo ad hunc finem composita tanquam conspecta exhibeatur, probe cognoscenda est; dein ex indole rei visae caeterisque subsidiis hermeneuticis eruatur ea res, quae visione hac ceu imagine indicatur. Ad explicandam visionem allegoricam porro ad ea attendenda esse, quae de interpretandis allegoriis in specie valere diximus, per se patet [3]).

[1]) Prolixior visio, quae Michaeae prophetae contigit, narratur I. Reg. XXII, 19. sqq.: *Ille* (Propheta) *vero addens ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum coeli assistentem a dextris et a sinistris, et ait: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? et dixit*

unus verba hujuscemodi, et alius aliter. Egressus est autem spiritus et stetit coram Domino et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies et praevalebis, egredere et fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. Qua visione cogitatio haec repraesentatur: Deus permisit, ut pseudoprophetae a Satana inspirati regem Achab deceptum ad bellum contra Syros permoverent, quo periret. Brevior visio habetur Act. XVI, 9., qua Paulus noctu Macedonem conspexit, qui ab eo petiit, ut veniens Macedones adjuvaret.

[2]) *Visio allegorica* occurrit Act. X, 10. sqq. coll. XI, 5. sqq., qua Petrus in extasin raptus vidit vas aliquod, nempe linteum magnum, quatuor laciniis de coelo demissum, varia animalia pura et impura includens, quae Apostolus sine discrimine mactare et manducare jubetur, quo signo doctrina adumbrabatur, Evangelium non tantum Judaeis, sed etiam Gentilibus annuntiandum esse. Visio autem *historica* et quidem vera contigit Davidi I. Chron. XXI, 27., cum conspiceret angelum, qui populum peste percusserat, jussu Domini gladium remittentem in vaginam, quo finis pestis designabatur; contra visio historica ficta legitur Job. I, 6. sqq., ubi in concilio Dei et angelorum satanas sistitur, cui possessiones Jobi diripiendae conceduntur, qua imagine cogitatio haec exornatur: Deus permisit satanae, ut Jobum tentaret.

[3]) Confer §§. 111. 115.

§. 117. Parabolae et fabulae.

Singularem interpretis attentionem merentur parabolae et fabulae, quae in eo conveniunt, quod ambae per narrationem fictam doctrinam aliquam vel eventum repraesentent; in eo vero differunt, quod priores, quae in Bibliis, praesertim N. T. frequentantur, homines, contra posteriores, quae in Scriptura rariores sunt, res ratione destitutas, puta bestias et arbores loquentes et agentes inducant, quod tamen discrimen non semper observatur. Caeterum sacrae literae parabolas et fabulas, quae ad institutionem praecipue minus cultorum aptissime adhibentur, elegantissimas complectuntur [1]).

Quod interpretationem attinet, quia hoc dicendi genus, si ad modum comparationis respicias, modo ad similitudines pertinet, quando nempe res cum alia re narrata manifesto confertur, modo ad allegorias referendum est, quando narratio absque comparationis indicio aperto ponitur, etiam ad modum alterutrius tractandum et explicandum est [2]). Neque hoc negotium interpreti difficultatem

creat, ubi aut loquens ipse expositionem addit, aut sententiam principalem subjungit, aut dicendi occasionem commemorat [3]). Ubi vero tam perspicua sensus indicia desunt, ad eadem adminicula, quae supra de explicandis similitudinibus et metaphoris ac allegoriis tradidimus, pro qualitate imaginis recurrere oportet. Pari modo in hoc quoque dicendi genere explorata doctrina principali, quae non una semper re absolvitur, sed nonnumquam plures complectitur, distinguendae sunt partes, quae in sensu vim habent, ab iis, quae solum ad attentionem excitandam, ad parabolam vel fabulam exornandam, aut ad verisimilitudinem augendam advocantur [4]). Plerumque difficile non est dijudicare, quaenam partes parabolae vel fabulae ad sensum, et quae mere ad elocutionem pertineant; nonnumquam tamen hac de re dubium restat [5]).

Quodsi quaedam narrationes s. Scripturae ita comparatae sint, ut dubitetur, num sint parabolae an potius verae historiae, aut certe tales pro fundamento habeant, id quoad interpretationem nihil refert; nam etiam in posteriori casu narrationes, utpote per modum parabolae positae ceu signum alterius cujusdam doctrinae eventusve sicut parabolae considerandae et explicandae sunt [6]).

[1]) Utilitas parabolae et fabulae sequentibus potissimum ostenditur:

a) Attentionem auditorum vel lectorum acuunt, utpote narrationes a rebus obviis repetitae, vivide descriptae et ad delectandum et movendum aptae.

b) Veritates abstractas, inprimis sublimiores captui hominum, qui potissimum a sensibus pendent, accommodant, illas quasi ob oculos ponentes. Sic e. g. parabola de plantata vinea Matth. XXI, 33. sqq. et de debitore ibid. XVIII, 21—35., praeterquam quod ad meditandum summopere excitant, doctrinam spectatam tanto lumine collustrant, ut clarioribus verbis vix proponi potuisset.

c) Nonnumquam veritatem, quae nuda nimis offenderet, aliquantum contegunt, uti parabola Nathanis de ove pauperis II. Sam. XII, 1. sqq. et illa viduae de filio suo occiso a fratre II. Sam. XIV, 1. sqq. Conf. quoque Luc. XIV, 16. sqq. Imo consensum auditoribus eripiunt, quem praeconceptae opiniones alias sine involucro parabolae impedirent, uti Luc. X, 29—37.

d) Denique memoriam adjuvant, dum ei doctrinas sensibus acriter admotas altius imprimunt, et recurrente rerum, a quibus desumtae sunt, aspectu resuscitant.

Elegantia nitent fabulae Jud. IX, 8. sqq. de arboribus regem electuris, et II. Reg. XIV, 9. II. Chron. XXV, 18. de carduo filiam cedri filio suo uxorem postulante; item parabola Luc. XV, 11. sqq. de filio prodigo, ut alias mittamus.

[2]) Ad similitudines spectat parabola: *Simile est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo* etc. Matth. XIII, 24. sqq. Allegoria est parabola de semine pro diversitate loci, in quem ceciderat, aut fructu carente, aut uberrimum ferente: *Ecce exiit sator quidam, ut sereret* etc., ibid. XIII, 3. sqq. Conf. §§. 111—113.

[3]) Parabolis modo laudatis de satore, ac de semine bono et zizaniis Matth. XIII, 3. sqq. 24. sqq. Jesus ipse ibid. v. v. 19—23. 36—43. fusam interpretationem subjungit; parabolae de decem virginibus sententia, quam illustrat, paucis adjicitur: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* Matth. XXV, 13.; parabolarum de ove et drachma perditis ac inventis, et de filio prodigo ad patrem reverso, benigneque ab eo excepto Luc. XV. occasio, quae illis opportunitatem fecit, praemittitur et sensum pandit; denique parabolae de rege misericorde et servo duro Matth. XVIII, 23—35. occasio commemoratur et doctrina ibid. v. 21. et 35.

[4]) In parabola de divite epulone et Lazaro mendico Luc. XVI, 19. sqq. tum deliciarum vanitas, tum Pharisaeorum indocilitas carpitur; parabolae de rege, qui filio suo nuptias paravit Matth. XXII, 1. sqq. plures partes significativas esse, quibus diversa doctrinae capita illustrantur, manifestum est, licet etiam quaedam solummodo ornatus causa ei adjecta sint. Conf. §. 111. not. 10.

[5]) Profecto ratione parabolae de oeconomo improbo Luc. XVI, 1—9. non adeo facile definiri posse, quae ad sensum pertineant, vel non pertineant, mirus interpretum dissensus in constituenda sententia spectata ostendit. Conf. Christoph. Schreiter, Historico-critica explicationum parabolae de improbo oeconomo discriptio. Lips. 1803.

[6]) Cujus generis est narratio de Samaritano misericorde Luc. X, 30. sqq., quae ab aliis pro mera parabola, ab aliis pro vera historia per modum parabolae exornata habetur. Doctrina manet eadem: omnes homines, etiam peregrinos et inimicos amandos, iisque humanitatis officia esse praestanda.

Egregiae animadversiones de sensu et usu parabolarum leguntur in Joh. Mich. Sailer's Pastoraltheologie, Grätz 1818. T. I. p. 222—260. Prolixius de iis scripsit Aug. Frid. Unger, De Parabolarum Jesu natura, interpretatione, usu. Lips. 1828.

§. 118. Gnomae.

Gnomicum dicendi genus hoc loco commemorare juvat, tum quia indole sua ad impropria dicendi genera referendum est, tum quia hujus dicendi generis formae in sacris literis saepius similitudinibus et parabolis disserte annumerantur et similem usum praestare solent, ad quem illae faciunt.

Sicut autem Orientalibus generatim familiare est, uti sententiis, quas Graeci γνῶμας dicunt, ita etiam scriptores sacri hoc dicendi genere valde delectantur; praeprimis autem liber Proverbi-

orum et Siracides ejusmodi sententias complectuntur [1]). Pleraeque non sunt, quam regulae prudentiae ab experientia collectae, vel breves religionis morumve doctrinae ad pietatem erga Deum, et justitiam ac aequitatem erga homines inculcandam. Sunt vero gnomae duplicis generis. Aut enim universim et absolute enuntiatur, quod nonnisi de aliquibus vel sub conditione valet, aut contra per singularia exprimitur, quod de omnibus obtinet [2]).

Ad sententias singulares pro universalibus valentes accedunt alia quoque dicta, per singularia, quae quidem in cunctis libris occurrunt, in Bibliis tamen magis frequentantur, dum singulares causae pro omnibus, singulares effectus pro omnibus, singularia officia pro omnibus ponuntur [3]). Praesertim hoc loco nominanda esse existimamus exempla seu narrationes, quibus modo veritas generalis vel singulari facto, vel sententia speciali profertur, modo eventus communis qua imago ad similem doctrinam designandam adhibetur, quorum prius genus ad synechdochem, posterius ad metaphoram referendum esse, patet [4]).

Cognoscuntur autem gnomae aliaeque dicendi rationes, quae ad eas appropinquant, haud difficulter aut ex forma dictionis, aut ex nexu, et rei natura [5]).

Quod earum *interpretationem* attinet, non quidem negandum est, nonnullas, quia quidpiam arguti et abstrusi praesefe-runt, nosque, quid eis ansam dederit, latet, obscuriores esse ita, ut ad earum sensum eruendum opus sit quadam ingenii subtilitate; pleraeque tamen sine difficultate explicantur. Quo in negotio cavendum est interpreti, ne ejusmodi sententiis justo minus aut plus attribuat, temere sensum angustiorem aut latiorem statuens, quam loquens intendit. Quem in finem diligenter attendat ad contextum, rei naturam, parallelismum et analogiam doctrinae, quae adminicula sensum sat clare recludent; dum modo universe et absolute dicta nonnisi vel de plerumque contingentibus, vel de parte majori, vel sub quadam restrictione valere et propterea, ut par est, restringenda, modo dicta per singularia veritatem universalem enuntiare, et proin ad hujus ambitum extendenda esse, innuunt [6]).

[1]) Ernesti Opusc. orat. p. 52. ait: „In libris sacris est numerus pulcherrimarum, acutissimarum et gravissimarum sententiarum, quae vim et ornatum orationi possunt addere, quantus est in nullo Graecorum et Latinorum scriptorum."

Sententiae, quae aliquid comparationis habent, in Scriptura saepe nomine *parabolae* veniunt, uti scite dictum: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem,* Matth. XV, 11. 15. et proverbium: *Medice, cura te ipsum*, Luc. IV, 23. Pari modo I. Sam. XXIV, 14. locutio moralis: *Ab impiis egredietur impietas*, מָשָׁל dicitur. Conf. Prov. I, 1. I. Reg. IV, 32.

2) Prioris generis exemplum habes Luc. XVI, 15. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum*, quo aliud non indicatur, quam, multa, quae, uti pietas simulata, hominibus magna, eximia et admiratione digna videntur, Deo esse invisissima; ad posterius vero spectat illud Prov. III, 9. *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei; et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt,* ubi decimae Deo collatae pro omnibus erga Deum officiis, et horrea impleta et torcularia vino redundantia pro omni benedictione divina sumi videntur.

3) Exemplum hujus rei vide §. 108. not. 14. Addimus Jacob. I, 27. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo*, ubi *visitare pupillos et viduas* ponitur pro omnibus officiis charitatis.

4) Sic narratio Luc. XVIII, 9. sqq. de Pharisaeo et publicano orante in templo, quae parabola vocatur, proprie non est nisi exemplum, quod in Pharisaeo quoscumque superbos, in publicano vero quoscumque humiles et modestos repraesentat, singulari facto docens, superbos Deo displicere, humiles vero probari et felices reddi. Pari modo Luc. III, 11., ubi Joannes dicit: Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι, καὶ ὁ ἔχων βρώματα ὁμοίως ποιείτω, *qui duas tunicas habet, alteram det egenti, et qui cibis abundat, similiter faciat*, tunica et cibi exempli loco commemorantur, ut singulariter dictis praeceptum generale: aliorum inopiae pro viribus succurrendum esse, commendetur. Denique Luc. XI, 11., ubi Christus dicit: Τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; *si quem e vobis parentem filius rogaverit, ut panem ei daret, num lapidem porriget?* exemplum eventus communis, nempe benignitatis parentum erga liberos ponitur, quo ostendatur, Deum patrem benignissimum hominibus petentibus optima quaeque libenter esse largiturum.

5) Ita Matth. XXIII, 24. in formulis: διϋλίζειν τὸν κώνωπα *percolare culicem*, et τὴν κάμηλον καταπίνειν *camelum deglutire*, ex forma dictionis facile cognoscitur proverbium, adhibitum de iis, qui in rebus levibus officii sui studiosissimi, in maximis vero negotiis essent negligentissimi; ibidem vero VII, 16. verba: μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλήν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα; *num de spinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus?* esse locutionem proverbialem, qua doceatur, ab homine malae indolis non posse continuo pietatis et probitatis fructus exspectari, orationis nexus et rei natura perspicue indicant.

*) Exempla sententiae restringendae habes Prov. XV, 15. *Omnes dies pauperis mali*, et ibid. XIX, 4. *Divitiae addunt amicos plurimos, a paupere autem et hi, quos habuit, separantur*, quae dicta cum restrictione, de majori tantum parte valere, natura rei docet. Contra dictis per singularia Prov. XI, 1. *Statera dolosa abominatio est apud Deum, et pondus aequum voluntas ejus*, veritatem generalem enuntiari inde colligitur, quia locis parallelis et omni analogia doctrinae constat, Deo omnes artes injustas displicere, et justitiam in omni vitae commercio probari.

c) *De accommodationibus.*

§. 119. Earum species recensentur.

Sicut caeterum haud raro viri quoque probi et graves adeo non repudiant accommodationes ad aliorum sive opiniones et studia, sive consuetudines et mores, ut potius quibusdam in circumstantiis suum esse ducant, ad aliorum infirmitates descendere: ita etiam hagiographi, inprimis N. T., imo Jesus ipse et Apostoli, munere suo fungentes diversi generis hominum, quantum licuit, prudentem rationem habuerunt, seu sese accommodarunt. Ad accommodationes, quibus usi sunt, referuntur:

1. *Moralis*, quae est positio actionis non praescriptae, vel omissio actionis licitae ob conscientiam aliorum [1]).

2. *Paedagogica*, quae est ea instituendi ratio, qua magister ad imbecillitatem discipulorum respicit, ita ut tum in doctrinis seligendis utatur apto ordine, quo faciliores praemittat difficilioribus, et prudenti reticentia, qua leviores errores ad tempus silentio praetermittat, aut indirecta tantum ratione refutet, tum in iis quoque tradendis eum modum sequatur, qui captui discipulorum prae caeteris congruit [2]).

3. *Aesthetica*, quae locum habet, quando quis verba auctoris noti ad suum sensum aut scopum, vel contra auctoris sententiam applicat, ut suae orationi major gratia et efficacia concilietur [3]).

4. Denique his accenseri potest, quod Christus et Apostoli *ex concessis* disputent, seu *argumentum ad hominem* (κατ' ἄνθρωπον) construant, ubi per se patet, ex tali argumento ad sententiam loquentis concludi non posse [4]).

Quamvis jam dictae accomodationis species negari nequeant, concedi tamen minime potest, Jesum et Apostolos sese accommodasse *dogmatice*, tractando scilicet opiniones quasdam qua

suas, licet eas erroneas haberent, ea nempe ratione ducti, ne auditores offenderent, aut ut hac submissione ad mensuram discentium alios ad suas doctrinas pertraherent. Ut hanc gravissimam causam ea, qua par est, diligentia tractemus, juvat primum firmis argumentis evincere, Jesu ejusque Apostolis accommodationem dogmaticam nullatenus attribui posse, dein ostendere, quando reliquis accommodationis speciebus locus concedendus sit.

[1]) *Accommodatio moralis* in s. Scriptura saepius commendatur, uti I. Cor. VIII, 13., ubi Apostolus dicit: *Si esca scandalisat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem scandalisem.* Exempla hujus accommodationis habes in Paulo, Timotheum circumcidente propter Judaeos Act. XVI, 3. et in eodem pari ratione ducto se quibusdam ritibus judaicis subjiciente Act. XXI, 20. sqq. Quin etiam hinc inde actio non illicita ex se, ob circumstantias praescribitur, quin ejusmodi praeceptum perpetuo duret, uti I. Cor. XI, 4. sqq. de capite ad orandum sive aperto sive tecto legimus. Ipse quoque Deus in A. T. ob pertinaciam Judaeorum plura tulit. Conf. Matth. XIX, 8.

[2]) Prudentia in erroribus minus noxiis ad tempus tolerandis, vel indirecta tantum ratione impugnandis, quae aliis *accommodatio negative dogmatica* vocatur, haud dubie ad accommodationem *paedagogicam* referenda est. Hac accommodatione usus Dominus ante resurrectionem cunctas doctrinas Apostolis non tradidit Joan. XVI, 12.; imo ante ascensionem suam quorumdam opinionem de regno genti hebraicae restituendo falsam aut certe imperfectam indirecta tantum ratione correxit Act. I, 6—8. Eandem instituendi rationem Paulus I. Cor. III, 1—2. Hebr. V, 12—14. profitetur, ubi distinguit inter lac, infirmis in fide dandum et cibum solidiorem. Quod autem rationem doctrinas tradendi attinet, dictionem Jesu et Apostolorum vulgarem et captui audientium et legentium adcommodatam esse, ex libris N. T. constat.

[3]) De hac s. Scripturae applicatione vide plura §. 5. et P. I. Sect. II. cap. III. §§. 194. 195.

[4]) Ejusmodi argumento a quibusdam interpretibus usus creditur Paulus I. Cor. XV, 29. scribens: *Alioquin quid facerent, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Conf. Aug. Calmet Comment. in N. T. libros. Aug. Vindel. et Graecii 1735. Tom. VIII. p. 150. Dissert. de baptismate pro mortuis ad I. Cor. XV, 29. Ex qua argumentatione Apostoli profecto non sequitur, eum approbasse baptismum pro mortuis, licet eodem utatur ad resurrectionem mortuorum lectoribus suis confirmandam.

§. 120. Accommodatio dogmatica rejicitur.

Quia recentiori aetate haud obscuri nominis viri extiterunt, qui accommodationem dogmaticam defenderent [1]), opportunum

existimamus, ut primum argumenta eorum refutemus, dein rationes pro nostra sententia proferamus.

Quae autem accommodationis dogmaticae patroni in rem suam proferunt argumenta, omni veritate carent. Primum praetendunt necessitatem hujus accommodationis. Scilicet auditores Jesu et Apostolorum adeo praejudiciis et falsis opinionibus occupatos fuisse ajunt, ut hi coacti fuerint, quosdam illorum errores qua suos tractare et approbare, ne verae doctrinae obstacula ponerent. Dein provocant ad quosdam Bibliorum locos, nominatim Pauli, ubi Apostolum hanc accommodationis speciem professum esse existimant.

Quod primum argumentum attinet, si accommodationis dogmaticae patronos quaerimus, quibusnam opinionibus erroneis Jesus ejusque legati sese accommodare debuerint, respondebunt, iis profecto, quae penitus discentium animis insederant, ad quas inprimis referunt, quae de divina Messiae dignitate, de peccato originali, de redemtione, de corporum resurrectione, de aeternis alterius vitae poenis, aliisve doctrinis rationi imperviis in N. T. leguntur. At si ita res se haberet, cur plures errores, qui Judaeis in deliciis erant, nihilominus refutandos putarunt? Sane Jesus ejusque legati, sicut regnum Messiae esse naturae humanae negarunt, negare etiam potuissent resurrectionem; sicut observantiam legalium Mosaicorum non amplius necessariam esse docuerunt, sic etiam docere potuissent, Jesum non esse nisi Dei legatum; sicut parietem intermedium inter Judaeos et Gentiles, ita opiniones quoque de peccato originali, judicio ultimo, poenisque aeternis aliisque doctrinis ingratis e medio tollere potuissent. Atqui haec omnia non tantum simpliciter profitentur, sed etiam in diversis circumstantiis, vel non provocati proferunt, explicant, confirmant, imo gravissime inculcant. Qui ita se gerunt, manifeste praeseferunt, se summo veritatis studio duci, et eos minime esse, qui ne aliis displiceant, se adigi patiantur, ut illorum doctrinas erroneas pro suis venditent.

Quod dein spectat ad locos biblicos, qui ab adversariis de accommodatione dogmatica allegantur, eam non evincunt, sed potius aperte non agunt, nisi de accommodatione morali vel paedagogica, quam utramque ipsi adstruimus [2]).

Argumenta autem, quibus ostenditur, Jesum ejusque legatos accommodationem dogmaticam non usurpasse, deducuntur:

1. E dictis et factis Christi, qui Apostolis aperte declaravit, nec persecutiones nec mortem ipsam timendam esse, quo minus suam doctrinam palam ac libere annuntiarent, et ipse potius discipulos quosdam abire passus est, quam ut mitigare voluerit doctrinam, qua offendebantur [3]).

2. E dictis et factis Apostolorum, utpote qui animum ab omni fraude alienum veritatisque studiosum quavis data occasione non solum diserte contestati sunt, sed etiam sua agendi ratione tam firmiter comprobarunt, ut nec minis nec verberibus potuerint impediri, quo minus publice praedicarent, quae vera cognoverant [4]).

3. E testimonio Dei, qui Jesu Apostolorumque doctrinam miraculis confirmavit, quae proin falsa esse, aut saltem falsa veris admixta continere non potest, cum errores divina auctoritate positive confirmari nullo modo queant.

4. E testimonio conscientiae moralis, lege naturali non minus quam positiva edoctae, quae mendacia et omnia media injusta ad finem quemcumque vel laudabilem damnat, adeoque etiam accommodationem dogmaticam positive manifestatam, quae non esset nisi mendacium, gravissime reprobat.

5. Demum e pessimis consectariis, quae inde prodirent. Admissa enim accommodatione dogmatica omnis ratio sublata esset, sensa Jesu propria ex effatis ipsius cognoscendi, cum quidquid displiceret, ope praetensae hujus accommodationis ad erroneas Judaeorum opiniones posset referri.

[1]) Prae caeteris auctor et patronus sententiae de accommodatione dogmatica in N. T. fuit J. G. Semler in *Apparatu ad liberalem N. T. interpretationem*, Halae 1767. et in opere: Abhandlung von freier Untersuchung des Kanons, Halle 1771. aliisque scriptis. Ipse et qui eum sequuti sunt, defendunt, Jesum et Apostolos, qui, ut comminiscuntur, noluissent docere nisi religionem naturalem,. sese prudenter accommodasse ad erroneas opiniones Judaeorum illius aetatis, quas proin interpres, si vera loquentium sensa eruere ac proponere velit, removere, eisque ope philosophiae veritates religionis naturalis substituere debeat.

[2]) Loci s. Scripturae praecipui, quibus admissae ab Apostolis accommodationes dogmaticae inesse existimantur, sunt I. Cor. II, 6., ubi Paulus inter perfectos sapientiam se loqui profitetur, et III, 1. sqq., ubi se non

Contra accommodatio, nec non argumentatio ex concessis adesse quidem non debet, salva tamen hagiographorum, imo ipsius Jesu et Apostolorum ingenuitate adesse potest,

a) Ubi de meris praeceptis disciplinaribus, ut dicunt, agitur, quae, si prudentia suadet, dantur, licet alia meliora censeantur [7]).

b) Ubi quis in causa probanda versatur, argumenta petere potest ex concessis aut κατ' ἄνθρωπον; quo vero in casu probe distingui debet inter sententiam probandam et probationis argumenta, quae sola possunt esse accommodationi obnoxia, non vero ipsa sententia, quae probatur [8]).

c) Praecipue id obtinet in refutando, ubi aliorum opinionibus aliquid concedimus, quin eas vel probemus vel improbemus [9]).

d) Nec minus ad illustrandas sententias nostras adhiberi possunt aliorum opiniones, quin ipsis suffragemur [10]).

e) Porro dictiones, quae ab auditoribus vario in sensu, etiam tenuiori accipiuntur, non semper necessario a Jesu ejusque Apostolis in sensu perfectiori, qui eis subest, spectatae credendae sunt [11]).

f) Denique accommodatio locum habere potest, ubi loquentis consilium manifestationem suae opinionis non exigit, ita ut propterea, quod ipse sentiat, reticere liceat [12]).

Caeterum cum hanc accommodationis praeceptionem ubique sequi difficillimum atque multis erroribus sit obnoxium, haud superfluum erit, pro dirigendo in exegesi interprete adhuc sequentia monere:

α. In regula quilibet e sua sententia loqui censendus est, adeoque nunquam non accurate probanda est exceptio, si ei locus dandus existimatur.

β. Rarissime autem pro usu accommodationis et argumentationis ex concessis certitudo haberi potest, cum rationes modo recensitae nonnisi ejus possibilitatem evincant, quapropter hac in re cautione opus est.

[1]) Prout e. g. Paulus I. Cor. XV. resurrectionem mortuorum variis argumentis evincit, ab objectionibus vindicat, et contrarias sententias refutat.

[2]) Ex hoc capite Jesus Joan. V, 21. sqq. de resurrectione mortuorum et judicio extremo loquens sua sensa proponere existimandus est. Conf. supra §. 91. 4. not. 5.

[3]) Veluti Joan. I, 1. 10. collatis versibus 15. 27. 30. ubi Evangelista Jesu praeexistentiam probat.

[4]) Ejusmodi est nexus doctrinae de Jesu divinitate cum toto complexu religionis christianae, in specie cum doctrina de redemtione ac satisfactione.

[5]) Huc spectat doctrina de Eucharistia Joan. VI, 48—61.

[6]) Exemplo sit doctrina de Jesu resurrectione a Petro Act. II, 24. sqq. III, 15. al. I. Petr. I, 21. et Paulo Act. XIII, 30. sqq. XVII, 31. cf. coram diversis auditoribus, Judaeis atque Gentilibus, proposita et demonstrata.

[7]) Huc spectat Act. XV. Concilii Hierosolymitani decretum de sanguine et suffocato, quod Apostolorum prudentiae urgendum videbatur, licet caeterum leges Mosaicas potius omnino abrogandas esse existimarent.

[8]) Quapropter, si loco I. Cor. XV, 29. supra §. 119. not. 4. laudato Apostolus, ut quidam volunt, ex baptismo vivorum pro mortuis resurrectionem mortuorum probavit, eum ratione doctrinae ad erroneas et superstitiosas lectorum opiniones non descendisse, per se patet; quod argumentum vero attinet, illis ita se accomodavit, ut eorum errore uteretur, adversarios propriis armis afflicturus.

[9]) Ejusmodi refutatio habetur Matth. XII, 27., ubi Jesus retundens Pharisaeorum calumnias dixit: *Si ego in Beelzebub ejicio daemones, filii vestri in quo ejiciunt?* Quibus verbis illos monuit, ne partium studio ducti ipsius agendi rationem cum obsessis severius, quam eam suorum discipulorum dijudicent; vix vero aliquis prudens putaverit sensum subesse, Judaeorum discipulos sine discrimine daemones ita ejecisse, sicut Dominus ipse eos expulit.

[10]) Sic plures interpretes suspicantur, ea, quae Joan. V, 4. dicta sunt de angelo aquas turbante, accommodata esse vulgari Hebraeorum opinioni ac loquendi rationi, qui angeli nomen Dei virtuti tribuere consueverant. Cui opinioni convenienter Evangelista hoc dicendi modo ad exornandam et illustrandam sententiam hanc: „invisibili Dei virtute aquis eam qualitatem communicatam fuisse, ut morbis omnibus mederetur," usus fuisset. Vide ad h. l. Jo. Maldonatum. Confer etiam Unterkircher, Hermeneut. §. 135. Al. Sandbichler, Besondere Einleitung in d. N. B. T. I. p. 183.

[11]) Tales sunt formulae: βασιλεία τῶν οὐρανῶν, τȣ̃ Θεȣ̃, τȣ̃ Χριστȣ̃, quas Jesus, licet eis penes Judaeos falsae et tenues notiones adcrevissent, in sua institutione retinuit, sensim eis puriores notiones substituens. Discipuli vero imperfectiores illas notiones ante adventum Spiritus sancti reapse tenuerunt, et penitus deserere non valuerunt. Act. I, 6.

[12]) Unde sunt, qui putent, Jesum Matth. XIX, 9. non proposuisse, quid ipse de non solvendo matrimonii vinculo sentiat, sed quid Judaei, qui legem Mosis solam rationem agendi habebant, judicent, cum de hac sola quaesitum fuisset v. 3. coll. v. 7. Conf. §. 91. not. 3.

II. DISPOSITIO ANIMI LOQUENTIS.

§. 122.

A. *LOQUENTIS CHARACTER.*

Quod animi dispositionem attinet, primum loquentis character considerandus est. Quemadmodum enim in cujusvis hominis ore certa lineamenta effinxit natura, ita etiam cujusvis animus tum indole tum institutione ita comparatus ac dispositus esse solet, ut propriam cogitandi ac sentiendi rationem praeseferat. Quare interpretem s. Scripturae scire oportet, quo ingenio praeditus, quibusque principiis imbutus sit, qui in Bibliis loquitur, quamque tum sentiendi tum agendi rationem sequatur, cum haec, si cognita fuerint, interpretem in loquentis mentem penetrare permittant, et haud parum luminis ad dicta ipsius rite intelligenda suppeditent.

Neque tantum generatim ad orationem biblicam interpretandam consideratio characteris loquentium inservit, sed etiam speciatim locutiones ambiguas dijudicare et definire juvat [1]). Aliud commodum hujus subsidii in eo positum est, quod a dictis, quae vehementiora, duriora vel audaciora videntur, notam impatientiae, acerbitatis et immodestiae removeat [2]).

Quae cum ita sint, maximi momenti est, ut interpres characteres eorum, qui aut ipsi sacros libros scripserunt, aut loquentes et agentes in his libris inducuntur, nosse studeat. Quem in finem consultum foret, si dispersas, quae characteres personarum biblicarum concernunt, notitias colligeret, indeque imagines earum characteristicas sibi depingeret. Non enim posset fieri, quin ejusmodi imagines ad illustrandas interpretationes egregie conferrent [3]). Haurienda vero est haec cognitio tum ex ipsis verbis loquentium attente consideratis et perpensis, tum ex historiis biblicis, nec non ex antiquissimis Ecclesiae christianae documentis, quibus de indole ac conditione personarum biblicarum plura referuntur [4]).

[1]) Inprimis, quae in N. T. de dictis et factis Jesu narrantur, generatim ita interpretari oportet, ut sublimi ipsius characteri respondeant. Quare damnanda est interpretatio, qua declaratur, daemoniacos, qui ibidem commemorantur, non fuisse revera a maligno spiritu agitatos, sed morbo naturali correptos, quia ingenuo Salvatoris animo, qui illos tanquam revera a daemone obsessos tractat, plane opposita est. Quod singulas locutiones attinet, quantopere ab animo loquentium pendeant, obvium exemplum ostendit. Sic formula מַה־לִּי וָלָךְ , מַה־לִּי וְלָכֶם , מָה־לָּנוּ וָלָךְ , τί

ἐμοὶ καὶ σοὶ, τί μοὶ καὶ ὑμῖν, τί ἡμῖν καὶ σοὶ, *quid mihi et tibi, quid mihi et vobis, quid nobis et tibi?* quae aliquoties leguntur in s. Scriptura, recusantis et detrectantis est. Nemo tamen credet, plane aequalem esse sensum hujus dictionis, dum ea alloquitur David ministros suos II. Sam. XVI, 10., a daemone correptus Christum Marc. V, 7., Christus matrem Joan. II, 4.; sed ejusdem vim consideratione animi singulorum loquentium rite aestimandam et definiendam esse, quivis facile videt.

[2]) Ex hoc capite Matth. XXVII, 46. in verbis Jesu ad patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* nihil impatientiae vel plane desperationis quaesieris. Nec minus vividiores nonnullorum Psalmorum, puta V. VII. IX. X. XXXV. LII. LVIII. LXIV. XCIV. CIX., expressiones contra adversarios ex miti Davidis animo mitigandae erunt Pari modo, si ad humilem et modestum Pauli animum respicitur, verba ipsius: *Imitatores mei estote* I. Cor. IV, 16. XI, 1. Philipp. III, 17. et: *Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* Gal. II, 19. 20. ab omni arrogantiae suspicione liberantur.

[3]) Sic e. g. characteres Abrahami, Mosis, Samuelis, Joannis, Petri et Pauli accuratius descripti, praeterquam, quod imagines illorum elegantissimas exhiberent, etiam singula eorum dicta et facta singulari luce perfunderent. Quin quasdam partes s. Scripturae, e. g. librum Job, intelligere omnino non poteris, nisi characteres personarum loquentium accuratius noveris.

[4]) Ita, cujus animi fuerit Davides, vel Joannes, vel Paulus, tum ipsorum verba in scriptis, quae reliquerunt, tum narrationes biblicae, eorum vitam attingentes, vel etiam uberius describentes testantur. Ad antiquissima documenta ecclesiastica, quae ad characteres biblicos cognoscendos inserviunt, inprimis referenda est Eusebii historia ecclesiastica, cui addimus Bollandistas, quorum Acta Sanctorum conservant monumenta historica disquisita, quae ad eundem finem faciunt.

Qua subsidia ad notitias characteristicas personarum biblicarum comparandas commendari merentur: J. M. Sailer, Pastoraltheologie T. I. p. 222 sqq. praecipue vero A. Herm. Niemeyer, Characteristik der Bibel. Halle 1830. V Tomi.

§. 123.

B. *LOQUENTIS AFFECTUS.*

Non leve porro subsidium sensum dictionis rite percipiendi capiet interpres, si noverit, num loquens affectu concitatus fuerit, nec ne. Etenim quia ea est natura hominis, ut affectu abreptus aliter sermonem componat, quam si liber ab affectu animo sedato loquitur, ita quidem, ut in primo casu rem ultra limites veritatis augere vel imminuere, ac proin minus adaequate proferre amet, in secundo vero verba sua rerum naturae accuratius accommodar

soleat, interpres parum accurate sensa loquentis assequetur, nisi prius cognoverit, quaenam loquenti fuerit animi conditio. Inde judicabit interpres, utrum solita verborum et dictionum vis mitiganda aut augenda, an retinenda sit. Sicut enim in affectu homines, praesertim orientales, ad vehementiam procliviores, omnes expressiones ad rigorem logicum non componunt, ita eas nec presse accipias, si earum sensum exacte percipere velis [1].

An vero, et quo affectu loquens impulsus fuerit, ni dissertis verbis dicitur [2], jam ex orationis conformatione, scilicet ex abrupto dicendi genere ac figuris, quae animum commotum indicare solent [3], jam ex rationibus psychologicis cognosces, quum ejusdem fere indolis homines ratione affectuum haud adeo inter se dissidere inveniantur [4]. Imo nonnumquam commotio loquentis potius sentitur, quam regulis discitur [5].

[1]) Ita, si Jobus, cujus patientia alibi (Tob. II, 12. Jac. V, 11.) celebratur' cap. III. in vehementiores querelas erumpit, diem nativitatis suae execratur, seque nunquam natum, aut mox ab utero mortuum fuisse exoptat, hoc affectui viri valde afflicti tribuendum, nec ad vivum resecandum est.

[2]) Joan. XI, 33. 35. 38. Mariam et Judaeos plorasse, Jesum spiritu infremuisse et lacrymatum esse, diserte legitur.

[3]) Ejusmodi est, dum Maria viso atque cognito Domino redivivo exclamat: 'Ραββουνὶ Joan. XX, 16. et Thomas: ὁ κύριος μυ, καὶ ὁ Θεός μυ ibid. 28.

[4]) Ex rationibus psychologicis Joan. XI, 44. sqq. facile intelliges, quos affectus Lazarus ad vitam revocatus in sororibus et consanguineis, in populo adstante, in discipulis, nec non in inimicis Domini excitaverit.

[5]) Uti e. g. I. Sam. II, 1—10. in cantico Annae, et Luc. I, 46—55. in cantico B. V. M.

§. 124. Emphasis.

Exposito interpretationis subsidio, quod cognitio affectus loquentis subministrat, opportunum existimamus, singulatim adhuc recensere quasdam figuras, quae in oratione hominis affectu concitati imprimis occurrere solent, licet interdum etiam in sermone animo sedato loquentis deprehendantur. Ante omnes commemoranda videtur emphasis, quae caeteris frequentioris est usus.

Emphasis secundum *Quintilianum* est virtus (orationis) altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Idem duas species distinguit, alteram, quae plus significat, quam dicit, alteram, quae etiam id, quod non dicit [1]. Nobis

prior solum veri nominis emphasis est, quam augmentum solitae verborum significationis a loquente intentum dicimus, quod tam in bono quam in malo sensu locum habet [2]), et verbis ex vehementia affectus vel ex magnitudine consilii accedit [3]). Unde intelligitur, emphasin nullibi adesse, ubi augmentum significationis ordinariae non apparet. Quae cum ita sint, interpretes antiquioris praecipue aetatis alucinati sunt, dum omnes fere Orientalium loquendi formulas et constructiones a nostris longius distantes emphases existimarent.

Locutiones emphasibus falso annumeratae sunt:

1. Expressiones, quarum significationes auctae constantes atque solitae sunt [4]).

2. Quae in sola etymologia reponuntur, quia primigenia verborum vis aut decursu temporis evanuit, aut augmentum ei adjunctum constans evasit. Excipiuntur tamen allusiones ad ordinariam vocis significationem, quibus revera augmentum accedit [5]).

3. Porro perperam emphases habentur formulae et constructiones, quae non sunt nisi Hebraismi, uti substantiva, quae supplent adjectiva, abstracta loco concretorum posita, numerus pluralis quarumdam vocum, quae in lingua hebraica carent singulari, infinitivi cum modo finito ejusdem vel affinis verbi, formae quoque verborum, quae dicuntur intensivae, et quae sunt alia hujus generis [6]).

4. Item minus recte a quibusdam ad emphases referuntur plures figurae rhetoricae, quarum quidem est, decus et suavitatem orationi addere, non vero significationis verborum vim augere [7]).

5. Denique commentitiae sunt emphases, quae praetenduntur, rerum, quarum esse non potest nisi magnitudo et sublimitas, minime autem emphasis, quae est verborum [8]).

Ex quibus facile intelligitur, numerum emphasium orationis biblicae esse multo minorem, ac nonnulli interpretes opinabantur, neque ejusmodi solitae significationis augmentum statuendum esse, nisi ubi locutio aperte inferior est notione, quam a loquente intentam esse, adminicula hermeneutica indicant.

[1]) Confer *Quintilianum* L. VIII. cap. 3., ubi etiam utriusque speciei exempla ex scriptoribus profanis affert.

[2]) Exemplo sit formula: *Dies Jehovae*, quae in bonam et malam partem emphatice ponitur, ita ut modo sit dies, quo Deus singulari modo opem

tulit, e. g. Psalm. CXVIII, 24., modo dies, quo singulares poenas inflixit, uti Jes. II, 12. XIII, 6. 9. Pari ratione „*Dies Jerusalem*" est dies urbi quam maxime fatalis. Psalm. CXXXVII, 7.

[3]) Inde sequentes locutiones haud dubie emphaticae sunt: I. Sam. XXVI, 15., ubi David Abnerum allocutus est: הֲלֹא אִישׁ אַתָּה *nonne vir es tu?* et I. Reg. II, 2., ubi David morti proximus ad Salomonem juvenem dixit: וְחָזַקְתָּ וְהָיִיתָ לְאִישׁ *maete igitur animo, et esto vir!* id est *fortis et strenuus;* non minus Joan. XIII, 6. verba Petri ad Jesum: *Domine, tu mihi lavas pedes?* et Luc. XXII, 48. verba Jesu ad Judam proditorem: *Juda osculo filium hominis tradis?* emphasin complectuntur.

[4]) Quam ob rem formula in N. T. saepius recurrens, uti Matth. XIX, 16. Joan. III, 15. 16. 36. Gal. VI, 8. al. ζωὴ αἰώνιος, cujus significatio aucta, qua non simpliciter *vitam aeternam*, sed *vitam aeternam beatam* indicat, constans ac ordinaria est, emphasibus non est annumeranda. Fuerunt quidem, qui emphases in constantes et temporarias dividerent; ast emphasis constans notioni hujus figurae repugnat.

[5]) Ex hoc capite verbo ἐρευνᾷν, cujus significatio primitiva est: *metalla ex visceribus terrae eruere*, emphasis non est attribuenda, quia usu loquendi non notat, nisi inquirere, scrutari. Conf. Joan. V. 39. VII, 52. I. Petr. I, 11. Ast locutio: *Ego sum Jehova*, Exod. III, 14. coll. Apoc. I, 4—8. emphatica est, quia complectitur allusionem ad vocis notionem, quae eum, qui revera est, qui semper propria virtute idem perseverat, nec non fidelis promissionum suarum custos est, denotat.

[6]) Inde sequentes formulae et constructiones hebraissantes sunt, non vere emphaticae: *Rex justitiae*, quod non significat, nisi *rex justus; vir mortis*, quod est: *vir mortem meritus;* Christus *pro nobis maledictio* (Gal. III, 13.), quod est: *pro nobis maledictus;* porro pluralis שָׁמַיִם οὐρανοὶ non plus significat, quam nomen singulare *coelum;* denique infinitivi cum modo finito ejusdem verbi vel affirmationem, vel morem aut modum, quo aliquid fit, non vero emphasin indicant. Ejusmodi Hebraismi sunt: מָלֹךְ תִּמְלוֹךְ *regnando regnabis*, נֵלְכָה הָלוֹךְ, *ibimus*, *sicut ire solent.* Conf. Jahn, Grammat. linguae hebr. edit. III. §. 112. p. 384—386.

[7]) Figurae rhetoricae, quas nonnulli ad emphases referebant, sunt: *Antithesis*, *Paronomasia*, *Litotes*, aliaeque similes, quibus extraordinarium significationis augmentum verbis non accedere, considerata earum notione facile perspicitur.

[8]) Quapropter effata, cujusmodi sunt: *Dixit Deus: Fiat lux et facta est lux* Genes. I, 3. et: *Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* Psalm. CXLVIII, 5. res magnas quidem et sublimes enuntiant, at emphatica non sunt, quia augmentum ordinariae verborum significationis non complectuntur.

§. 125. Aliae orationis figurae, quae passim affectui originem debent.

Praeter emphases, de quibus diximus, aliae figurae, passim ex affectu oriundae, sequentes sunt:

1. *Reticentia, interruptio* (ἀποσιώπησις), qua sententia, vel membrum ejus facile supplendum ob vehementiorem animi motum omittitur. Quae figura in scriptoribus profanis frequentata etiam in Bibliis habetur [1]).

2. *Constructio praegnans*, quae passim insignem indicat vehementiam orationis, figura est, qua verbum enuntiationis ita omittitur, ut partes, quae ad hocce verbum spectant, cum altero verbo in sententia obvio conjungantur. Ex constructione omissum plerumque facile suspicari licet [2]).

3. *Hyperbola (superlatio)* est modus locutionis, qui locum habet, quando id, quod dicitur, longe est amplius, quam quod eo dicto significatur. Inde facile patet, hyperbolam emphasi oppositam esse. In hac enim secundum usum loquendi vulgarem expressio inferior est notione a loquente spectata, ita ut augmento ordinariae significationis opus sit ad sensum plane percipiendum; contra in illa loquens verbis utitur, quae ex usu loquendi communi plus valent, quam ipse vere significare intendit. Quodsi quis vel errore deceptus, vel studio alios decipiendi ductus rem, de qua loquitur, justo grandiorem proponit, non figura rhetorica utitur, sed errorem vel mandacium eloquitur. In hyperbola interpretis esse, eam considerata rei natura ad justos limites restringere, per se patet [3]).

[1]) In figura *reticentiae* loquens ira, angore, dolore, verecundia vel sollicitudine aliove simili affectu commotus sermonem abscindit. Cujus rei Quintilianus L. IX, c. 2. ex authoribus profanis exempla profert. Exemplum irae est illud Virgilii Aen. I, 139. *Quos ego — sed motos praestat componere fluctus.* In Bibliis exemplum suppressae vocis legitur Genes. XLIV, 5. הֲלוֹא זֶה אֲשֶׁר יִשְׁתֶּה אֲדֹנִי בּוֹ *Nonne illud, ex quo bibit Dominus meus?* intellige: *furati estis?* Luc. XXII, 42. Πάτερ, ἐι βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ᾽ ἐμȣ̃ πλὴν μὴ τὸ θέλημά μȣ̃, ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω, ubi in priori propositione apodosis omissa est. Conf. Luc. XIX, 42. In formula jurisjurandi plerumque ex reverentia imprecatio reticetur, uti Genes. XXIV, 38. אִם־לֹא אֶל־בֵּית־אָבִי תֵּלֵךְ *Si non iveris ad domum patris mei (puniat te Deus*, vel simile quid). Conf. Jes. XIV, 24. LXII, 8. Hebr. III, 11.

[2]) Exempla sententiarum praegnantium sunt: Psalm. LXXIV, 7. לָאָרֶץ חִלְּלוּ מִשְׁכַּן־שְׁמֶךָ *ad terram profanarunt habitaculum nominis tui*, i. e. diruerunt usque ad terram et ita profanarunt habitaculum nominis tui. Psalm. CXVIII, 5. עָנָנִי בַמֶּרְחָב *exaudivit me in locum latum*, i. e. exaudivit me, et ex angustia in locum latum deduxit me. Hos. IV, 12. וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם

et scortati sunt a Deo suo, scortantes recesserunt a Deo suo. II. Tim. IV, 18. καὶ σώσει ἰς τὴν βασιλειὰν αὐτῦ τὴν ἐπυράνιον *et salvum* (h. e. ereptum omnibus periculis et calamitatibus hujus vitae) *perducet in regnum suum coeleste.*

[2]) Hyperbola occurrit Levit. XXVI, 36. *Terrebit eos sonitus folii volantis, et fugient, quasi gladium.* Errore vero, vel potius mala fide ducti rem ultra terminos veritatis exaggerarunt exploratores missi a Mose in Palaestinam Num. XIII, 33. 34.

§. 126. Pronuntiandi ratio.

Cum tanta sit animum hominis inter et corpus connexio, ut interna loquentis dispositio suapte indole in pronuntiationis tono et gestu se exserat, ubi hi cogniti fuerint, ad effata biblica intelligenda magnum habent usum. Inde frequenter dijudicare licet, utrum dicta cum affectu an sine affectu, num serio an ironice, graviter an jocose, asperius an mitius prolata, et proinde quomodo accipienda sint. Quia vero hujus pronuntiandi rationis diserta indicia in s. Scriptura rarissime adsunt [1]), eam ut plurimum ex momentis psychologicis tantum et certis circumstantiis in oratione contexta vel in locis parallelis obviis conjicere licet [2]).

Sicut vero pronuntiandi et gesticulandi ratio rite cognita ad dictorum sensum eruendum egregie confert, sic temere et pro commodo solum accepta in errores deducit. Quapropter maxima in assumendo pronuntiationis modo cautio observanda est [3]).

[1]) Act. VII, 54—59. Indicia pronuntiationis et gestus Stephani loquentis ejusque adversariorum sat clara inveniuntur. Conf. Matth. XII, 49. XXVI, 65. Luc. V, 8.

[2]) Inde recte statuunt, Joan. II, 4. coll. v. 5—11. Luc. II, 51. 52. Joan. XIX, 26. 27. Jesum verba ad matrem: *Quid mihi et tibi est mulier?* suavi sono pronuntiasse, qua pronuntiandi ratione assumta nulla inurbanitatis species aderat. Nec improbabile est, Dominum, cum diceret Joan. II, 19. *Solvite templum hoc*, digito monstrasse corpus suum, quo gestu obscuritas circa sensum dictorum haud parum discussa fuisset.

[3]) Hinc caveas assumere, Jes. VII, 14. Prophetam ad verba: *Ecce virgo concipiet*, praesentem aliquam puellam digito monstrasse, et Salvatorem Matth. XVI, 18. ad verba: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, manu tetigisse corpus suum, cum in utroque loco hujusmodi gestus assumendi nulla prorsus ratio habeatur.

ARTICULUS III.

DE LOQUENTIS CONSILIO.

§. 127. Consilii loquentis notio et gravitas.

Quivis prudens ad alios verba faciens oratione sua quidpiam assequi intendit. Haecce animi intentio, qua loquens certum effectum oratione obtinendum spectat, ratione ipsius *consilium* loquentis nominatur, ratione vere effectus sermone assequendi *finis* vel *scopus* dicitur. Oratio itaque est medium, quo loquens effectum suae intentioni correspondentem producere cupit. Quodsi consilium relate ad orationis argumentum consideratur, est *notio generalis*, quam singulae notiones vel sententiae junctim sumtae repraesentant, et ad quam proin singula dicta collineare debent. Unde facile intelligitur, quanti momenti sit, ut interpres loquentis consilium bene perspectum habeat [1]).

Potest vero consilium in diverso ambitu sumi, qua consilium scilicet partium minorum vel majorum, integri libri, quidni etiam plurium librorum, quum generalis notio, quam ceu partes repraesentant, e singulorum librorum argumento abstrahitur, aut aliunde cognoscitur. Consilium vero, quod pluribus libris simul propositum est, *generale* audit; quod uni prae altero, vel etiam singulis libri partibus proprium est, *speciale* dicitur [2]). Cum speciale ejusmodi consilium in sensum orationis propinquiorem vim habeat, interpres praesertim illud bene noscat oportet, eoque perfectius suo officio satisfecisse censendus est, quo accuratius illud perscrutatus fuerit, et ad singula orationis dicta interpretanda adhibuerit.

Nequaquam vero orationi, inprimis fusiori unum semper debet subesse consilium, potius orationis auctor sermone suo plura intendere potest, quae tamen plerumque ad unum aliquod ipsius consilium generale referri possunt [3]).

Firma autem haec duo manent: *Consilia sibi adversantia nulli loquenti esse proposita*, et: *sanae mentis hominem sine consilio, ad quod singula dirigat, verba non facere.*

[1]) Praeclare Herm. Hardt in Element. exeges. univers. C. VI, p. 48. monuit: „Auctoris scopum nosse, est maximam libri partem intelligere. Est enim scopus anima totius libri. Cognito scopo (non tantum libri integri, sed et singularum partium) singula vel minutissima rationem

habent, cur sint a scriptore posita atque adhibita vel rerum vel verborum momenta. Ignorato scopo omnia obscura, vel planissima alias atque apertissima. Vera enim lux verborum est meta, ad quam collimavit auctor. Sicut enim omnis actio ex certo animi proficiscitur consilio (atque eatenus dijudicanda est), ita et scriptio aestimanda est ex hoc suo principio."

[2]) Sic generale omnium quatuor Evangelistarum consilium fuit, dicta, facta et fata Jesu narrare, speciale vero Matthaei consilium in eo erat, ut Jesum demonstraret Messiam in A. T. praenuntiatum.

[3]) Quapropter nihil impedit, quominus opinioni quorumdam antiquorum suffragemur, Joannem scribentem Evangelium omnino etiam Cerinthi errores pullulantiaque Zabiorum et Doketarum placita prae oculis habuisse, et quo minus grassarentur latius, praecavere saltem indirecte voluisse, quamvis, ut ipse declarat, proxime demonstrare voluit, Jesum esse Messiam, Dei filium et felicitatis auctorem, Joan. XX, 31.

§. 128. Divisio articuli.

Ut jam generalis, quam consilium ratione habita ad orationis argumentum praesefert, notio perfecte cognita dici queat, non sufficit tantum scire, quaenam sit illa notio, sed praeterea requiritur, ut in omnibus, ex quibus fors constat partibus cognita habeatur; sicut aedificium accurate cognitum solummodo tum erit, quum non tantum qua domus cognoscitur, sed praeterea singulae ejus partes ita perspectae sunt, ut notio exacta domus individuae ab omnibus aliis aedificiis distinctae teneatur. Quare

I. *generalis haec notio quaerenda*, et

II. *ad singulas partes considerandas adhibenda erit.*

Facile vero patet, quantopere interpreti ad cognitum loquentis consilium attendendum sit, cum pro diversitate, qua consideratur, sit tum finis interpretationis, ad quem tendat, tum simul insigne subsidium, quo ad singula exploranda uti convenit.

I. DE CONSILIO COGNOSCENDO.

§. 129. Subsidiorum consilii cognoscendi recensio et applicatio.

Agentes de consilio orationis cognoscendo non tantum adminicula huic inservientia recensemus, sed applicationem quoque eorundem ob rei gravitatem ostendendam esse putamus. Cum vero subsidia ad consilium quodcumque cognoscendum fere non varient ratione consilii plus minusve extensi, quae hoc loco tradimus, de consiliis diverso ambitu sumtis valent.

Sunt autem subsidia consilii cognoscendi, quae hoc loco speciatim recensenda existimamus, praeter disertam declarationem fide dignam sive ab auctore sive ab aliis datam, partim extra orationem, partim in oratione posita indicia, quibus, quid loquens intendat, innotescit. Applicamus vero haecce subsidia tantum ad consilium integrae scripturae, dein antiqui, demum novi foederis cognoscendum, ne fusiori applicatione limites nimium excedamus.

Quamvis de pluribus hoc loco tractandis subsidiis jam alibi sermo fuit, ob frequentem tamen eorum usum pro consilio inveniendo ea hic non retractare eo minus placuit, quia alibi alio respectu considerabantur. Praecipue proximum consilium ex plurimis, quae hucusque recensuimus, subsidiis plus minusve perspicue cognoscitur.

§. 130. Declaratio fide digna.

Procul dubio auctor libri, et illi, quibus auctor ingenue id patefecit, loquentis consilium non ignorarunt, ita ut nec nobis res esse dubia poterit, quam primum vel auctoris vel aliorum fide digna declaratio profertur [1]).

Induit vero haec declaratio indolem testimonii. Quare, ut dotes testimonii, de quo agimus, imprimis necessarias respiciamus, debet esse:

1. *Certa*, qualem in pluribus Psalmorum titulis et nonnullis Patrum effatis de s. Scripturae consilio frustra quaesieris, quando scilicet sententias suas non tam ex fide digna traditione hauserunt, quam potius ex argumento, quod verius conjecturam, quam testimonium dixeris [2]).

2. Porro se extendat *ad omnes*, quarum esse aliquod consilium existimatur, partes [3]).

3. Denique sit *clara* [4]).

4. Exhibeat *sincerum testimonium*, quod in hagiographis utique semper obtinet, in aliis tamen, qui finem orationis proponunt, promiscue supponi non debet [5]).

[1]) Scriptores sacri sicut profani nonnumquam ipsi in libris suis consilium, quod in scribendo sequi statuerant, et quidem modo ab initio, ut Luc. I, 1—4., modo in fine, ut Joan. XX, 31. I. Petr. V, 12., modo per decursum, ut Rom. III, 28. indicant.

[2]) Huc spectant, quae Irenaeus, Adv. Haeres. lib. I. 26. lib. III. 11., tribuens Joannis Evangelio finem polemicum, nempe directam Cerinthi et Nicolaitarum refutationem, protulit, nonnisi conjecturis accensenda.

[3]) Hinc Rom. III, 28. declaratio Apostoli *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis* consilium magnae quidem epistolae partis pandit, minime autem valeret, si ad integram epistolam referretur.

[4]) Haec dos Prov. I, 1—6. deesse videtur.

[5]) Conf. Matth. XXII, 15. 16. Joan. IX, 20. sqq.

§. 131. Alia indicia externa.

Hoc loco primum commemoramus *occasionem* dicendi. Quo nomine cum intelligantur (ut dictum est §. 91) motiva externa, quibus homo induci solet, ut consilium dicendi, et quidem hoc vel illud dicendi capiat, rei natura docet, ex occasione rite cognita ad consilium orationis facile concludi posse [1]).

Dein huc spectant alia *adjuncta externa*, quae, cum in orationem vim habeant (§. 92), dicendi consilium tunc produnt, quando unum quoddam consilium ipsis congruit, caetera vero omnia repugnant. Contra autem hoc subsidium etiam manifestat, perperam consilium aliquod assumi, quam primum circumstantiis, in quibus oratio fiebat, non quadrat [2]).

Quo subsidio ut justa utamur ratione, cavendum imprimis est, ne circumstantiae assumantur, quae historice probari nequeunt, et ne ex certis quibusdam adjunctis praesumatur consilium, quod praesumendum non est. In quibus etiam celebriores interpretes hinc inde alucinati sunt [3]).

[1]) Sic, si perfecte cognitas haberemus relationes, quae Paulo de fidelibus Corinthiacis per domesticos Chloes allatae fuerant I. Cor. I, 11., et ea, quae aliunde compererat, insuper quaestiones, quas Ecclesia Corinthiaca per literas proposuerat VII, 1. XVI, 15—18., occasionem epistolae primae ad Corinthios sciremus, et cum hac singularum partium consilia perfecte intelligeremus. Inde etiam quivis sibi facile persuadebit, Jesum Matth. VI, 9. non voluisse symbolum fidei tradere, qui coll. Luc. XI, 1. sqq. intellexerit, Jesum per preces cujusdam discipuli, ut ipsum edoceat formulam precandi, ad istam orationem inductum fuisse.

[2]) Hoc pacto Psalmi LI. consilium sensa doloris ac poenitentiae exprimendi ex adjunctis Davidis, post adulterium cum Bethsabee et dolosum homicidium Uriae militumque, qui cum ipso occubuerant, a Propheta Nathan correpti, quibus mire consentit, ultro cognoscitur.

[3]) Exemplum hujus rei nominare juvat Cl. Hug, quem cum aliis in statuendo consilio epistolae Jacobi alucinatum existimamus, dum eam epistolis Pauli, quae erroneas de fide opiniones in ejus aevi Christianis progenuisse viderentur, oppositam censet.

§. 132. Indicia interna.

Ad interna consilii indicia pertinent:

a) Contextus, de quo hoc loco, licet nexum logicum remotiorem pro consilio explorando aptum jam supra (§. 82) designavimus, non dicere eo minus possumus, quo rarius in oratione continua ab uno consilio ad aliud transitur. Quo fit, ut consilium in praecedentibus aut subsequentibus indicatum merito etiam pro iis assumatur, quae cohaerent, et saltem consilium nexui repugnans certe repudiandum sit. Atque hujus subsidii usus frequentissimus est [1]).

b) Materia substrata, seu argumentum sermonis, de cujus consilio agitur, in hanc rem egregie inservit, utpote quod ad consilium quadrare debet, quia alias ex ipso prodire non potuisset. Praestat vero materia, quae consilio idem est, quod aedibus ligna sunt et lapides, interpreti duplex circa consilium emolumentum. Et quidem

1. directe indicat consilium, quando scilicet ad generalem aliquam notionem unice apta sunt, quae singillatim dicuntur. Etenim, quia scriptores orientales, inprimis hagiographi A. F., scopum a se intentum non solent praenuntiare, nec claris verbis in orationis initio, decursu aut fine exponere, subsidium, de quo agimus, saepenumero interpreti valde exoptatum est, cujus ope e libris vel etiam e singulis libri partibus consilium eruat [2]).

2. Dein materia substrata interpreti lapis lydius est, cujus ope examinet, num consilium, qualecumque demum praetenditur, revera subsit orationi. Quamprimum enim quaedam ad scopum, qui supponitur, inepta inveniuntur, minus recte scopus iste assumitur, quia nemo prudens, adeoque nec hagiographus media ad finem non facientia adhibet [3]).

Substratâ materiâ vero certe cognitâ, qua singula orationis continuae dicta ceu partes notionis vel sententiae aut inhaerentes aut consequentes aut integrantes se habent, etiam immediate sensum cognosci posse, quatenus ambigua et vaga certis ac definitis illustrantur atque definiuntur, ex iis patet, quae supra §§. 79—82. de nexu logico diximus. Imo valet regula: I n t e r p r e t a t i o, q u a e s o l a, a u t s a l t e m m a g i s, q u a m o m n e s a l i a e c u m m a t e r i a s u b s t r a t a c o n v e n i t, v e r a h a b e a t u r, c o n t r a q u a e m a t e r i a e s u b s t r a t a e r e p u g n a t, a u t s a l t e m m i n u s c o n v e n i t, r e j i c i a t u r.

c) Nec *forma libri* negligenda est, cum exempli gratia stylus poëticus intentionem mere narrandi excludat, consilio autem delectandi aut saltem motus vehementiores excitandi conveniat [4]). Et profecto num docere, demonstrare, an movere velit auctor, ipsa ratio materiam proponendi satis aperte manifestat.

d) Denique *reflexiones ejusdem tenoris* exoptatam lucem ad consilium orationis cognoscendum accendunt, dummodo toties repetantur, ut supponere oporteat, notionem, quam hae reflexiones exprimunt, menti auctoris in toto libro componendo, aut saltem in ea parte, ad quam consilium aliquod extenditur, fuisse obversatam [5]). Quo subsidio majori adhuc certitudine utimur in libris, in quibus reflexionibus saepius recurrentibus ejusdem sensus ipsa auctorum declaratio accedit [6]). Cavendum tamen est, ne quaecumque in libro aliquo s. Scripturae saepius recurrunt, ejusmodi reflexiones esse existimentur, ex quibus ad consilium integri libri concludi possit. Ut hanc vim habeant reflexiones, eas per librum sparsas, et pro natura sua ad consilium aliquod comprobandum aptas esse oportet [7]).

[1]) Sic parabolis Luc. XV, 4. sqq. utpote in nexu cum occasione v. 2. indicata existentibus recte tribuitur consilium docendi, eo animo conversari Salvatorem cum peccatoribus, ut ad justitiam reducantur. Parabolae Luc. XVI, 19—31. pars prior de vanitate divitiarum, posterior de inani conamine, Judaeos, inprimis Pharisaeos, ad agnitionem veritatis perducendi agere existimenda est, cum in praecedentibus (v. v. 13. 14.) de utraque re loquutus sit Jesus. Comparationes Luc. 5, 36. sqq. relatae cohaerent cum responsione ad quaestionem v. 33. propositam, unde non edicunt, nisi generalem sententiam: Nemo facere solet, quae sunt aliena a loco et tempore. Cujus generis in s. Scriptura plurima tibi occurrent.

[2]) Exemplo sit *liber Jobi*, cujus consilium nullibi diserte proponitur; ast ex materia substrata clare intelligitur, auctorem voluisse docere, causas, ex quibus probi non raro etiam usque ad mortem adversis conflictentur et improbi usque ad vitae finem rebus prosperis utantur, esse ita occultas, ut nemo eas perscrutando penitus cognoscere possit, adeoque res adversas non esse argumentum improbitatis, nec res secundas argumentum probitatis. Eadem ratione cognoscitur, orationis sic dictae montanae Matth. V—VII. scopum fuisse, principia religionis practicae Salvatoris proponere, in quantum a doctrina doctorum Judaicorum illius aevi discrepabat. In statuendo consilio plurium Psalmorum non restat, nisi ut ad hocce subsidium recurratur.

[3]) Unde Matth. V, 1. sqq. nequaquam institutio solorum Apostolorum legitur, cui plura non quadrant, alia vero, uti Matth. X. proposita, aptiora essent. Ita quoque Act. II. minime mera extasis Apostolorum, aut tantum preces

in lingua non sancta prolatae intelligi possunt, quia enarratio gentium diversissimarum, quae suis ipsarum linguis audiebant loquentes Apostolos, ad hunc finem perquam inepta esset. Eadem ratione statuendum est, etiam Luc. X, 2—16. non sola praecepta discipulis ad praedicandum Evangelium missis servanda contineri, sed alia quoque, quae tunc eos ad opus suum acriter suscipiendum aliosque ad benigne excipiendos discipulos promtos facerent, proposita esse.

[4]) Unde librum Jobi mere historicum dicere non licet, quamvis veram historiam pro fundamento habere recte statuatur.

[5]) Sic Matthaeus, qui frequenter dicta, facta et fata Jesu cum vaticiniis A. T. comparat, satis manifesto prodit mentem demonstrandi, Jesum revera eum esse, quem vates A. T. futurum Messiam praedixerant. Conf. Matth. I, 1. 22. 23. II, 5. 15. 17. 18. 23. III, 3. IV, 14—16. VIII, 17. XII, 17—21. XIII, 35. XXI, 4. 5. XXVII, 9. sqq. 35.

[6]) Ejusmodi liber est Evangelium Joannis, in quo cum observationibus II 11. 22. 24. 25. VI, 6. 64. sqq. XII, 16. 37—43. XVIII, 9. 32. XIX, 36. et aliis diserta consilii declaratio XX, 31. „*Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*" accurate conspirat. Pari modo consilium *Judae*, monendi lectores, ut sibi caveant a pravis, qui apud eos prodiissent, doctoribus morumque corruptoribus, quos poena maneat divina, quod per decursum epistolae auctori continuo ob oculos versari conspicitur, ab initio v. 3—4. expresse declaratur.

[7]) Hinc Lucae in *Actis Apostolorum* perperam consilium tribuunt, Paulum, quem nonnulli legis Mosaicae contemtorem esse dicebant, contra criminationes Judaeorum defendendi, quum saepius legatur, Apostolum praedicasse primum Judaeis, et dein transiisse ad Gentiles. Quamquam enim reflexiones hujus tenoris multis in locis liceat observare, tamen non tantum a magna, sed etiam a majori hujus libri parte absunt.

§. 133. Consilium totius s. Scripturae.

Jam praemissa subsidia aliqua ratione applicare ad cognitionem consilii tum omnis s. Scripturae in genere, tum antiqui et novi Foederis in specie oportet, cum haec cognitio regulas sat graves ac utiles ad studium s. librorum subministret.

Ad consilium integrae s. Scripturae cognoscendum e subsidiis recensitis non faciunt, nisi declaratio fide digna et materia substrata.

Declaratio quidem authentica, omni numero absoluta, vix prostabit de ejus consilio. Attamen, quae Rom. XIII, 10. *Plenitudo legis est dilectio* et I. Tim. I, 5. *Finis praecepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* leguntur, haud obscure innuere videntur, ultimo demum legem ejusque praecepta

omnia reliquumque s. Scripturae argumentum eo tendere, ut praeceptum Jesu Matth. XXII, 37. sqq. de diligendo Deo et proximo observetur, et religione practica, in hoc ipso praecepto quasi in nuce contenta, exerceatur.

Ex argumento autem s. Scripturae certo certius colligendum esse videtur, hagiographorum et ipsius eos inspirantis Dei in exaranda s. Scriptura consilium consistere in introducenda et conservanda religione vera, qua asseclae ejusdem beentur. Non enim invenitur s. Scripturae liber, qui ad hunc finem non tendat, omnibusque ipsius partibus aut *ex professo*, ut dicunt, e. gr. per Mosem, Prophetas, libros didacticos A. F. ac omnia paene N. F. scripta docemur, quid fide et vita ex Dei voluntate sit tenendum, aut *historia et exemplis* ad eandem rem impellimur. Et revera quod a Deo Optimo Maximo, qui in exaranda s. Scriptura ope revelationis et inspirationis intercessit, exspectes consilium aliud, quam ut perducantur homines ad finem suum ultimum, virtutem scilicet veram, quae felicitatem comitem atque sequelam habeat?

§. 134. Consilium A. Foederis.

Ex iisdem fontibus petendum est consilium A. F. Et quamvis locus Rom X, 4. *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* coll. Hebr. VII, 18. 19. XII, 2. minus recte de consilio A. F. intelligi videatur, Gal. III, 24. tamen haec Scripturae pars aperte qua paedagogus consideratur, quo erudiendi homines ad meliorem religionem, et hac quoque introducta II. Tim. III, 16. 17. adhuc *utilis* declaratur *ad docendum, arguendum, corripiendum* (emendandum) *et erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum* (officia quaecumque praestanda) *instructus*. E quibus et aliis ejusdem generis locis saltem id certo infertur, antiquum Foedus scriptum esse, ut religio perfectior Christi praepararetur, quin hac introducta desinat utilis esse, peculiariter religionis doctori *).

Quodsi iterum ad A. F. argumentum attendimus, id ipsum, paulo tamen accuratius, patebit, scopum ejus nempe fuisse, veram religionem introducere et conservare, primum in una familia, dein in populo integro, in quem illa excrevit, ope theocratiae, illius temporis culturae et circumstantiis prorsus accomodatae, ita

tamen, ut perfectior religio a Messia verae felicitatis auctore sit exspectanda.

*) Confer Matth. V, 17—19.

§. 135. Consilium N. F. negativum.

Maximi momenti quaestio versatur in constituendo consilio librorum novi Foederis, quod tum negativum tum positivum consideramus. Verum omne aliud consilium N. F. esse excludendum, quam quod ad religionem spectat, jam (§. 133.) annotatum, et veritas hujus rei aliunde ad liquidum explorata est.

Gravior quaestio in eo est, num N. F. omne, quod credendum et agendum a nobis petit Deus, contineat, id quod Protestantes affirmant, nos autem ex sequentibus rationibus negamus:

1. Nec ipsius s. Scripturae nec aliorum authentica exstat declaratio, omne doctrinae christianae corpus in libris N. F. esse contentum; potius inde a primis Ecclesiae nostrae temporibus tum *s. Scriptura* tum *traditio* qua fontes designabantur, e quibus summam doctrinae nostrae haurire oporteat [1]).

2. Ipsae originis s. Scripturae N. F. circumstantiae Protestantium opinioni repugnant. Omnes enim N. F. libri, ut Introductio specialis N. F. docet, oblata singulari occasione exarabantur absque consilio doctrinam Jesu integram eis committendi, et lectoribus communicabantur, quibus praecipuae religionis christianae veritates praevie jam ex orali institutione innotuerant [2]).

3. Forma porro librorum N. F. systemati aut corpori doctrinae non convenit. Nam quantum ab his libris distant opera, quae integram dogmaticam aut moralem disciplinam exponunt? Stylus ad rigorem scholae prorsus non compositus, accomodationes [3]), repetitiones et alia ejusmodi, quod illi jactant, consilio adversantur, nec ad illorum sententiam lectores adducere facile possunt.

4. Inprimis vero materia nostrae suffragatur sententiae. Nam plura, eaque sat gravia doctrinae capita vix tanguntur [4]), alia obiter tantum et ita tractantur, ut diversa ratione capi possint, et revera diversissima capiantur, alia sexcenties inculcantur. De gravissimis vero doctrinae capitibus frustra quaeres accuratas definitiones [5]).

5. Ipsi auctores librorum N. F. saltem primis fidelibus alium passim doctrinae fontem designant [6]), aut iis scribentes supponunt, quam s. Scripturam [7]).

6. Denique stare sententia nequit de integro doctrinae corpore, quod N. F. libri complectantur, si ad sequentia quoque respicias:

a) Veritates doctrinae christianae omnibus hominibus perviae sint oportet [8]). Jam autem major hominum rudium pars ne sui quidem idiomatis scripta legere novit, quos tamen Dominus omnes, non minus quam literatos ac philosophos ad suam religionem et salutem vocavit.

b) Ipsum N. F. firmitatem in fide urget [9]), quae tamen sine alio fonte obtineri non potest. Etenim vel doctissimi s. Scripturae interpretes non modo in rebus minoris, sed in doctrinis quoque gravissimi momenti, si solam sacram Scripturam consulunt, dubii haerent et fluctuantur, quod ab ipsius consilio prorsus alienum est.

c) Praeprimis vero unitas Ecclesiae et doctrinae nullo non loco inculcatur [10]), quae vero assumto unico s. Scripturae N. F. fonte constitui minime potest, cum experientia teste s. Scriptura potius pomum sit discordiae. Quare fatendum est, N. F. libros minime eo fine confectos esse, ut totum doctrinae christianae corpus complectantur, et quivis fidelium omnia religionis dogmata atque praecepta unice ex hoc fonte hauriat.

[1]) Conf. *Concil. Trident.* Sess. IV. Decretum de canonicis Scripturis. Plura hac de re vide Sect. II. Cap. II.

[2]) Sic Matthaeus, ut referunt antiqui, cum antea Evangelium in Palaestina praedicasset, iturus ad alias gentes illud sermone hebraeo conscriptum, Judaeis conversis reliquit, ut hac Scriptura suam absentiam compensaret. Conf. Eusebii Hist. eccles. Lib. III. c. 24. Hieronymi Comment. in Matth. praef. Alia Evangelia aliis occasionibus originem debent. Epistolas Apostolorum in acceptis referimus variis indigentiis et votis Ecclesiarum aut etiam singularum personarum, quibus satisfaciunt.

[3]) Adsunt accommodationes morales, paedagogicae ac aestheticae, ut nemo negat. §§. 119. 121.

[4]) E. g. doctrina de quibusdam Sacramentis, de eorum elementis, ministro etc.

[5]) Ita doctrinae de Eucharistia, de remissione peccatorum ac justificatione aliaeque saepius quidem recurrunt, imo quodammodo explicantur, non tamen ita definiuntur, ut de vero eorum sensu litibus et dubiis locus non sit. Contra *lotio pedum* Joan. XIII, 4—16. ita describitur, ut pro

Sacramento haberi vix non possit, si omnem doctrinam e sola N. F. Scriptura haurire oporteat.

[6]) Paulus II. Tim. II, 2. haec habet: ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι, et Act. XX, 20. idem Apostolus nil doctrinae utilis se substraxisse dicit, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν καὶ διδάξαι ὑμᾶς δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους, quod nemo de doctrina scriptis tradita intelliget. Etiam Apostolus Joannes plura chartae et atramento non vult committere, sed venire ore traditurus, quae deerant. II. Joan. v. 12. III. Joan. v. 13. 14.

[7]) Uti Petrus, qui II. epist. III, 17. Christianos praevie instructos (προγινώσκοντας), nempe viva Apostolorum praedicatione, supponit, ne difficiles doctrinae et impostores eos in errorem inducant.

[8]) Jesus Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Evangelium omnis generis hominibus annuntiari jussit. Conf. Rom. I, 16. Joan. III, 18.

[9]) *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ephes. IV, 14.

[10]) Quem in finem Ephes. IV, 3. 4. legitur: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma* etc. coll. Tit. III, 10—11. II. Joan. v. 7—11. I. Tim. VI, 3. etc. Conf. Casp. Unterkircher, Hermeneut. bibl. p. 188—202.

§. 136. Consilium N. F. positivum.

Quamvis itaque Deus omnes revelatae religionis christianae doctrinas in N. F. deponere noluit, procul dubio tamen, quae ejus libris insunt, veritates ad religionem spectant, cum partem s. Scripturae, quae omnis ad religionem tendit (§. 133), praecipuam efficiant. Quodsi vero ex argumento N. F., quod in hanc rem solum esse videtur subsidium, ipsius consilium determinare velimus, haud a vero aberravimus, si in eo esse dicamus:

1. Ut ex ipso doceamur rationem, qua Dei filius ejusque Apostoli promissam antiquitus perfectiorem religionem introduxerunt.

2. Ut praecipua hujus religionis capita cognoscamus, sive in fidei doctrinis, sive in morum praeceptis et motivis, sive in vitae solatiis versentur.

§. 137. Admonitio.

Non tantum ex se gravissimi ponderis esse intelligitur, nosse generalem ideam, quae auctori alicujus libri obversabatur, aut plurium librorum corpori substernebatur, sed praeterea tale consilium, ut mox videbimus, quasi lucerna est singularum partium,

quae in exegesi perlustrandae veniunt. Hinc certe, si unquam circumspectione opus est, in statuendo consilio integri praecipue libri aut majorum ejus partium eo cautiorem esse oportebit interpretem, quo magis rationes, ob quas Deus haec et non alia scribi voluerit, pro temporum, locorum, Christianorum vel adversariorum diversitate diversae esse potuerint. Cum haec omnia hinc inde nobis parum cognita sint, etiam de scopo speciali, qui hisce circumstantiis, et inprimis occasioni accommodatur, nonnisi divinando loqui possumus.

II. DE CONSILIO ADHIBENDO.

§. 138. Quae hac in re generatim observanda sint?

Sicut a singulis, quibus liber aut pars libri constat, fragmentis, id est a materia substrata ad generalem, quam conficiunt, notionem ascendere licet, ita ab hac notione aliunde nota ad singulas, quibus constat, notiones descendere possumus, imo debemus, si auctoris mentem accurate noscere velimus (§. 128). Cumque singulas partes auctor adhibeat solummodo ad generalem, quam prius concepit, notionem repraesentandam, gravissima ex eo regula interpretandi prodit: *singula ita interpretanda esse, prout relatio ad generalem, quam conficiunt, notionem requirit.* Cujus regulae usum priusquam fusius ostendamus, monitio alia haud exigui momenti praemittenda est.

Sicut enim architectus primarias domus, quam exstruit, partes necessario ponit, quia domum alias non effingeret, forma contra cubiculorum, utensilia, aliaque, quae fini et notioni domus non repugnant aut non unice conveniunt, majoris aut minoris momenti sunt; ita etiam in exarando libro plura ab auctoris notione generali abesse prorsus nequeunt, cum contra alia vel abesse, vel hac aliave ratione esse, imo et aliis suppleri possint. Unde etiam hoc loco generales, quos alibi (§. 14.) posuimus, canones redeunt, ita ut regula valeat: *Interpretatio, quae consilio loquentis repugnat, falsa est.* Positive non adeo firma est consecutio, cum fieri possit, ut plures interpretationes consilio orationis respondeant. Quare tantum affirmare licet, interpretationem, quae sola orationis consilio congruit, genuinam esse *).

*) Sic, ut hanc rem exemplo illustremus, licet Hagg. II, 1—9. consilium Prophetae recte in eo ponatur, ut senes ob minus magnificum templi aedificium

consoletur promisso magnificentiori, hoc solo tamen subsidio non deciditur, num verba v. 7. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם cum Vulgata interpretanda sint: *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, i. e. *Messias*, an ut alii volunt: *Et venient*, seu *afferentur desiderata* seu *desiderabilia*, i. e. *opes omnium gentium*, quia templum tum Messiae praesentia, tum gentilium opibus oblatis augustius redditur, adeoque neutrum consilio Prophetae repugnat, aut unice convenit. Alia vero interpretandi subsidia translationi Vulgatae suffragantur. Conf. Allioli ad h. l.

§. 139. De adhibendo consilio totius s. Scripturae.

Quodsi jam, ut ad applicationem consilii in libris sacris interpretandis specialem transeamus, totius s. Scripturae notio in eo posita est, ut nos introductionem et conservationem verae religionis doceat, nosque ad diligendum Deum cum proximo, qua dilectione vere beemur, commoneat (§. 133); sponte pro omni s. Scripturae studio summi momenti regula sequitur, eam scilicet ad hunc scopum considerandam esse, ut non solum religionis introductio et conservatio cognoscatur, sed etiam Dei proximique dilectio, et proin felicitas vera promoveatur. Hinc

1. noli e s. Scriptura rhetoricam, astronomiam, physicam, historiam naturalem, artem militarem, imo, quod factum est, praxin juridicam, et quae sunt similia, quaerere, utpote alienissima a consilio, quod Deus, quodque hagiographi in exaranda s. Scriptura secuti sunt [1]). Quod tamen nihil impedit, quo minus ea, quae in libris sacris hinc inde quasi incidenter de aliis notitiis sparsa reperiuntur, ad earum profectum impendantur [2]).

2. Dein patet ex eo, quid de plurimorum, recentioris praecipue temporis, doctorum industria sit dicendum, qui vel singulorum vocabulorum aut phrasium significationi definiendae, vel ipsis notionibus ope antiquorum documentorum aut recentiorum observationum dilucidandis summa et indefessa insudarunt. Laudanda nimirum est haec eorum industria in subsidiis ad finem s. Scripturae certius consequendum praevie necessariis pervestigandis, dummodo hunc ipsum finem, cui illa inserviunt tantum, non negligant, consilioque, quod in tractandis sacris libris obversetur menti, minutiis quasi occupati non nimium desint.

3. Qui contra regulam propositam studiose, prout oportet, observare intendit, eo animo s. Scripturam ejusque partes perlustrabit, ut in religionis tum institutione tum exercitio majora

in dies incrementa capiat. Quare cum ad s. Scripturae studium accedit, nil sibi antiquius habebit, quam ut consideret, quomodo vera religio sit introducta et conservata, quomodo hoc, quo studio suo occupatur, facto, hac doctrina, hoc vaticinio homines ad Dei cognitionem, ejusque ac proximi dilectionem perducantur, moveantur, firmentur, paucis quale ex iis, quae leguntur, pro religionis incremento accesserit, modoque adhuc accedat momentum [3]).

Si studium biblicum hoc consilio instituitur, diligenterque pertractatur, largissima observationum piissimarum seges, fructusque uberrimi impensam libris sacris operam cumulate compensabunt. Aliunde vero intelligitur, e Bibliis eruenda non esse religiosa, nisi quae ipsis revera insunt, et ab omnibus minutiis et ineptiis etiam circa hoc negotium abstinendum esse, nec timendum, ne materia observationum ad religionem spectantium desit, etsi haec vitia evitentur.

[1]) „Veritas est in Scripturis sanctis quaerenda, non eloquentia. Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo scripta est. Quaerere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam sublimitatem sermonis." Thomas a Kempis, de imitatione Christi. Lib. I. cap. 5. „Wer nicht im Geiste unserer Evangelien exegesirt, sondern bloss am Buchstaben nagt, der lauft Gefahr, den heiligen Schriftstellern etwas zu unterschieben, woran sie nicht dachten." Dr. Gratz, kritisch-historischer Commentar über das Evangelium des Matthaeus. Tüb. 1821. Tom. I. p. 422.

[2]) Quare minime reprobamus usum s. Scripturae e. g. ad historiam profanam dilucidandam, ad geographiam antiquam melius cognoscendam, ad anthropologiae, juris antiqui, aliarumque disciplinarum studium juvandum; imo eum summopere laudamus, si ad excolendam disciplinam convertitur, quae, ut archaeologia biblica, ad morum culturam aut meliorem Dei hominumque cognitionem confert.

[3]) „Jedes Buch soll sowohl in Bezug auf das Ganze als die einzelnen Theile seines Inhalts in dem Sinne und Geiste aufgefasst und gedeutet werden, in welchem dasselbe verfasst worden ist. Wesswegen religiöse Bücher, folglich alle Bücher des alten und neuen Bundes nur vom Gesichtspuncte der Religion betrachtet, und nur im religiösen Geiste gedeutet werden sollen." Nachtrag zu P. B. Zimer's kurzgefasster Biographie, oder desselben Theologie und Philosophie etc. von Jos. Widmer. Uri 1823. p. 127.

§. 140. De adhibendo A. F. consilio.

Si A. F. eo consilio prostat, ut doceamur, quomodo vera religio sit introducta et ope theocratiae conservata, perfectiorque

N. Testamenti praeparata, quin hac introducta utilis esse desinat (§. 134), pro A. Foederis studio sponte sequentia corollaria deducuntur:

1. Considera in diversis A. F. dispositionibus prudentiam divinam, quae suaviter ac sapienter, ratione inprimis habita religionis omnia hominum fata disponit, unde etiam fiducia in Deum haud parum roboris nanciscitur.

2. Considera providam numinis divini curam, quae stupendis hinc inde modis, e. g. captivitate et dispersione Judaeorum perfectiorem Jesu religionem praeparavit, ejusque introductionem reddidit faciliorem.

3. Considera relationem, quae inter A. et N. Foederis instituta intercedit, cum sint illius praedictiones in hoc eventum nactae, obscura luce illustrata, imperfecta ad perfectionem omni loco et tempori aptam perducta.

4. Considera demum, quae ad quadruplicem, quem Paulus II. Tim. III, 16. sqq. proponit finem, ex A. F. haurias.

§. 141. De adhibendo N. F. consilio.

Quae §§. 135—136. proposita fuerunt, sole clarius demonstrant, scriptores N. T. penitus ignorasse consilium, omnes fidei christianae doctrinas morumque praecepta in libris suis deponendi indeque proin completam religionis disciplinam erui minime posse. Licet vero, cum res ita se habeant, totam doctrinae catholicae corpus in N. F. frustra quaesieris, plurima tamen ex ipso depromes, si pro ipsius consilio perscrutatus fueris:

1. An et quomodo facta in ipsius libris exposita pro nova religione egerint?

2. Quid singulis doctrinis credendum agendumve mandetur?

3. An doctrinae propositae jam in A. F. sint contentae, saltem adumbratae, et in quo perfectior N. F. notio consistat?

4. Quae motiva et adminicula virtutis perficiendae tradantur, quae solatia pro tot omnis generis, quibus homines affliguntur, miseriis e sacris paginis petantur?

5. Demum quid exemplum et agendi ratio Salvatoris aliarumque personarum nos doceat? *)

*) Quantus utilissimarum observationum thesaurus colligeretur, si s. Scripturae A. et N. F. studium tali intentione et debita diligentia perageretur, ob-

servationes charta exciperentur, libris disciplinae dogmaticae, moralis, pastoralis et catecheticae charta alba distinctis insererentur, aut propriis collectaneis pro futuro usu ordinatim reponerentur! Lectu dignissima sunt, quae inveniuntur in Jac. Frint Theolog. Zeitschrift III. Jahrg. I. B. p. 237 sqq. II. B. p. 33 sqq. Ueber die Nothwendigkeit und den Nutzen eines fleissigen Forschens in den h. Schriften des alten und neuen Bundes.

§. 142. De consilio integri libri adhibendo.

Omnes libri partes ad consilium libri generale ab auctore ejusdem diriguntur; unde prono alveo regula fluit, in singulis majoris saltem ambitus partibus explorandis solerter indagandum esse, quomodo generalis illa notio probetur, illustretur, praesentetur etc. [1]).

Cavendum tamen est, ne, ut supra jam monuimus, omnes vel minimas libri partes proxime ad auctoris finem directas esse credamus (§. 138); porro ne argumenta demonstrandique rationem, quando fors auctor in hoc negotio versatur, semper etiam nobis et omnibus lectoribus satisfacere debere arbitremur, utpote quibus convincendis destinata non erat oratio [2]).

[1]) Quomodo e. g. in singulis Evangelii Joannis narrationibus Jesus innotescat filius Dei auctorque salutis?

[2]) Confer supra §. 119. not. 4. §. 121. not. 8—12.

§. 143. De consilio singularum partium adhibendo.

Solet amplior liber, praecipue epistola, pluribus frequenter destinari consiliis, quae sibi *coordinata* possunt considerari [1]). Quae partium majorum consilia si cognoveris, juxta monitum paragraphi praecedentis adhibebis.

Si vero consilia sibi sunt *subordinata*, prout in orationis flumine fieri consuevit, ut a consilio generali per intermedias notiones ad singula descendatur, tunc interpres accuratas divisiones et subdivisiones juxta strictas logicae artificialis regulas, ad quas hagiographi profecto non attendebant, ne quaerat; potius singula facta, argumenta et expositiones juxta regulas de contextu, praecipue psychologico traditas nectat cum altiori notione, atque inferiora haec consilia ita adhibeat, ut singula pro ratione, qua cum ipsis sunt connexa, interpretetur [2]).

[1]) Sic Paulus in epistola ad Galatas *a)* auctoritatem suam apostolicam firmare I, 1—II, 14., *b)* vanitatem legis Mosaicae declarare II, 15—V, 24., *c)* veram virtutem inculcare V, 25—VI, 10. intendit.

[8]) Rom. VII. est consilium subordinatum delineandi libidinem ad perversa inclinantem, quam vincere nos oportet. Generale vero Pauli consilium est, necessitatem religionis christianae probare. Jam illud consilium facile cum hoc nectitur; cum enim vincendae libidini lex Mosaica non sufficiat, alio in hunc finem remedio indigemus, quod Rom. VII. probatur esse fides in Christum, cujus ope perversa indoles nostra redditur innocua.

§. 144. De consilio ad singulas sententias adhibendo.

Singulae sententiae perraro ex generali consilio integri libri aut magnae ipsius partis sufficientem lucem capiunt; potius proximus, e quo proferuntur, finis solerter indagari debet, quo unde demumcunque cognito facilis responsio erit, quid propositis verbis auctor dicere velit [1]).

Ex hoc consilio proximo non solum intelligitur, utrum dictio proprie an inproprie accipienda sit, cum, qui docere, i. e. aliquem accuratiori cognitione facti, doctrinae, praecepti aut ritus imbuere velit, perspicuitatem sectari, adeoque a tropis, saltem insolentioribus et a longe petitis abstinere debeat, contra, qui movere vel delectare velit, tropos etiam audaciores et rariores aptissime adhibeat [2]), sed etiam in imaginibus, similitudinibus et metaphoris aliisque figuratis s. Scripturae dicendi generibus, de quibus in articulo II. §. 111 et sequentibus diximus, sensus petendus est. Sunt vero et alia, quae in singulis sententiis e consilio definias. Sic

1. ex ipso statues, quid essentiale, quid accidentale sit, pro eo nimirum, ac aliquid in locutionibus biblicis, puta in allegoriis, parabolis etc. ad notionem generalem, quam loquens prae oculis habet, repraesentandam abesse non possit, aut abesse vel adesse queat [3]).

2. Termini vel ambitus dictorum itidem e consilio petuntur [4]).

3. Porro consilium docet, utrum quaedam conditionate, an absolute sint accipienda [5]).

4. Utrum quaedam dicta totum contineant, an tantum exempli loco posita sint, iterum ex intentione loquentis eruendum est [6]).

5. Denique inde intelligas, num aliquid praecepti, an meri consilii vim habeat [7]).

Ad haecce interpretem attentum fecisse sufficiat.

[1]) Qui e. g. Luc. I, 34. sqq. observaverit, angelum ad quaestionem Mariae *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondere, conceptionemque supra naturam asserere voluisse, etiam facile perspiciet,

quid v. 36. provocando ad Elisabetham innuere voluerit. Cum nempe mira nuntiasset, ut adstrueret fidem, exemplum senioris feminae sterilisque adduxit, quo Deo omnia, quae ei placuerint, possibilia assereret. Conf. s. Ambros. Lib. II. in Luc. Cap. I. post init.

[2]) Ex hac ratione iis minime adstipulandum est, qui verba Domini Matth. XXVIII, 19. *Baptizantes eos* etc. et Joan. XX, 23. *Quorum remiseritis peccata* etc. tropice, non proprie, intelligere volunt. Conf. §. 92.

[3]) Ita Apoc. VIII, 1. sqq. septem angeli et septem tubae ornandi vel amplificandi causa ponuntur, et profecto quod ad notionem generalem repraesentandam necessario adesse debeat, non constituunt.

[4]) Sic, si I. Joan. II, 20. Apostolus scribit: *Vos autem unctionem habetis a sancto, et scitis omnia* (πάντα), hoc πάντα de sola veritatum religionis notitia, non de aliis scientiis, minime omnium de lumine interno Pietistarum intelligendum est, cum auctorem solas religionis veritates per institutionem apostolicam cum lectoribus communicatas spectasse, manifestum sit. Pari modo I. Cor. IV, 7. *Quid* (τί) *autem habes, quod non accepisti?* ubi Apostolus in eo est, ut lectores moneat, ne in aestimandis doctoribus christianis partium studio ducantur, illud τί de cognitione religionis christianae intelligi debet.

[5]) Si Christus Matth. XIX, 24. dicit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum*, haec verba conditionate accipienda sunt, uti Dominus ipse v. 26. mentem suam pandit.

[6]) Huc spectat Matth. XIX, 18., ubi Salvator docturus, quae ad vitam aeternam consequendam observanda sint, aliqua decalogi mandata exempli loco recensuit, ut juvenem de omnibus reliquis commonefaceret.

[7]) Inde Matth. XIX, 21. verba Jesu ad juvenem: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus*, non de mandato, sed de consilio explices, quia contextus docet, Dominum ad felicitatem obtinendam alia necessario adimplenda praescribere v. 17 — 19., haec vero juveni sub conditione proponi.

§. 145. Loci classici.

Priusquam missam facimus hanc de consilio disputationem, mentio ingerenda videtur de classicis, quos dicunt, locis, quibus scilicet auctor ex professo mentem suam de aliqua materia exponere intendit. Profecto sunt ejusmodi loci pro veritatibus sacrorum Bibliorum cognoscendis gravissimi momenti, adeoque summa interpretis diligentia digni. Difficilius vero statuuntur regulae, quibus locus aliquis qua classicus agnoscatur; nec subsidia in hunc finem prostabunt alia, quam quibus generatim consilium auctoris cognoscitur.

Generatim quidem omnis loquens mentem suam sincere pandere censendus est, quamdiu non invenitur ratio, ob quam, quid

cogitet, ex parte abscondat. At voluntas mentem pandendi certo cognoscitur:

1. Ex materia substrata, si nempe res aliqua ex omni parte consideratur, tractatur, exploratur ac vindicatur [1]). Hujus subsidii vis augetur,

2. si occasio vel alia adjuncta accedunt, quae auctorem excitant, ut mentem suam de materia aliqua exponat [2]).

3. Demum si alii loci, minus tamen expliciti, suffragium ferunt pro ampliori, quo sententia ex intentione loquentis huic subjecta certius et clarius cognoscatur [3]).

[1]) Ex hoc capite circa *providentiam divinam* Matth. VI, 26 sqq., circa *justificationem* Rom. III, 21—26., circa *peccatum originale* Rom. V, 12—21., denique circa *necessitatem bonorum operum* Jacob. II, 10—26. merito loci classici laudantur.

[2]) Huc spectat, si Paulus epistolâ interrogatus Corinthios de *matrimonio* instruit I. Cor. VII.

[3]) Sic locus Joan. I, 1—18. prolixius *Jesu Christi divinam naturam* adstruens testimonio Matth. XII, 41. sqq. XVI, 16—28. XVII, 24—26. XXVI, 63. sqq. et aliis confirmatur.

CAPUT III.

DE LOCIS PLURIBUS AD SENSUM EXPLORANDUM COMPARANDIS.

§. 146. De locis inter se comparandis in genere.

Adminiculum exegeticum gravius et frequentioris usus vix prostat, quam si cum locis difficilibus, dubiis et obscuris comparantur alii, de eadem re agentes, qui illis lucem afferunt, dum vel ad usum loquendi cognoscendum, vel ad caetera subsidia, quae ex universalibus cogitandi legibus derivantur, rite adhibenda faciunt. Unde per decursum hujus sectionis adminiculi huius mentio saepius jam facta est, rei tamen gravitas singularem ipsius expositionem petit.

Generale vero, quod de horum locorum usu valet, principium in eo consistit, quod *plures loci, qui de eadem re sub eodem respectu agunt, mutuo sese illustrant atque definiunt*, dummodo certum sit, auctorem loci exponendi tenere idem, quod loci alii comparandi edicunt.

Ex hoc principio, cujus veritas probatione non indiget, regulae speciales pro locorum istorum usu sponte sequuntur;

quid? quod fere non sunt, nisi uberior hujus unius regulae vario respectu facta applicatio, ut ex sequentibus patebit.

Loci vero comparandi ita conveniunt, ut aut vere de eadem re agant, aut generales veritates proponant, quibus convenienter auctor scripsisse censendus et interpretandus est. Priores iterum duplicis sunt generis, si quidem manifesto eadem edicunt, aut de eadem re agentes inter se pugnare videntur. Loci manifesto de eadem re agentes *paralleli*, loci vero de eadem re ita agentes, ut discrepare videantur, *enantiophani*, apparenter contrarii, dicuntur. Illi autem loci, qui, sive in s. Scriptura, sive in libris scriptorum orthodoxorum subsequentis aetatis occurrant, veritates generales exhibent, e quibus alia effata biblica specialia, minus clare definita, quae ipsis congruere debent, lucem capiunt, *analogi* vocantur.

Hinc agendum erit: *I. De locis parallelis. II. De locis enantiophanis. III. De locis analogis.*

TRACTATUS I.

DE LOCIS PARALLELIS.

§. 147. Diversae parallelismi species.

Loci paralleli sunt aut *ejusdem auctoris*, aut *diversorum*. Priores gravioris momenti esse, facile intelligitur, quia quivis est optimus sui ipsius interpres, et ejusmodi loci eo certius se mutuo explicabunt, quo minus supponendum est, eundem auctorem secum pugnare [1]).

Porro loci paralleli vel easdem voces aut dictiones in simili orationis contextu atque eodem significatu exhibent, vel idem factum aut eandem doctrinam referunt; unde parallelismus *verbalis* et *realis* [2]). Prior cum quadam restrictione ex omnibus ejusdem idiomatis sive ejusdem sive diversae aetatis auctoribus adhibetur [3]). Posterior, qui, si diversis locis vel eadem facta vel eaedem doctrinae traduntur, in *historicum* et *doctrinalem* seu *didacticum* dividitur [4]), majorem cautionem praecipue circa doctrinas sibi postulat, quia circa opiniones et placita religiosa major solet esse discrepantia, peculiariter inter asseclas diversarum sectarum [5]).

Hagiographi ejusdem Foederis, cum easdem doctrinas fundamentales recenseant, etiam in placitis religiosis in re primaria

conspirabunt, et promiscue comparari poterunt; ast in collatione scriptorum N. F. cum scriptoribus A. F. prudentia et cautione opus est, quia in perfectiori doctrina N. F. plura occurrunt, quae in A. F. aut omnino non exstent, aut alia ratione conformata reperiantur [6]).

Etiam limites parallelismi sunt diversi, quia res dici possunt eaedem, licet non eodem ambitu sint conclusae. Inde parallelismus *latior*, *strictior* et *strictissimus* discernitur [7]). Merito praecepta nostra inprimis locos strictissime parallelos concernunt.

[1]) Pro eo ac loci paralleli in ipsa s. Scriptura, vel extra eam in auctoribus profanis occurrant, parallelismum etiam in *internum* et *externum* dividunt, et locos paralleles ejusdem auctoris parallelismum *proximum*, locos parallelos diversorum scriptorum *remotum* constituere dicunt.

[2]) Usus parallelismi verbalis locum habet Jac. II, 17. ἡ πίστις καθ' ἑαυτὴν νεκρά, juxta Vulg. *fides in semet ipsa mortua est.* At si expressio καθ' ἑαυτὴν comparatur cum Act. XXVIII, 16. *Permissum est Paulo*, μένειν καθ' ἑαυτόν, *manere sibi soli*, separato a reliquis captivis, prior locus reddendus est: *Fides sola*, i. e. operibus destituta, *mortua est*. Realis parallelismi exemplum habetur Matth. XXIV, 15. sqq. et Luc. XXI, 20. sqq., ubi de eadem oppugnatione urbis Hierosolymorum sermo est.

[3]) Quia omnes ejusdem idiomatis scriptores eundem usum loquendi sequuntur, etiam omnes quoad voces et dictiones se mutuo explicare possunt; ast cum usus loquendi ejusdem linguae pro ratione sive aetatis, sive loci, sive disciplinae, sive reipublicae, sive auctoris quasdam mutationes subire soleat, in usu parallelismi verbalis diversorum auctorum hujus rei ratio habenda est. Conf. §. 18.

[4]) Ita parallelismus historicus in A. F. obtinet in libris Regum et Chronicorum, in N. F. in quatuor Evangeliis, ubi eaedem res gestae narrantur. Didactici exemplum habes Gal. V, 6. VI, 15., item I. Cor. VII, 19., Joan. III, 1—15. et Rom. VII, 14. sqq., quia omnibus his locis eadem doctrina de corrupta hominis natura per gratiam restauranda traditur.

[5]) Huc spectant, quae de diversitate notionum ac opinionum hominum, praesertim diversarum scholarum et sectarum disseruimus §§. 97. 98.

[6]) Sicut in A. F. libri sequentes omnium saeculorum ad doctrinas et leges Pentateuchi, ita in N. F. Actus et epistolae Apostolorum ad praecepta Jesu Christi in Evangeliis contenta respiciunt; quapropter tum A. F., tum N. F. libri se etiam quoad notiones et doctrinas religiosas mutuo explicant. Ast sublimiores doctrinae Jesu Christi, e. g. de virginitate Matth. XIX, 12. I. Cor. VII, 25. sqq., in lege Mosaica parallelas non semper habent.

[7]) Sic omnia Evangelia de vita Jesu agunt, et ita in significatu latiori parallela sunt; strictius parallelae dici possunt apparitiones Jesu post mortem, quae, quantum apparitiones Jesu redivivi sunt, conveniunt, licet

caeterum eaedem non sint, quodsi vero de eadem apparitione, e. g. de illa, quae discipulis versus Emaus proficiscentibus contigit, duobus aut pluribus locis, uti Luc. XXIV, 13. sqq. Marc. XIV, 12. sermo est, parallelismus in significatu strictissimo habetur.

§. 148. Quae praestet parallelismus?

Multiplex et varius locorum parallelorum usus ad sequentia fere capita referri potest:

1. Loci paralleli usum loquendi definiunt, dum voces et dictiones, quae in uno loco obscurae vel ambiguae sunt, in alio clarioribus illustrent, vel per contextum aut adjecta accuratius determinent [1]). Hoc parallelismi adjumentum inprimis opportunum esse ad expressiones et significationes difficiliores, quales sunt rariores et aliis subsidiis non in tuto positae, illustrandas, atque ad usum peculiarem explicandum, per se intelligitur [2]).

2. Quodsi dubium est, utrum voces vel formulae, quae in utramque partem verti possunt, proprie an tropice intelligendae sint, certissime posterius statuendum est, quotiescunque in locis parallelis expressiones diversae aut plane contrariae eandem rem repraesentant; retenta vero eadem dictio tropi suspicionem minuit, licet idem tropus constanter possit servari [3]).

3. Per locos parallelos sicut vaga vocum et phrasium notio, ita et limites sententiarum determinantur; scilicet notio et sententia eo modo, eoque ambitu aut ea restrictione sumenda est, ut cum locis parallelis, si praesto sunt, conveniat [4]).

4. Pleniorem rerum, factorum et doctrinarum cognitionem ut plurimum locis parallelis in acceptis reperimus, cum passim eorumdem factorum adjuncta in uno loco aut plane omissa, aut paucis tantum indigitata, alio loco suppleantur, aut uberius exponantur, vel doctrinae, in uno loco ex una solum parte spectatae, alibi ex diversis partibus considerentur, et generatim scriptores populares, quales sunt biblici, stylo minus accurato et ad rigorem logicum non composito uti, et de materia, quam pertractant, solum ea eloqui soleant, quae proxime orationis occasio postulat, ita ut demum comparatis pluribus locis de eadem re agentibus accuratior notio obtineatur [5]).

5. In specie etiam pragmatismum, quem dicunt historicum, cujus cognitio ad perspicuam et exactam historiae intelligentiam deesse non potest, haud raro subministrant loci paralleli [6]).

6. Denique chronologicus rerum gestarum ordo, aliorumque subsidiorum hermeneuticorum, uti occasionis et consilii rectus usus parallelismo egregie adjuvatur [7]).

[1]) Sic כֹּהֲנִים *sacerdotes*, quo nomine II. Sam. VIII, 18. insigniuntur filii Davidis, qui non erant sacerdotes, in loco parallelo I. Chron. XVIII, 17. permutatur cum רָאשֹׁנִים *magnates*, quo rarior significatio prioris in dato loco indicatur. Item, si Exod. XXXI, 18. duae tabulae legis lapideae dicuntur scriptae בְּאֶצְבַּע אֱלֹהִים *digito Dei*, ex Luc. XI, 20., ubi Christus affirmat, se *ἐν δακτύλῳ Θεȣ͂ in digito Dei* ejicere daemonia, intelligitur, digitum Dei indicare *potentiam divinam*. מֵלִיץ Job. XXXIII, 23. esse *interpretem*, testatur locus clarior Genes. XLII, 23. Ὄναρ, proprie *somnium*, Matth. I, 20. denotare *visionem*, quibus Prophetae gaudebant, non tantum contextu docemur, sed pluribus A. T. locis, ubi חֲלוֹם permutatur cum מַרְאָה. Conf. Num. XII, 6. Dictum *σκεῦος ἐκλογῆς vas electionis* Act. IX, 15. denotare instrumentum a Deo electum, quo in convertendis Gentilibus et Judaeis uteretur, innotescit ex Jes. XIII, 5., ubi instrumenta vindictae divinae dicuntur כְּלֵי זַעְמוֹ *vasa furoris ejus* (Dei).

[2]) Confer in hanc rem, quae dicta sunt §§. 18. 32. 42. 59. 60. 71—73.

[3]) Inde cognoscimus, expressiones varias de felici post mortem statu, qui modo convivium, modo esse in sinu Abrahae, modo dominium in multos, modo lux aeterna dicitur, et illas de miseria damnatorum, quae modo vermis, modo ignis, modo stridor dentium, modo tenebrae vocatur, proprie non esse accipiendas. Contra dictionem *variis* seu *peregrinis linguis loqui* proprie esse intelligendam, confirmant omnes loci paralleli, ut Act. II, 4. X, 44—45. XIX, 6. Marc. XVI, 17., in quibus retinetur. Attamen hinc inde tropus etiam constantior est, uti *ignis*, qui de poenis damnatorum frequentatur.

[4]) Ita πνεῦμα ἅγιον Matth. I, 20. per δύναμις ὑψίστȣ Luc. I, 35., item πνεῦμα Matth. IV, 1. per adjectum ἅγιον Luc. IV, 1. determinatur. Simili modo limites sententiarum definiuntur. Sic effatum Joan. III, 17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, loco Joan. V, 22. *Pater omne judicium dedit filio*, coll. V, 27. et Matth. XXV, 31. sqq. limitatur.

[5]) Quanta nos laterent, si Marcum Evangelistae reliqui non supplerent et explicarent, et libri Chronicorum non perfectiorem argumenti librorum Samuelis et Regum notitiam praestarent? Et ut singulare prallelismi realis exemplum ponamus, Matth. XXVI, 26—28. Marc. XIV, 22—24. Luc. XXII, 19—21. I. Cor. XI, 23—25. comparari debent, ut perfecta institutionis s. coenae notitia acquiratur.

[6]) Cur. e. g. Davides homicidia Joabi II. Sam. III, 27. XX, 9. I. Reg. II, 5. tam diu impunita tulerit, patet ex I. Chron. XI, 6. Triumphantis Domini ingressus in urbem Hierosolymorum, qui Matth. XXI, 1. sqq. narratur, ex resuscitatione Lazari, quae praecesserat, Joan. XI. lucem capit. Conf. §. 84. not. 1. 4.

§. 149. Regulae in usu locorum parallelorum observandae.

Ad tot ac tanta commoda in sensus investigatione e parallelismo consequenda principium generale supra (§. 146.) enuntiatum religiose observetur. Hinc

1. loci tum quoad verba tum quoad res ita tantum paralleli habeantur, quantum vere tales sunt [1]).

2. Qui loci plus lucis afferunt, prae aliis comparentur. Unde loci paralleli ejusdem auctoris praeferantur; locis vero diversorum scriptorum, quo certius et clarius de eadem re agere deprehenduntur, eo potior usus tribuatur [2]). Contra quo plus loci comparandi sive circa materiam substratam, sive circa externa adjuncta discrepant, eo minus in censum veniant. Nec loci, qui paucioribus absolvuntur, propterea jam illustrari debent per prolixiores, sed solum si illi obscuri, hi vero clari sunt; locum enim obscuriorem semper ex clariori, licet alias breviori explicandum esse, ex natura rei intelligitur [3]). Locus tamen ex una ratione obscurior, ex alia clarior esse potest.

3. Ex locis parallelis ne justo plus inferatur, quod fieret, si uni loco caeteri ita subordinarentur, ut nullus sensus his inesse statueretur, quam qui jam illo pro basi posito contineatur. Quae agendi ratio, praeterquam quod sine vi adhibita non possit exerceri, praesertim quoad doctrinas exinde vel maxime vitiosa est, quia contradicit stylo scriptorum popularium, qui, ut observavimus (§. 148. 4), materiam quamdam sive circa credenda sive circa agenda uno loco absolvere non solent, sed pro circumstantiarum indigentiis modo hoc modo aliud religionis vel morum momentum tractant [4]).

1) Hinc loci, qui similes vel plane easdem voces et dictiones, sed non eodem significatu continent, paralleli non habeantur. Ejusmodi sunt Jonae IV, 10. בִּן־לַיְלָה *filius noctis* de planta una nocte durante, et I. Thess. V, 5. υἱὸς νυκτὸς *filius noctis* de homine, cognitione justa praesertim rerum divinarum destituto. Nec בְּךָ יְבָרֵךְ *in te benedicet (Israel.)* Genes. XLVIII, 20. stricte licet comparare cum passivo נִבְרְכוּ aut הִתְבָּרְכוּ Genes. XVIII, 18. XXII, 18., ac si posterioribus locis nonnisi communis benedictionis formula, sicut priori loco, inesset. Simili modo etiam facta historica solum parallela habeantur, quantum vere eadem sunt. Sic apparitio Matth. XXVIII, 9. cum apparitione Joann. XX, 14—18. equidem comparari potest qua apparitio, neququam vero qua eadem apparitio, cum personae, tempus et locus discrepent. Multo minus vere dictionem

biblicam: *Sedere ad dexteram Dei* Ps. CX, 1. Matth. XXII, 44. al. exigere licet ad locum Pindari de Minerva dicentis: δεξιὰν κατὰ χειρὰ τῦ πατρὸς καθεζομένην τὰς ἐντολὰς τοῖς θεοῖς ἀποδέχεσθαι, cum ad contextum exactus longe alius sit istius et illius dictionis sensus.

²) Sic Paulum bona opera a fide excludere noluisse, ex ipso inprimis Apostolo eruatur Rom. III, 28. coll. Gal. V, 6. VI, 15. I. Cor. VII, 19.; at in re tanti momenti merito quoque comparatur Jac. II, 14. sqq.

³) Huc spectant loci Marc. X, 11. Luc. XVI, 18. I. Cor. VII, 10. 11. 39., qui circa vinculum matrimonii utut breviores, tamen clariores sunt, quam prolixior locus Matth. XIX, 9. sqq., ita ut hic ex illis explicandus et statuendum sit, separationem tantum ab adultera, non vero novum matrimonium concedi, nisi forte, ut quibusdam videtur, omne responsum Jesu Matth. XIX, 9. Pharisaeis datum ad legem Mosaicam restringatur, ut §. 91. not. 3. monitum fuit. Conf. tamen Allioli ad Matth. XIX, 9.

⁴) Hinc erraret, qui e Joan. XVII, 3. omnia ad salutem necessaria colligere vellet, quin attenderet ad locos, qui de gratia divina ad salutem necessaria, de satisfactione vicaria Christi etc. loquuntur. Quot porro loci conferendi sunt, ut e s. Scriptura integra notio de Jesu persona et dignitate, de gratia, fide aliisque gravioris momenti doctrinis statuatur?

§. 150. Quomodo inveniantur loci paralleli?

Ad inveniendos locos parallelos in ipsa s. Scriptura occurrentes serviunt:

1. Solers Bibliorum sacrorum lectio, quamvis cursoria, in cujus subsidii usu consultum est, textus obscuros, qui occurrerint, eum in finem notare, ut ex aliis clarioribus, qui fors se obtulerint, lucem capiant [1].

2. Concordantiae biblicae verbales, quibus accenseri merentur etiam meliora linguarum biblicarum lexica [2].

3. Lexica rerum biblicarum, quae locos de eadem materia agentes exhibent collatos [3].

4. Denique hic commemorare oportet etiam libros dogmaticos et morales melioris notae, utpote qui ad materias, quas tractant, effata divina, saltem praecipua, quae ad eas confirmandas serviant, adducere solent. Merito tamen monentur tirones, ut allegationes cum ipsis Bibliis conferant atque ad ea examinent, quo fiet, ut haud raro sensum non deprehendant, quem auctores locis allegatis attribuerunt.

5. Demum editiones sacrorum Bibliorum plures, quae locos parallelos allegant, aut elencho aliquo indicant [4].

¹) A lectione s. Scripturae assidua et repetita non potest abesse, quin locos parallelos inveniat, haud raro etiam loco vexatissimo lucem diu deside-

ratam afferat, et generatim argumentum tum singulorum librorum tum totius sacri codicis perspectum reddat.

[2]) *Concordantiae verbales* praestantiores, saltem rariores sunt, et quidem

a) *hebraicae*, editae a J. Buxtorfio, Basil. 1632. et a Julio Fürst, Lips. 1837—40. Concordantiae particularum in specie prodierunt cura Noldii a Tympio, Jen. 1734.

b) *graecae* N. T. Erasmi Schmidt, Witemb. 1638.

c) *latinae* in usum versionis vulgatae, quarum plures praesto sunt: Concordantiae majores, Lugd. 1540; Concordantiae utriusque Testamenti, studio Roberti Stephani, Parisiis 1555; Concordantiae Bibliorum Plantini, Antwerpiae 1581; Concordantiae Bibliorum vulgatae editionis a Fr. Luca, Colon. Agrip. 1684; Hugonis Cardinalis a S. Caro, editae a Fr. Schmid, Viennae 1825, et edit. cura et studio Dutripon, Paris. 1838.

Pleniorem enumerationem Concordantiarum hebraicarum, graecarum et latinarum habes in Calmet, Dictionnaire de la Bible, a Geneve 1730. T. I. p. CCCXII.

Lexica linguarum biblicarum meliora ad stabiliendas vocum ac dictionum significationes plures locos, in quibus occurrunt, allegare solent, et sic cognoscendo parallelismo biblico subsidio sunt.

[3]) Ejusmodi *lexica realia* sunt: Opus modo laudatum Aug. Calmet, cujus integer titulus: Dictionnaire hist. crit. chronol. geogr. literal de la Bible. Paris 1730. IV Vol. in fol. Geneve 1730. IV. Vol. in 4to. Germanice a H. G. Glökner, Liegnitz 1751—54. Latine a J. D. Mansi, Venetiis 1734 (1747). Porro W. F. Hezel, Biblisches Reallexicon, Leipz. 1783—86.; Allgemeines Wörterbuch der h. Schrift, von einem Vereine kathol. Geistlichen. Regensb. 1836.

[4]) Exemplo sit editio N. T. Joan. Jac. Wetstenii, Amstelod. 1751.

TRACTATUS II.

DE LOCIS ENANTIOPHANIS.

§. 151. Officium interpretis circa tales locos.

In comparatione locorum parallelorum fit non raro, ut s. Scripturae locus loco alteri aut veritati e ratione vel testimoniis certae contradicat. Quaeritur jam, quid tum interpreti agendum sit? Partes ejus potissimum in eo versantur, ut notiones auctoris e loco explorando exacte eruat (§. 2); num enim hae notiones aliis contradicant, ipsius generatim non est curare, utpote qui unice sensu definiendo, non autem dijudicando occupatur. Quam exceptionem divina s. Scripturae conditio etiam hac in re postulet, alibi (§. 167.) dicetur.

Cum autem veras in s. Scriptura contradictiones ne ex humana quidem indole spectata supponere liceat, hoc loco monemus, ejusmodi locos aliis effatis biblicis vel certis veritatibus contradicentes pro parallelis esse habendos, qui speciem tantum pugnae praeseferant, et proin rite intellecti clariorem et perfectiorem rei, de qua agunt, notionem subministrent. Quae cum ita sint, interpretis erit, ejusmodi pugnas apparentes a locis biblicis removere, hisque inter se conciliatis ad perfectiorem rei, de qua agunt, cognitionem uti. Cum vero de usu locorum parallelorum jam praecedenti tractatu dictum sit, hic non restat agendum, nisi de enantiophanorum compositione.

§. 152. Quomodo ejusmodi pugnae species tollenda?

Quum vera contradictio seu pugna in eo consistat, ut de eadem re sub eodem respectu idem affirmetur et negetur, omnis interpretis labor ad tollendam pugnae speciem in eo versabitur, ut ostendat, scriptorem sacrum in loco vexato contraria et aliis locis aut veritatibus opposita non scripsisse, quod generatim praestabit *critica, judicio et justa interpretatione.*

Scilicet negari nequit, Biblia temporum injuria et librariorum atque lectorum incuria et culpa nonnullorum mendorum labibus esse conspersa. Quodsi itaque contradictio originem debet textui ex dictis causis mutato, interpres hunc e regulis *criticae* restituat, vel certe mutatum fuisse probet, quo facto res componetur [1]. *Judicio* dirimitur pugna, si ostenditur, aut non de eadem re aut non sub eodem respectu sermonem esse, aut demum idem non affirmari simulque negari [2]. Interpretis vero potissimum provincia est, ejusmodi locos *rite interpretari*, ita ut omnis controversia tollatur [3].

At ob rei gravitatem nobis operae pretium esse videtur, de enantiophanis historicis, dogmaticis, moralibus atque propheticis speciatim quaedam subjungere, ut pateat, ad quaenam in eorum compositione et explicatione inprimis attendendum sit.

[1]) Ita I. Reg. V, 6. Salomon legitur 40,000 praesepiorum pro equis habuisse; contra II. Chron. IX, 25. ipsi tribuuntur 4000, quae pugna sine dubio ex permutata litera numerali מ = 40 cum ד = 4 originem traxit. An etiam Act. VII, 16. nomen Abraham sit intrusum, quod Genes. XXXIII, 19. repugnat, ubi Jacob praedium ad sepulturam emisse narratur, dubitatur

Conf. Kuinoel, Allioli aliosque ad Act. VII, 16. Certe autem Dahler (De librorum Paralip. auctoritate et fide historica, Argent. 1819.) I. Chron. XXIX, 7. perperam interpolatum habet ob אֲדַרְכֹנִים *daricos* (nummos persicos) commemoratos, qui in monumentis facto narrato coaevis utique non inveniuntur, tempore vero auctoris illius libri satis innotuerant.

[2]) Hinc Matth. XXVIII, 9., ubi mulieres pedes Jesu amplexatae dicuntur, non pugnat cum Joan. XX, 17., ubi Christus ejusmodi amplexum prohibuit, quia non est eadem apparitio. Nec Num. IV, 3. 23., ubi Levitae jubentur ministerium in tabernaculo ab anno trigesimo incipere, cum Num. VIII, 24., ubi initium ab anno vicesimo quinto praecipitur, pugnat, dummodo labores molestos et leves distinxeris. Simili modo nec Luc. VI, 17., qui innuit, orationem habitam esse in planitie, cum Matth. V, 1. pugnat, qui orationem in monte dictam fuisse asserit, unde etiam *montana* compellatur, quia in monte planities gramine consita fuit, in qua Jesus orationem habuit, adeoque alterum non excludit alterum.

[3]) Sic. Jac. I, 13. Deus neminem tentare dicitur, contra Genes. XXII, 1. Abraham, Exod. XV, 25. et alibi Israelitae a Deo tentati dicuntur, quae non inter se pugnabunt, si ex Hermeneuticae regulis *tentare* priori loco interpretatus fueris: *ad malum incitare*, in posterioribus vero textibus per illud: *periculum facere, experiri, probare* intellexeris. Eccles. I, 18. damnatur sapientia, i. e. mera scientia, quae VII, 11—13. alio significatu sumta commendatur. Exod. XXXIII, 11. legitur Jehova locutus fuisse Mosi *facie ad faciem*, quod nihil aliud est, quam familiariter locutus est, ut patet ex additamento: *sicut solet homo loqui homini*, quod minime pugnat cum Exod. XXXIII, 18., ubi Moses Deum rogat: *Ostende mihi gloriam tuam*. Joan. I, 18. scribitur. *Deum nemo vidit unquam* (conf. I. Tim. VI, 16.), nihilominus I. Joan. III, 2. legitur: *Videbimus eum, sicuti est* (conf. I. Cor. XIII, 12.). Prior sententia est: Deus oculis corporis videri non potest; posteriores vero loci eminentem et singularem modum cognoscendi Deum post mortem indicant.

§. 153. Pugna locorum historicorum.

Libri sacri argumenti historici pugnare deprehenduntur tum ipsi inter se, tum cum historia profana. Prioris generis pugnas in historia sacra inveniri nemo mirabitur, qui historicos profanos quoque, praestantissimos antiquitatis eruditae scriptores, in factorum, quorum caeterum bene gnari erant, adjunctis saepe variare intellexerit.

Repugnantiae in historicis sacris maximam partem oriuntur ex diverso narrandi modo, quo varia adjuncta, variaeque rerum conditiones a variis auctoribus de eodem facto ita ponuntur, ut narret unus, quae alius omittit, unus fusius et accuratius exponat, quae alius brevius et minus accurate dicit [1]). Aliae pugnae prode-

unt ex loquentis consilio, cui accommodari rerum et adjunctorum delectus vel etiam narrandi ordo solet [2]).

Itaque ad hujusmodi pugnas tollendas interpres dispiciat, quaenam ejusdem facti circumstantiae in diversis relationibus obiter tantum et minus accurate expositae, vel prorsus omissae sint, aut quaenam consilii diversitas discrepantiae occasionem dederit. Quae licet haud raro facile detegantur, alibi tamen omnia adjuncta solerter expendenda sunt, ut pugna removeatur; imo interdum interpretem sola conjectura contentum esse oportet [3]). Quodsi hinc inde in narrationibus fictis, puta in parabolis, quaedam discrepant, vix est, cur quaerat quispiam, quid tenendum sit, si ad consilium unum et alterum quadrat [4]).

Quod attinet pugnas historiae sacrae cum historia profana, narratio Scripturae auctoritate solum humana considerata narrationi scriptoris profani praecedat, si utriusque veritas stare nequit [5]). Fere ubivis autem relationes biblicae confirmantur profanis historiis, quae fide dignae sunt, aut discrepantiae haud difficulter solvuntur [6]).

Nonnunquam narrationibus biblicis etiam difficultates objiciuntur, quae non existunt [7]).

[1]) Talia sunt: Matth. XXVI, 8. *Videntes autem discipuli* (unctionem Jesu per Mariam Lazari sororem factam) *indignati sunt;* at teste Joanne XII, 4. rem accuratius referente, Judas solus, qui fuit ex ordine discipulorum, indignabatur. Idem observes circa blasphemiam a Matth. XXVII, 44. et Marc. XV, 32. latronibus generatim adscriptam, cujus juxta accuratiorem narrationem Lucae XXIII, 39—42. alter tantum reus fuerat. Quodsi in narratione caedis Sauli I. Sam. XXXI, 10. non memoratur ille Amalecites, qui II. Sam. I, 1. sqq. occurrit, etiam hoc in loco pugna non est, sed vel amplior in posteriori loco narratio, vel Amalecites hic, ut verisimile est, ineundae apud Davidem gratiae causa finxit, quae narravit. Si pater illius Zachariae, qui templum (i. e. sanctuarium) inter et altare interemtus est, Matth. XXIII, 35. dicitur Barachias, at II. Chron. XXIV, 20. sqq. Jojadas, non est necessario pugna, sed potius utroque iste nomine est compellatus.

[2]) Hinc, quia Matthaeus e consilio suo res potius ipsas, quam ordinem temporis curabat, cap. IV, 3—11. tentationem Christi refert secundo loco, quam Lucas, qui plerumque ordinem temporis accuratius servat, cap. IV, 2—12. narrat tertio loco.

[3]) Sic, si II. Sam. XXIV, 16. sqq. area Areuna Jebusaei argenti siclis 50 constat, I. Chron. XXI, 25. vero auri siclis 600, posteriori loco adjacens regio simul computata fuit; et si Hebraei a Moabitis et Madianitis

ad fornicationem et idololatriam inducti atque occisi Num. XXV, 9. dicuntur 24,000, I. Cor. vero X, 8. numerantur 23,000, priori loco viri die praecedente occisi additi videntur.

[4]) Quid e. g. in parabola Matth. XXI, 39. coll. Marc. XII, 8. ad consilium et sensum facit, num filius in vinea, an extra eam occisus sit?

[5]) Auctores biblicos esse rerum, quas narrant, testes fide dignissimos ac omni exceptione majores, Introductiones in libro A. et N. F. docent.

[6]) Ita, si e. g. Marc. VI, 17. frater Herodis Antipae dicitur Philippus, quem Jos. Flavius Antiquit. XVII, 1. 2. vocat Herodem, id difficultatem non creat; scilicet e Josepho et aliis satis constat, multos Herodis M. filios, etsi suo quisque cognomine, quo ab aliis distingueretur, insignitus fuerit, Herodis tamen nomen retinuisse, adeo ut alterutro a scriptoribus appellarentur.

[7]) Talis est, si dicunt, auctorem libri I. Maccab. cap. VIII. Romanorum imperium longe aliud describere, quam historia certa refert, cum non referat nisi ea, quae Judae de isto regno narrata sunt.

§. 154. Pugna locorum dogmaticorum.

Locorum dogmaticorum pugna gravior videri debet, cum dogmata praecipuam religionis revelatae, quam e s. Scriptura eruimus, partem constituant. Difficultatum solutiones iterum petes e cognitione fontium, e quibus ortae fuerint, nimirum:

1. Ex more loquendi biblico ad rigorem logicum et exactam loquendi rationem scholae non composito, unde minus accurate dicta ad locos classicos exigere convenit [1]). Obscura dilucidentur claris [2]).

2. Ex loquentis consilio, ob quod modo hoc, modo illud doctrinae momentum in lucem profertur, cui itaque dicta accommodanda sunt [3]).

3. Praeterea occurrit quibusdam in locis accomodatio paedagogica vel argumentatio ex concessis. Quam si cognoveris, eo ipso intelliges, illos locos inter et eos, in quibus Jesu et Apostolorum ipsorum doctrina proposita est, pugnam veram non existere [4]).

4. Quaedam pugnarum genera discrepanti linguarum biblicarum indoli ac loquendi usui minus cognitis originem debent, quae proin comparata horum recta cognitione cessabunt [5]).

5. Quod difficultas non sit, si doctrina in N. T. respectu habito ad V. T. aut clarius proponitur, aut nova traditur, utique per se intelligitur [6]).

[1]) Hinc Act. II, 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi,* explanetur ex Matth. XXVIII, 19., ubi baptismi formula exactius definitur.

[2]) Locus I. Tim. II, 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit*, illustretur Genes. III, 1. sqq., ubi hac de re accuratior sermo est.

3) Quo referes, si Jesus, quando divinam suam naturam tueri intendit, se *aequalem* (unum) *cum Patre* Joan. X, 30. XVII, 21., quando vero humanam suam naturam potius attendi vult, se *minorem Patre* Joan. XIV, 28. dicit. Aliud exemplum habetur Ezech. XVIII, 20., ubi Deus per Prophetam dicit: filium non luere peccata patris, cum contra Deut. V, 9. dicatur: *Ego sum Dominus Deus tuus*, — — *reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem*. Qui loci inter se pugnare non videbuntur, si intellexeris, loquentem priori loco justitiae distributivae rationem habere, posteriori vero describi cursum providentiae ordinarium, vi cujus ex peccatis parentum mala redundant in filios, e. g. ex prodigalitate, ex vitiis carnis.

4) Huc spectat, si Jesus loquens de se modo humano accommodatione utitur, quia auditores nondum praeparati erant ad percipienda accuratiora, ut Joan XI, 34.: *Ubi posuistis eum?* Quae ergo non repugnant divinitati Jesu Christi, ab ipso ejusque Apostolis in aliis locis assertae. Sunt, qui et *Antichristum* I. Joan. II, 18. coll. I. Thess. IV, 15 — 17. huc trahunt, ac si Apostoli Christianos illius metu perculsos ad vigilantiam impellere voluissent, quin mundi finem adeo propinquum putaverint. Conf. Unterkircher, Herm. p. 242.

5) Sic usus loquendi biblicus rite cognitus componit controversiam inter II. Cor. V, 21., ubi Christus dicitur *pro nobis factus peccatum*, et I. Petr. II, 22. *qui* (Christus) *peccatum non fecit*. Constat enim, *peccatum* ex usu loquendi hebraico in s. Scriptura variae esse notionis, uti *peccatum*, *concupiscentia et fomes peccati*, *sacrificium pro peccato*, *poena peccati* etc., ut adeo in priori loco significet *hostiam pro peccato*, in posteriori *peccatum ipsum*.

[6]) Profecto nemo non videt, N. F. non contradicere A. F., si dogma de ss. Trinitate, cujus hoc vix obscura vestigia habet, clare proponit.

§. 155. Pugna locorum moralium.

Cum pugnarum locorum moralium iidem fere sint fontes, quam dogmaticorum, eaedem sunt illas tollendi rationes. Scilicet prodeunt hae pugnae:

1. Ex scribendi ratione minus exacta [1]).

2. E loquentium consilio, vi cujus quaedam ita dicuntur, ut non pro omni suo rigore sumi possint [2]).

3. Ex accommodatione morali, cujus gratia quaedam concedebantur [3]).

4. E diversa linguarum indole [4]).

5. Contradictionem moralem non esse, ubi leges quaedam A. F. in N. F. abrogatae aut mutatae fuerunt, per se intelligitur [5]).

6. Denique consilia a legibus discrepant, quod discrimen probe tenendum est [6]).

[1]) Sic Paulus 1. Cor. VI, 18. minus accurate scribit: *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat;* cum nemo nesciat, homines etiam frequenter violentas sibi inferendo manus, mutilando corpus, temerariis ausibus, gula aliisque vitiis in suum corpus peccare. Conf. §. 108. not. 3.

[2]) Hinc, quia Christus verbis Matth. V, 34. sqq. *„Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, — Sit vero sermo vester: Est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est,"* potissimum juramenti abusus, qui ejus tempore inter Judaeos irrepserant, dum vel res obvias sacramento confirmabant, vel certis quibusdam, iisque fallacibus formulis utebantur, perstringere, non vero justum ejusdem usum prohibere voluisse, merito censetur, hic locus non pugnat cum Matth. XXVI, 63., ubi Dominus ipse suae divinitatis professionem solemni quasi juramento confirmare non dubitavit, neque cum Rom. I, 9. IX, 1. II. Cor. I, 23. Philipp. I, 8. al.

[3]) Talis accomodatio est, si Act. XV, 29. concilium Hierosolymitanum interdicit esum sanguinis et suffocati caeterum licitum, quia ad cogitandi rationem et conscientiam Judaeo-Christianorum descendit.

[4]) Cujus generis est Luc. XIV, 26., ubi sectatores Christi jubentur *odio habere* μισῖν parentes, qui alibi liberis honorandi et amandi declarantur; etenim si respicis ad Matth. X, 37., ubi eadem ita traduntur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, verbum μισῖν ex ingenio linguae hebraicae ut, שָׂנֵא Genes. XXIX, 31. Malach. I, 3. coll. Rom. IX, 13., interpretandum esse: *minus diligere* (nempe parentes, quam Deum) liquet.

[5]) Huc spectat, si poena talionis et pluralitas uxorum in A. F. permissae in N. F. Matth. V, 38. XIX, 4—9. perfectiori Christi doctrinae non amplius convenientes interdicuntur. Conf. §. 147. not. 6.

[6]) Ita e. g., quod Jesus diviti adolescenti de vendendis et erogandis omnibus facultatibus in usum pauperum Matth. XIX, 21. per modum consilii dixit, ne sumas pro praecepto coll. Act. V, 4. Conf. §. 144. not. 7.

§. 156. Pugna locorum propheticorum.

Prophetis litem moveri non posse, si eorum vaticinia, ubi fuerint conditionata, conditione non posita eventum non habuerunt, docet Introductio in libros sacros A. F. (Vide Ackermanni Introd. §. 82). Hic sequentia tantum notamus:

1. Si Prophetae qua tales ipsi secum pugnare videntur, considerandus est diversus respectus, sub quo ob temporis, loci aliarumque circumstantiarum diversitatem vaticinii argumentum ponunt [1]).

2. Quaepiam Prophetarum vaticinia sunt merae imagines rerum futurarum multo cum ornatu propositae, in quibus proin explicandis rei summa quaerenda, non vero verbis inhaerendum vel ad minutias descendendum est [2]).

3. Quodsi in quibusdam vaticiniis plura ratione vel sensus vel eventus incerta sunt, pugnam minime adstrui posse, per se intelligitur, sed ignorantia adest, qua vel sensus praedictionis, vel hujus adimpletae relatio nos latet; quin sunt, qui quorumdam vaticiniorum eventum adhuc exspectandum existiment [3]).

1) Hinc pugna non est, si de Messia, ut Jes. XI. et LIII., jam magnifica jam humilia praedicuntur, sed diversa Messiae momenta, nempe vitae et mortis atque resurrectionis et ascensionis, nec non sessionis ad dexteram Patris attenduntur.

2) Ex hoc capite si praedictiones terrae motuum, defectionis solis et lunae, lapsus siderum etc. vere non evenerunt, nemo mirabitur, cum non sint, nisi grandiores magnarum rerum publicarum imagines, ita ut verba ipsa non sint urgenda. Conf. §. 111. not. 2. 3. Simili modo aetas Messiae a Prophetis saepius ita depingitur, ut non possis ad verbum interpretari, sed ut solum maxima, quae debebitur Messiae, felicitas praedicatur, cujus vero indolem vates ipsi non satis perspectam habuerunt. Conf. §. 85. not. 6. In interpretatione imaginum biblicarum singulas minutias non esse sectandas, §. 111. not. 10. monuimus.

3) Huc referenda sunt illa Prophetarum effata, quorum argumenti nulla vel nonnisi manca adest relatio, uti illorum, quae praedicta sunt Philistaeis, Moabitis, Aegyptiis et Aethiopibus, quorum eventus ostendi nequit, neque tamen negari jure potest. Nec illa vaticinia, quorum sensus sat obscurus et vix eruendus, vel quae nondum evenere, eventu caruisse dici posse, nemo non intelligit. Conf. Ezech. XL—XLVIII. Amos. IX, 11. sqq. coll. Rom. XI, 25. sqq.

TRACTATUS III.

DE LOCIS ANALOGIS.

§. 157. Quid sit analogia fidei seu doctrinae generatim sumta?

Fides dicitur summa veritatum theoreticarum et practicarum, quas aliqua societas religiosa suas fecit, sive in monumentis, quae

normalia veneratur, expresse sint contentae, sive ingenio doctrinarum in ipsis contentarum evidenter respondeant. Quodsi singula s. Scripturae effata ita exponuntur, ut ipsorum sensus complexui veritatum generalium, quas sacri scriptores eorumque discipuli docuerunt, conformis inveniatur, expositio juxta *analogiam fidei* *) seu doctrinae facta dicitur. Unde patet, quod loci analogi cum parallelismo reali didactico ita conveniunt, ut cum eo circa doctrinae congruentiam versentur, ab eo vero ita discrepant, ut non singulas ad eandem doctrinam pertinentes veritates, sed generalia solum principia tradant, neque semper ad verbum concepti, verum saepius ad totum solummodo doctrinae ingenium conformati in scriptoribus comparandis extent.

*) Rom. XII, 6. ἀναλογιά τῆς πίστεως non rationem fidei, sed mensuram donorum ob fidem subministratorum denotat coll. v. 3.

§. 158. Expositio juxta analogiam fidei non potest rejici.

Expositionem s. Scripturae juxta analogiam fidei fieri posse, imo debere, facile ostenditur. Nam

1. si dicta philosophorum singularia ex integra ipsorum disciplina, si leges ambiguae ex legislationis totius ingenio exquiruntur, cur id ipsum non de s. Scripturae sententiis valeat, quibus incertitudinis et ambiguitatis quidpiam inesse observatur?

2. Quamprimum corpus doctrinae apud asseclas societatis alicujus religiosae supponi debet acceptum, nullum illius societatis membrum alia tenuisse aut dixisse praesumendum est, quam quae illud corpus aut continet, aut certe non repudiat. Cum tale doctrinae corpus tum A. tum N. F. asseclis tribui debeat, et plurimae doctrinae utrique communes sint, eos disciplinae et peculiari sibi et communi convenienter sensisse ac dixisse, et propterea quidquid incerti vel ambigui habeant, ad istam doctrinae analogiam esse referendum et exponendum, merito censemus *).

*) „Auctoritas, quam haec analogia fidei in re exegetica habet, in eo consistit, ut sit fundamentum ac principium generale, ad cujus normam omnes scripturae expositiones tanquam ad lapidem lydium exigendae sint." J. J. Rambachii Institutiones herm. 1723. p. 72. Cum vero non solum singulae societates religiosae, sed etiam singuli fere interpretes sibi relicti pro ingenio suo doctrinarum complexum e sacris Judaeorum ac

Christianorum scriptis colligere et construere soleant, auctoritas analogiae fidei, quam generatim sumtum dicimus, quamque ipsi Protestantes, praecipue antiquiores admittunt, humana, et ita omni exceptione major minime est. De analogia fidei in sensu Catholicorum sermo erit Sect. II. Cap. II. §. 178.

§. 159. Principia expositionis ex analogia fidei faciendae.

In hujus jam expositionis usu tria videntur esse observanda, et quidem

1. Principia fidei, ad quae locus incertus vel ambiguus explorandus refertur, debent esse certa, alias enim ea auctoris fuisse, non esset certum.

2. Analogia fidei semper quidem negative valet, quia fidei contraria nullus hagiographus scripsisse putandus est.

3. Ast positive tum solum stringit, quando omnis expositio praeter unam repugnat fidei [1]). Quodsi ex pluribus expositionibus nulla fidem destruit, eidem conformior prae caeteris eligatur, quae ex psychologiae legibus verisimilior dici meretur [2]). Conf. §. 83.

[1]) Id valet de loco Joan. I, 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ubi σὰρξ necessario *verus homo* intelligatur oportet, quia quaevis alia interpretatio repugnat verae ac certae fidei de persona Christi.

[2]) Itaque Keilii elementa hermeneutica pag. 150. nimis restringunt hoc subsidium, si juxta ea „nonnisi eo adhiberi potest, ut ostendatur, sensum loci alicujus hunc vel illum esse *non posse*, neutiquam vero huic usui potest inservire, ut sensus loci ejus ope cognoscatur, quoniam exinde, quod auctor hoc vel illud dicere *potuerit*, nondum sequitur, id vere ab eo dictum esse." Rectius inter Protestantes Ernestius hujus analogiae vim probandi definit, in Insitut. interpretis N. T. Edit. V. p. 106. scribens: „Etiam analogia scripturae et doctrinae christianae in scripturis traditae semper debet esse ante oculos, ut ad eam dirigatur interpretatio, hoc est sic, ut primum nulla interpretatio probetur, quae sensum efficiat ei contrarium, deinde, ut in phrasibus durioribus, quae ei videantur repugnare, ad illam accommedemus interpretationem."

§. 160. Usus analogiae fidei pro A. F. interpretatione.

Operae pretium esse videtur, usum analogiae fidei paucis singillatim ostendere, et quidem ratione primum antiqui, dein novi, denique utriusque foederis, et demum ratione primitivae Ecclesiae.

Quod jam attinet A. F., revelationes patriarchis factae, inprimis lex mosaica efficiebant doctrinarum complexum, quas omnes Hebraei, nullo repugnante, ratas habuere, quibusque convenienter ex hac ipsa ratione loci A. F. fors ambigui, et qui contradicere illius veritatibus videntur, definiendi veniunt [1]). Quia tamen lex paedagogus noster fuit, ducens ad Christum [2]), et ita sapientiae divini legislatoris convenit, ut humanum genus a tenuioribus ad perfectiora, a facilioribus ad difficiliora perduceret, non mirum est, quod videmus, in libris A. F. divina consilia, inprimis illud de salvando homine per Messiam, sensim hominibus innotuisse, plura etiam primum tantum obscure adumbrata et dein secundum varias aetates quasi indies clarius fuisse revelata. Caveat igitur interpres, ne in usu analogiae A. F. ullum sensum verbis Scripturae tribuat, quem illius temporis conditio, qua liber exaratus est, non ferret [3]).

[1]) Sic Deus jam inde ab initio Geneseos per omnem saeculorum subsequentium seriem Dominus totius universi, spiritualis, sanctus et justus, et adeo eminens et sublimis describitur, ut ab omni affectu et labe humana et mutatione aut limitatione alienissimus cognoscatur. Conf. Genes. I, 1. sqq. Jes. XL, 13. 17. sqq. Deut. IV, 12. sqq. Levit. XI, 44. Deut. XXXII, 4. Ps. CXLV, 17. Genes. III, 9. sqq. IV, 10. sqq. VI, 1. VII. 31. Job. XI, 7—10. I. Reg. VIII, 27. Jerem. XXIII, 24. Ps. L. Num. XXIII, 19. I. Sam. XV, 29. Ps. CII, 26—28. Mal.. III, 6., quibus accenseri possent innumera Mosis, Prophetarum et Psalmorum effata, quae supremi numinis perfectiones aut diserte docent, aut notissimas ponunt. Quare loci, quibus Deus sistitur numen Israelitarum nationale, aut poenitentia ductus, aut dormivisse et evigilasse, aut descendisse, aut ei animi motus affectionesque attribuuntur, illis fidei hebraicae capitibus de Dei natura et attributis convenienter exponantur.

[2]) Ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν ἐις Χριστὸν, *Itaque lex nobis paedagogus fuit ad Christum*, i. e. cohibita hominum vitiositate perfectiorem Evangelii religionem praeparavit Gal. III, 24.

[3]) Quapropter interpres ea, quae Moses Deut. XII, 13. 14. coll. Levit. XVII, 4—7. praecepit de sacris in tabernaculo tantum aut templo faciendis, non exigat ad illa, quae Malachias scribit I, 11. „*Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*", quia in posteriori loco jam clarius praenuntiatur sacrificium N. F., cujus perfectior indoles Mosis tempore tali ratione nondum erat revelata.

§. 161. Usus analogiae pro N. F. interpretatione.

Magis adhuc conspicua est congruentia doctrinarum, quas libri N. F. complectuntur. Plures enim doctrinae Jesu Christi palmares ab omnibus certo et clare proponuntur, aliae ex ingenio integrae N. F. disciplinae evidenter cognoscuntur. Ad analogiam istarum doctrinarum omnibus communium ii Scripturae N. F. loci exigendi et explicandi sunt, qui illis minus convenire aut omnino contradicere videntur *).

*) Ad doctrinas, quas omnes N. F. auctores certo ac manifesto tenent, e. gr. spectant, Jesum Christum verum Deum simulque verum hominem esse; cum fide in Jesum Christum bona opera necessario esse conjungenda etc. Quae capita ex summa N. Foederis firmiter tenens interpres, Joan. XIV, 28. *Quia Pater major me est* et Marc. XIII, 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater* non de Christo Deo, sed de Christo homine, contra Joan. X, 30. *Ego et Pater unum sumus* non de eo homine, sed de eo Deo explicabit. Nec minus ex eadem N. F. doctrina intelliget, locum Joan. I, 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο exprimere sensum, eum praeter verum corpus etiam animam humanam assumsisse. Pari ratione effatum Pauli Rom. III, 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* ita exponendum est, ut cum Gal. V, 6. I. Cor. XIII. Jac. II, 14. sqq. et cum omni legislatione evangelica consentiat. Convenienter omni Evangelii ingenio etiam sententiae, quales sunt Matth. VI, 19. de non quaerendis thesauris terrestribus, et VII. 1. de vitando judicio cum restrictione intelligendae sunt.

§. 162. Usus analogiae fidei in utriusque Foederis expositione.

Cum Jesus non tam sustulerit, quam potius adimpleverit A .F. [1]), quippe qui legibus ceremonialibus, culturae ac circumstantiis illius temporis adcommodatis, sublimiorem cultum substituit [2]), doctrinas in A. F. vix indigitatas aut obscure tantum adumbratas perspicue proposuit [3]), alias ad majorem perfectionem perduxit [4]), imo et novas omnibus temporibus ac locis aptas adjecit [5]), non quidem promiscue doctrinae A. F. ad doctrinas N. F. et vice versa istae ad illas revocari et exigi possunt [6]); attamen haud pauca principia Bibliis superstructa Judaeis et Christianis sunt communia, quae propterea haud leve ad mutuam sententiarum utriusque foederis interpretationem subministrant [7]).

[1]) *Nolite putare*, ait Dominus Matth. V, 17., *quoniam veni solvere legem aut Prophetas, non veni solvere sed adimplere.*

[2]) Dum Judaeorum Deum colendi modum, externis potissimum ritibus occupatum et certo loco adstrictum, ad cultum evexit naturae Dei magis accommodatum, qui imprimis in interna hominis perfectione, recta nempe rerum divinarum cognitione atque integerrima vitae sanctitate ponatur, ubique terrarum peragendus Joan. IV, 21—24.

[3]) Huc spectat mysterium ss. Trinitatis, quod in antiqua lege vix obscure indicatum, Evangelium claris verbis docet. Conf. Matth. III, 16. 17. XXVIII, 19.

[4]) Inter capita ad majorem perfectionem perducta referimus matrimonium, quod Christus sublata polygamia et rejecto libello repudii legis mosaicae unum atque non solvendum declaravit. Matth. XIX, 5. sqq. Marc. X, 2—12. Luc. XVI, 18. I. Cor. VII, 10. 11. 39.

[5]) Ad nova per Christum data pertinent: Religio et Ecclesia omnibus gentibus destinata et accommodata atque usque ad finem mundi duratura; salutis subsidia efficacia, cujus generis sunt novae legis Sacramenta et Sacrificium Missae.

[6]) Profecto frustra se exerceret interpres, si in expositione A. F. omnes illas veritates, quas de tribus ss. Trinitatis personis, de gratia ac justificatione, de praestantia virginitatis cognovere Christiani, et in isto inveniri contenderet, et jam aetate legis mosaicae populo Hebraeo innotuisse vellet evincere. Vice versa duriora A. F. statuta de jure talionis, de conditione uxorum et servorum aliaque hujus generis ad legem charitatis et libertatis in N. F. commendatam exigere non licet.

[7]) Sic plures notiones de Deo, de providentia atque hominis dignitate, nec non leges morales Novum Foedus communes habet cum A. F.; quapropter sententiae biblicae, quae circa has res obscurae sunt, ex analogia utriusque foederis explicari possunt.

Licet vero, ut ex dictis patet, doctrinae N. F. illis A. F. perfectiores, magis completae ac perspicuae sint, repugnantiam tamen inter has et illas locum habere non posse ob divinam Scripturae originem, Sect. II. Cap. I. §. 170. dicetur.

§. 163. Usus doctrinae primorum Ecclesiae Patrum in expositione s. Scripturae.

Sicut ex assertis Xenophontis placita Socratis, magistri ipsius, edocemur, et generatim discipuli sententiarum, quas magistri profitebantur, difficiliorum optimi interpretes censendi sunt, suis effatis rationem subministrantes abstrusiora illorum sensa explicandi: ita quoque ex doctrina primorum Ecclesiae Patrum, qui Joannis, Pauli aliorumque Apostolorum discipuli, vel aetatis proxime sequentis fuerunt, jure merito eruendum est, quid Apostoli, adeoque quid ipse Salvator Jesus credendum agendumque proposuerit [1]). Unde ex natura rei jam nemo sanus traditionem

primitivae Ecclesiae pro interpretanda s. Scriptura rejicere potest[2]). Dolendum solummodo est, pauca tantum Patrum ex primis aerae nostrae temporibus restare scripta, quibus doctrinae christianae consignatae inveniantur.

[1]) Itaque ex antiquissimis Patribus, haud dubie viva Apostolorum eorumve discipulorum praedicatione instructis rite cognosces, verba Domini in s. Coenae institutione usurpata sensu proprio ac literali, et ita de vera, reali ac substantiali praesentia corporis et sanguinis Jesu Christi in Eucharistia esse accipienda. Juvat unum alterumve illorum Patrum nominare. Ignatius M. in epistola ad Smyrnenses haereticis adnumerat eos, qui non confitentur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est. Justinus M. Eucharistiam cum incarnatione comparat in Apologia I. „*Quemadmodum, inquit, Jesus Christus carnem et sanguinem exhibuit nostrae salutis causa, ita etiam eam alimoniam incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus.*" Eandem doctrinam habes in Irenaei libro V. advers. haeres. cap. II. n. 3., in Tertulliani libro de Resurr. carnis, cap. VIII. et libro IV. advers. Marcion., in Clementis Alexand. libro I. Paedag. cap. VI., ut mittamus citerioris aetatis hac de re testimonia, e. g. Cypriani in epistola ad Caecilium, Cyrilli Hierosolymitani in Cateches. mystagog. IV., Chrysostomi in hom. LX. aliorumque.

[2]) Analogiam fidei ita intellectam (quod nempe ab initio religionis christianae veritates principales exstiterint, non fundatae disertis ac indubitatis s. Scripturae testimoniis, attamen vel manifesto ex summa doctrinae ipsius resultantes, vel ab Apostolis ore traditae suis successoribus) interpretationis subsidium esse, ipsi Protestantes a partium studio remotiores agnoscunt, natura rei postulante, utut caeterum Ecclesiae et traditioni divinae nullam auctoritatem dogmaticam hac in re attribuentes. Ita in opere: Theologie und Dogma, oder über das Verhältniss der theol. Wissenschaften, Leipz. 1817. p. 46. legitur: Mit Unrecht hält man die Analogie der Lehre und des Glaubens für ein willkührlich erfundenes Gesetz aller verrufenen Dogmatiker, indem man nicht erkennt, dass sie ja ebenfalls vom Anfange der Wissenschaft für das Princip einer biblischen Interpretation gegolten hat und nothwendig gelten muss, wenn diese consistent, und nicht eine vage Profanauslegung der heiligen Urkunden seyn soll." Confer Augusti, Historisch-dogm. Einleitung §§. 8. 104. not. III. et Le Clerc, Briefe einiger holländischen Gottesgelehrten. T. I. p. 79.

Quodsi a quibusdam Patres doctrinae Christi et Apostolorum ex ingenio suo exornatae atque ad sententias et placita philosophorum, praecipue Platonicorum transformatae insimulati fuerunt, ab ista suspicione jam eo absolvuntur, quod nonnulli quidem Patres rationem scribendi philosophicam retinuerunt, placita vero philosophica, nominatim Platonica, religioni christianae adeo non immiscuerunt, ut potius illa ad hanc com-

probandam adhibuerint. Conf. C. A. Theoph. Keil, Diss. de Patribus a culpa corruptae per philosophiam Platonis doctrinae christianae liberatis, et J. Fr. Baltus, defense de saints Péres accusès de Platonisme. Paris 1711.

De auctoritate dogmatica, qua unanimis Patrum consensus ad interpretandam s. Scripturam in rebus fidei et morum apud Catholicos gaudet, sermo erit sect. II. Cap. II. §. 180.

§. 164. Conclusio Sectionis.

His itaque ea, quae ex Hermeneutica universali petimus, principia pro reperiendo sensu biblico absoluta existimamus. Exposuimus enim omnia, quae tum ad indolem et fontes usus loquendi, tum ad legum universalium efficaciam spectant, vi cujus cogitatus loquentis verbis expressi ea virtute gaudeant necesse est, ut inter se cohaereant, et cum relationibus loquentis conveniant, ita quidem, ut respecto orationis contextu et auctore, quae usus loquendi obscura, incerta et vaga reliquit, illustrentur et determinentur. Quibus capitibus pertractatis in subjecta speciali praeceptione ostendimus, quantopere interpres per plures locos inter se comparandos in explorando usu loquendi et adhibendis iis subsidiis, quae ex cogitandi legibus derivantur, adjuvetur. Cum jam loquens biblicus, si s. Scriptura ex humana tantum indole spectatur, sicut quilibet alius loquens cogitatus suos cum aliis communicaturus, a loquendi consuetudine auditorum lectorumve et ab universalibus ideas procreandi et consociandi normis unice pendeat, et in his tanquam conditionibus omnis cujusvis orationis mere humanae sensus explorandi apparatus resideat (§. 13), patet Hermeneuticae universalis ad s. Scripturam applicatae ea subsidia, quae ad sensus inventionem faciunt, praeceptis hujusque traditis esse absoluta.

Cum vero s. Scripturae ea sit origo, ut in ipsius elucubratione praeter humanam scriptorum industriam etiam divina operatio efficax fuerit, interpres biblicus peculiarium quoque, quae ex divina Bibliorum promanant indole, legum rationem habeat necesse est, de quibus jam in Sectione altera dicemus.

SECTIO II.

DE SENSU EXPLORANDO PER LEGES INTERPRETANDI SACRAE SCRIPTURAE PECULIARES.

§. 165. Sectionis divisio.

Leges peculiares, quae in explorando sensu s. Scripturae, cujus non humana solum, sed divina simul est indoles, aeque ac leges Hermeneuticae universalis in subsidium vocandae ob rei gravitatem singularem interpretis attentionem postulant, commode ad tria possunt referri capita. Licet enim, quantum eas attinet, respicere ad revelationem per auctores inspiratos literis consignatam tum *in se spectatam*, tum *in nexu cum magisterio Ecclesiae catholicae*, tum denique *in relatione ad singularem communicandi cogitatus cum aliis rationem*, qua loquentes biblici usi sunt.

Primum quod attinet, quia hagiographi veritates divinitus patefactas, afflatu Spiritus sancti ducti et ab omni errore immunes servati, literis consignarunt (§. 7. not. 1), ex natura rei *intelligitur*, hanc *divinam Scripturae originem jam in se spectatam ab interprete speciales reposcere respectus*. Dein, quia extra dubium positum est, religionis nostrae auctorem totum doctrinae revelatae corpus Ecclesiae suae, perpetuo Spiritus s. auxilio rectae, utpote infallibili custodi, judici atque interpreti concredidisse, *in catholica Ecclesia s. Scripturae*, quae partem solum totius doctrinae revelatae literis mandatam complectitur (§. 135), *authentica interpretatio habetur*, quippe quae ab ipso ejusdem auctore cum proficiscatur, interpreti biblico summa, qua par est, veneratione audienda et amplectenda est. Denique quia, ut liquebit, negari non potest, sacros scriptores aliasque personas biblicas, divina auctoritate loquentes, numine quoque divino in loquendo ita fuisse ductos, ut eorum orationi in quibusdam locis — quae quidem ratio a vulgari cum aliis communicandi cogitatus discedit — duplex subjiceretur sensus, nimirum praeter literalem sublimior, hujus quoque *duplicis sensus in expositione s. Scripturae justa ratio habenda est*. Quapropter in hac Sectione agendum erit:

I. De sensu explorando ratione habita divinae s. Scripturae originis in se spectatae.

II. De authentica Ecclesiae catholicae interpretatione, et denique

III. de duplici quorumdam locorum sensu.

CAPUT I.

LEGES EXPLORANDI SENSUM S. SCRIPTURAE RATIONE HABITA DIVINAE EJUS ORIGINIS IN SE SPECTATAE.

A.

§. 166. Quaenam ratione divinae Bibliorum originis in se spectatae interpreti generatim incumbant.

Quia hagiographi veritates divinitus sibi demandatas afflatu Spiritus ducti et ab omni errore praeservati literis consignarunt, interpretis biblici est, habita hujus divinae originis ratione eo singulari diligentia eniti, ut e verbis illorum accurate eas notiones ac sententias eruat, quas ipsi divino numine directi mente conceperunt, et scribentes cum lectoribus suis communicarunt (§§. 3, 7). Qua in re ut feliciter progredi possit, praevie in interprete requiruntur rerum divinarum notitia et studium, mentis puritas atque sinceritas, imo animus divina gratia ita dispositus, ut cum auctoribus sacris quasi aliquam mentis et animi affinitatem contrahat, et ad capienda, quae sunt spiritus divini, sicque ad percipiendas Dei revelationes efficiatur idoneus [1]). Dein in ipso interpretationis negotio interpres, quia sancta sancte tractanda sunt, libros sacros eximia cum reverentia ac pietate tractet et prosequatur [2]). Inde sequentem regulam generalem statuimus: *Sacrae Scripturae interpretatio ita moderanda est, ut revelationis ac inspirationis praerogativae, qua gaudet, respondeat.*

Ex hac regula, quae caeterum perspicua facile intelligitur, plures leges speciales tum ratione revelationis, tum ratione inspirationis, tum ratione utriusque sponte sequuntur, quae vero non sunt, nisi uberior hujus unius regulae circa varios respectus applicatio.

[1]) *Animalis homo*, ait s. Paulus I. Cor. II, 14., *non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* A quibus non abhorrent, quae s. Bernardus in epistola ad Fratres de monte Dei (lib. I. cap. 10. Opp. edit. Ben.

T. II. p. 31.) etiam atque etiam commendavit: „*Quo enim Spiritu*, inquit, *Scripturae factae sunt, eo Spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendae sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonae intentionis in lectione ejus et studio assiduae meditationis spiritum ejus inbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus.*" Conf. Bossuet, defense de la Tradition et des Péres. Liv. IV. chap. 15. v. 18.

*) Non minus accommodate quam vere Clem. Laurent. Gratz in Commentatione de Codice sacro interpretando (Campod. 1832) pag. 51. scribit: „*Quomodo interpretatio grammatica et historica in philologia classica ad Graecorum et Latinorum opera egregia intelligenda non omnia praestat, sed etiam sensus aestheticus requiritur: sic in exegesi biblica sensus pietati addictus ad s. literas rite intelligendas omnino est necessarius, ne interpres inutilia, vana et perniciosa sequatur.*"

B.

LEGES SPECIALES.

I. RATIONE REVELATIONIS.

§. 167.

1. *Sententiae, quas in sacris literis personae divina revelatione gaudentes qua suas enuntiant, ita interpretandae sunt, ut earum veritas in tuto sit.*

Equidem interpres, qui alia quam universalia interpretandi praecepta non sequitur, licet ejus non sit, nisi explorare, quis sit genuinus loquentis sensus, non vero in examen objectivae sensus inventi veritatis descendere (§. 2), cavebit, ne sententias virorum gravium, quales inprimis sunt Prophetae ac discipuli Domini in s. Scriptura loquentes, ita exponat, ut veritas earum in dubium vocetur, aut omnino aliquid falsi vel absurdi eis aspergatur. Quod vero si evitare non possit, quin textui vim inferat, sciens homines errare posse, ab ulteriori conatu, veritatem objectivam salvam ponendi, et sententias, quae falsae et absurdae esse intelliguntur, in veras ac commodas convertendi abstinebit, admisso sensu, quem ipsius interpretandi principia qua vere a loquente spectatum exhibent.

At interpreti biblico, cui persuasum est, s. Scripturam esse divinae revelationis codicem, adhuc alia incumbunt. Etenim quia hic codex complectitur Evangelium, *quod promissum ante per*

Prophetas Dominus noster Jesus Christus, Dei filius suo ore primum promulgavit, dein per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari jussit [1]), Dei revelantis auctoritas et doctrinae revelatae ab omnibus hominibus fide divina credendae sanctitas merito postulant, ut etiam istae personae biblicae, per quas Deus tanquam per legatos suos et praecones suae sanctissimae voluntatis locutus est, omnis erroris expertes habeantur ita, ut quaecunque ab eis qua talibus enuntiantur, prorsus vera censenda sint [2]). Inde facile sequitur, interpretis esse, ejusmodi enuntiationes eo sensu accipere, quo veritati objectivae conformes sint, eumque nullam expositionem s. Scripturae sibi permittere posse, qua fides personarum divino afflatu loquentium quoquo modo in dubium vocetur aut plane evertatur, dum eorum effatis aliquid falsi aut certis rationis dictaminibus contrarii tribuitur. Quapropter, ubicumque dicta talium personarum a ratione discrepantia invenerit, ea conciliare omni, quo fieri potest, modo studeat necesse est. Et quidem, ubi s. Scriptura contraria est claris, certis ac stringentibus rationis effatis, eam ita interpretari conabitur, ut his non repugnet; contra, ubi s. Scriptura clare et absolute loquitur, ei rationem contradicentem accommodare studebit. Quodsi vero eloquia personarum, quae divinae revelationis ope loquuntur, omnibus Hermeneuticae subsidiis diligenter et caute applicatis a pugna cum ratione liberari non possint, potius a suis principiis aliquid remittat interpres, vel defectum criticum aut exegeticum subesse autumet, vel suam ignorantiam fateatur, quam ut illis loquentibus aliquid falsi et sanae rationi repugnantis attribuat [3]).

Pari submissione ac reverentia interpres etiam prosequatur textus A. F., quos Christus ejusve discipuli in N. T. allegarunt. Licet enim sensus, quem locis laudatis tribuerunt, in iis per communes interpretandi leges deprehendi non possit, accipiendus tamen est, quam primum certo constat, a personis divina auctoritate docentibus creditum fuisse, hunc sensum istis locis reapse subesse [4]).

Ex dictis sequentes regulas speciales derivamus:

a) Ubi interpretanda sunt effata personarum divina auctoritate loquentium, veritas hermeneutica seu expositionis veritatem objectivam, seu argumenti veritatem includat necesse est. Proin

a veritate expositionis ad veritatem argumenti, et vice versa a falsitate argumenti ad falsitatem expositionis recte concluditur [5]).

b) Quodsi s. Scriptura quidquam, quod ad scientias profanas rationis lumine inventas spectat, clare et evidenter enuntiat, harum divergentia praecepta illi subjicienda sunt. Si vero aliquid in quadam disciplina profana evidenter verum est, s. Scriptura, si videtur alia habere, juxta notam et evidentem illius veritatem explicari debet [6]).

c) At licet rejiciendus sit sensus, qui sanae rationi evidenter repugnat, seu ut schola loquitur, qui est *contra rationem;* minime tamen illum repudiare licet, qui *supra rationem,* ut jam ex indole revelationis divinae in s. Scriptura obviae intelligitur [7]).

d) Denique accomodatio dogmatica, quae §. 120. ut falsa gravibus argumentis profligata est, eo etiam ut impia plane damnanda est, quod divino Christi ejusque legatorum characteri adversatur, imo omnem religionem revelatam in sacris literis tollit.

1) Conf. Concil. Trident. Sess. IV. Decretum da canonicis Scripturis.

2) Hoc passim inculcat s. Augustinus, praesertim epist. LXXXII. ad Hieronym. n. 3., ubi scribit: *Ego — — solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse credam.* Et in epist. XXVIII. ad eundem n. 3 ait: *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit, quae non utcunque videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis.* Conf. etiam ejusdem lib. II. de consensu Evang. cap. II. Quia vero absoluta veritas personis biblicis solum competit, ubi divina auctoritate gaudentes loquuntur, ad eas sententias non est referenda, quas suo ipsi ingenio relicti enuntiarunt, uti e. g. Apostoli ante effusionem Spiritus s. Matth. XVIII, 1. Marc. X, 35—38. Joan. IX, 2. Act. I, 6.

3) Idem jam pridem a. s. Augustino lib. II. contra Faust. cap. II. observatum fuit: *„Ibi* (in Scripturis) ait, *si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.*"

4) Conf. de ejusmodi citatis infra Sect. II, cap. III. §§. 190 — 192.

5) Sic e. g., quia de veritate expositionis, quae verba Domini: *Hoc est corpus meum,* et: *Hic est sanguis meus* etc. Matth. XXVI, 26. 28. in sensu literali ac proprio sumit, attentis sanis interpretandi legibus nullus dubitandi relinquitur locus, recte concluditur, etiam doctrinam, quae verbis ita acceptis enuntiatur, verissimam esse, ita, ut nulla hic agnos-

catur substantia alia, quam quae iisdem verbis designatur, hoc est verum Christi corpus verusque sanguis, in quae panis et vinum conversa sunt. Contra, si quis locum Matth. XII, 31. 32. de peccato in Spiritum s., quod *non remittitur in hoc saeculo, neque in futuro*, vel illud Hebr. VI, 4. sqq. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati — — — — et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam*, ita intelligendum censet, ut statuat, esse peccata, quae in his locis commemorantur, tam gravia, ut condonari ministerio Ecclesiae nullo modo possint, verbis Christi ejusque Apostoli sententiam falsam obtrudit; quapropter recte concluditur, illam expositionem mendosam esse.

6) Ex hoc capite, si Moses Genes. I, 16. scribit: *Fecit Deus duo luminaria magna* (solem et lunam), et Josue X, 12. 13. legitur, ad mandatum hujus ducis *stetisse solem in medio coeli et non festinasse occumbere spatio unius diei*, licet nostris temporibus nemo astronomiae vel parum peritus nesciat, lunam omnium corporum coelestium facile esse minimum, et solem loco non moveri, sed stare, terram vero circa eum agi, interpres salvis astronomiae legibus statuet, s. Scripturam eas res ita, ut esse videntur, exposuisse, ad captum hominum incultorum descendens, Conf. Keppler, Epitome astronomiae copernicanae p. 138.

7) Etenim revelatio immediata seu stricte talis recondit veritates, in quarum ratio humana sibi relicta nunquam venire potuisset cognitionem.

§. 168.

2. *Quam ob rem, ubi opus fuerit, etiam quaedam Hermeneuticae universalis praecepta restringenda sunt.*

Divina revelatio sacris literis consignata non solum quasdam peculiares interpretandi leges praescribit, sed etiam quaedam Hermeneuticae universalis praecepta nonnisi cum restrictione applicari permittit. Ea enim est conditio revelationis divinitus nobis benignissime concessae, ut, licet non complectatur rationi contraria, quia Deus revelationis et rationis auctor sibi contradicere non potest, multa tamen patefaciat nobis, quae ratio nostra capere nequit, utpote modum, quo existunt, non perspiciens. Inde facile intelligitur, subsidia, quae in natura rei (§. 94), in materia substrata (§. 132), et quoad metaphoras cognoscendas in applicato nexu logico (§. 114.) posuimus, ad interpretationem factorum et explicationem doctrinarum sublimiorum ac rationem humanam superantium, quo spectant miracula, vaticinia et mysteria fidei, referenda non esse, cum omnia quoad existentiam quidem constent, sed quoad modum existendi et quoad omnes qualitates suas nec declarari, imo nec innotescere possint.

Et primum quidem, quod attinet subsidium e natura rei petitum, vi cujus ex natura subjecti notio praedicati et vicissim eruatur, in factis et veritatibus leges naturae et captum rationis humanae excedentibus locum non habet, quia de his justa subjecti et praedicati ac intrinseci eorum nexus, sicut et rationis, quae inter causam et effectum intercedit, notitia haberi non potest [1]). Dein nec regula, quam de interpretatione singularum expressionum et notionum amplexanda vel rejicienda pro ratione convenientiae aut repugnantiae ipsius cum materia substrata statuimus, potest applicari, cum materia substrata ipsa quoad naturam suam non sit satis cognita, si factum incognitum, miraculum aut mysterium proponitur [2]).

Simili modo denique restringenda sunt, quae de nexu logico ad metaphoras interpretandas applicando diximus. Equidem, ut observavimus, si subjectum et praedicatum ita comparata sunt, ut alterum alteri proprie convenire non possit, alterutrum tropicum sit oportet, dummodo utrumque bene cognitum, et repugnantia aut absurditas, quae ex significatione propria oriretur, aperta sit. At haec regula caute tantum adhibenda est. Praeterquam enim, quod judicium de absurdo in veritatibus revelatis, inprimis mysteriis, non levi periculo errandi est obnoxium, quia id, quod est difficile intellectu, vel rationem humanam plane superat, hominibus suae ipsorum solum intelligentiae insistentibus facile absurdum videri potest, et teste experientia revera visum est [3]), cavendum quoque erit, ne illa, quae de Christo Θεανθρώπῳ praedicantur contraria, ad hanc regulam exigantur. Nam sicut de homine, cujus corpus et animum spectamus, vere et proprie contraria edicuntur, ita etiam de Christo Deo-homine propter duas unius personae naturas contraria, nempe divina et humana, vere et proprie dicuntur [4]).

1) Sic baculus, quo terra pulsabatur, e natura sua non potest producere aquam, ut Exod. XVII, 6. factum legimus. Nec Matth. XXVI, 26. 28. ex natura rerum, quas Jesus in manus accepit, posset erui, adesse corpus et sanguinem Domini in sensu proprio; id solum ex claris ipsius verbis discitur.

2) Illud Act. VIII, 39. „*Spiritus Domini rapuit Philippum*," si modum spectas, explicari nequit, nam actio non est humana. Cujusmodi sunt alia multa. De talibus miraculis, sicut de visionibus et revelationibus supernaturalibus, quae Paulo contigisse narrantur II. Cor. XII, 2 — 4.

et quae sunt alia hujus generis, cum Apostolo dicendum est: *Nescio, Deus scit.*

3) Unde Calviniani realem Christi praesentiam in Eucharistia negantes, in interpretandis verbis institutionis: „*Hoc est corpus meum*" perperam ad figuras confugiunt et sensus metaphoricos, quia ipsis absurdum, imo impossibile videtur, idem corpus eodem tempore in pluribus locis esse. Etenim ad judicium rationis humanae revocare non licet, quae ad forum humanum ex natura sua non pertinent. Cum divinae institutionis verba realem Christi praesentiam in Eucharistia perspicue enuntient, corpus Domini naturale et proprium adesse in omnibus locis, ubi Eucharistia celebratur, aut asservatur, credendum est, quamquam, quo id modo fiat, minime intelligatur.

4) Ita de Christo in s. Scriptura contraria leguntur, nempe: eum de coelo, ex coelo descendisse, in principio apud Deum fuisse, gloriam apud Deum habuisse, antequam mundus factus fuisset, et contra: eum e virgine natum esse, profecisse gratia coram Deo et hominibus, esuriisse, contristatum, imo et mortuum fuisse etc.

II. RATIONE INSPIRATIONIS.

§. 169. Quae referunt hagiographi, ita interpretanda sunt, ut veritas historica servetur.

Sicut revelatio, ita etiam inspiratio, qua hagiographi gaudebant, interpreti biblico peculiares cautiones praescribit, quas Hermeneutica universalis ignorat.

Equidem jam interpres legibus solum Hermeneuticae universalis insistens, in historicis, de quorum dexteritate et sinceritate constat, et proin praecipue in historicis biblicis, qui hac in re omni exceptione majores sunt, exponendis omnem navabit operam, ut a quavis interpretatione abstineat, qua fides narrationis quoquo modo laedatur, aut plane scriptor sibi ipsi vel aliis auctoribus probatis contradicere ponatur (§§. 151—153). Quodsi vero alicubi omni, qua fieri potest, diligentia et cautione, quin textui vim inferat, eo pervenire non valeat, ut veritas historica in tuto ponatur, officio Hermeneuticae universalis se satisfecisse existimabit (§. 3), interpretationi, quam adminiculis illius undequaque discussis fundatam viderit, acquiescens, ulteriori veritatis historicae cura critico historico relicta.

At munus interpretis historiae biblicae, qui ejus scriptores praerogativa inspirationis gaudere credit, his nondum absolvitur. Qui enim justae inspirationis notioni innixus auctorem utriusque

Testamenti Deum habet, falli et fallere nescium (§. 7), necessario quaecunque ab historicis inspiratis referuntur, quippe divina auctoritate confirmata, praevie verissima esse existimabit, firmissime tenens, omnia relata reapse ita contigisse, prout referuntur.

Hac persuasione ductus nihil sibi religiosius habebit, quam ut omnes auctorum sacrorum narrationes eo modo exponat, ut veritas earum historica salva persistat. Neque ejusmodi interpres se officio, veritatem narrationum biblicarum tuendi, satisfacere posse credet, si scriptorem a fonte suo ita distinguat, ut error ab illo ipso eatenus removeatur, quatenus in fontem, quo usus fuisset, rejiciatur, quia hoc non obstante auctor divino numine adjutus in consulendis ac aestimandis fontibus errasse, et eorum auctoritate deceptus falsa retulisse diceretur [1]).

Non minus etiam a judiciis et reflexionibus, quae ab hagiographis hinc inde dictis et factis biblicis subjiciuntur, omnis error abesse dicetur, quia personae divino afflatu directae nec in his alucinari potuerunt [2]). Quid plura? Tantam divina inspiratione gaudentibus interpres auctoritatem attribuet, ut eam nulli alteri postponendam existimet, et potius leges Hermeneuticae non sufficientes, vel a se non rite applicatas, paucis se errasse confiteatur, quam ut sensum, utut communibus interpretandi adminiculis conformatum, tueatur, quo, quae a viris inspiratis sunt relata, falsa esse dicerentur.

Inde jam sua sponte sequentia prodeunt consectaria:

a) Ubi historia sacra rite exposita cum historia profana conciliari nullo modo potest, auctoritas divina humanae praeferenda est, narratione historici profani ei, quam hagiographus dedit, posthabita [3]).

b) Ea vero interpretatio, qua auctor inspiratus vel secum ipso, vel cum alio scriptore inspirato vere pugnare ponitur, ut certe falsa repudianda est.

1) Hinc minime probari potest, quod plures interpretes rationalismo addicti discrepantias auctorum fonti minus certo ac liquido, puta archetypo divergenti, vel narratiunculae viva voce propagatae, et propterea adulteratae attribuunt. Huc spectat discrepantia Matthaei VIII, 28, qui duos daemoniacos Gadarenos commemoravit, a Marco V, 2. et Luca VIII, 27., qui unius tantum mentionem fecerunt, ad quam Dr. Paulus (Krit. histor. Commentar. ad l. c. Matth.) opinatur, narrationem de duobus daemoniacis

inde ortam esse, quod, qui primi rem narrassent, plura daemonia memorassent coll. v. 31., inde conclusum fuisse, plures, certe duos daemoniacos a Jesu fuisse sanatos, Matthaeum autem ipsum sanationi non interfuisse.

[2]) Ejusmodi observationes praecipue in Joannis Evangelio narrationi rerum gestarum ab auctore frequenter adjiciuntur, uti II, 19. coll. 21. XI, 51. XII, 4—6. XXI, 19. 23.

[3]) Quare, ut rem exemplis illustremus, si Moses scribit, Israelitas jussu Dei ex Aegypto egressos esse, ut occuparent regionem Canaan, Aegyptios vero eos dimittere noluisse (Exod. V.) Tacitus autem (Annal. I XXI) refert, Aegyptios a Deo Hammone jussos fuisse, Hebraeos morbo contagioso infectos, Diisque invisos Aegypto pellere; si porro Evangelistae contendunt (Matth. XXVI, 74. Marc. XIV, 68. 72. Luc. XXII, 60. Joan. XVIII, 27.) a Petro in domo Caiphae gallicinium fuisse auditum, contra Talmudici (vide Lightfootum in Horis hebr. et talm. ad Matth. XXVI, 34.) tradunt, Judaeos Hierosolymis non aluisse gallos: praeterquam quod scriptores biblici, utpote testes coaevi, sola fide humana spectata laudatis auctoribus profanis longe potiores sint, auctoritas divinae inspirationis contra priores posterioribus fidem habere plane vetat. Ex eadem ratione reprobamus interpretationem Act. V, 36. de impostore *Theuda*, qua H. A. W. Mayer (Krit. exeg. Kommentar ad h. l.) Lucam Josepho (Antiq. XX, 5. 1.), cui quoad chronologiam contradicit, postponit, ipsi vel fonti, ex quo hausit, errore prolepseos imputato.

III. RATIONE REVELATIONIS ET INSPIRATIONIS SIMUL CONSIDERATAE.

§. 170. Doctrinae biblicae ita interpretandae sunt, ut concordent.

Postquam de vi, quam in interpretatione s. Scripturae revelatio et inspiratio seorsim spectatae habent, loquuti sumus, restat, ut ostendamus, quid consideratio utriusque conjunctae interpreti injungat. Id ex natura rei facile intelligitur. Si enim sacri libri complectantur doctrinas divinitus revelatas, quae insuper ab auctoribus divino auxilio directis et ab omni errore praeservatis literis consignatae sunt, in omni argumento Deo interveniente communicato et conscripto plane consentire debent, et proin ita exponendi sunt, ut concordent. Equidem si in nullo auctore sanae mentis ac cordato de eadem doctrina disserente nec cum semetipso nec cum alio probato scriptore contradictio facile admittenda est, auctores biblici ex humana solum indole spectati ab ejusmodi repugnantia multo magis alieni censendi sunt, quia generatim cunctorum utriusque Foederis auctorum idem consilium fuit (§. 133), et omnes scriptores A. F. iisdem legibus Mosaicis, et auctores

N. T. disciplinae ejusdem magistri, qui legislationem mosaicam non solvit, sed adimplevit, adhaeserunt (§. 147. not. 6).

Verum, quia teste experientia homines nulla in re magis in partes diversas trahantur, quam in placitis religiosis, ita ut vix duo inveniantur, qui circa unum eorum alterumve caput in omnibus momentis plane concordes existant, et ne iidem quidem auctores sententias suas tam firmiter constanterque teneant, ut successu temporis eas non varient, neque interpres biblicus auctores exponendos nulla divini auxilii ratione habita, quo fuerunt instituti et in veritate custoditi, in omnibus plane consentientes praevie supponere potest. Quae cum ita sint, quemvis auctorem biblicum quoad sententias, quas profitetur, seorsim consideratum primum et potissimum ex semetipso, respectu habito cogitandi rationis ipsi peculiaris, explicabit, et hoc solum eatenus, quatenus eum de eadem re loquentem ubique consequentem ac constantem invenerit. Dein quidem alios etiam auctores biblicos in comparationem adducet, sed tunc solum et eatenus, quando et quatenus ea eorum vitae circumstantiis et scriptis sufficiens habetur ratio assumendi, eos circa objectum interpretationis idem plane sentire.

Ast longe alia ratio sequenda est interpretationi biblicae, quamprimum interpreti persuasum est, libros exponendos complecti doctrinas a Deo revelatas, quas insuper scriptores divino auxilio adjuti sine omni immutatione et erroris admixtione literis mandarunt. Verum quidem est, etiam auctores sacros divinam revelationem literis consignantes ita versatos fuisse, ut non solum alii alio, sed iidem quoque diversis in locis eandem doctrinam diverso modo repraesentarent et exornarent, aut de eadem pro adjunctorum vel consilii diversitate modo hoc modo illud momentum inculcarent, modo plus modo minus, cum majore vel minore exactitudine dicerent. Nec minus concedendum est, legem mosaicam eo consilio latam, ut perfectiorem Christi religionem praepararet (§. 134). Quapropter sapientis paedagogi instar se conditioni generis humani accommodans difficiliora vel minus necessaria alia, saltem ab initio, prorsus non tradidit, alia obscure tantum adumbravit, quae per Christum demum plene et clare annuntianda erant. Ast non obstante hoc vario ac diverso, quo auctores biblicos, praecipue si illos V. T. prae caeteris antiquiores cum iis, qui N. T. scripserunt, comparaveris, ambitu

et forma doctrinae usos fuisse vides, praevie assumendum et firmiter tenendum est, omnes Spiritu s. ductos in fidei morumque doctrina consentire, ita ut minime audiendi sint, qui doctrinam Pauli inter et Jacobi, Joannis et Petri aliorumque multum discriminis esse statuant. Etenim si diversi auctores biblici quoad eandem revelationis doctrinam in rei substantia discrepantia aut plane repugnantia eloquerentur, Spiritus s., qui revelationis ac inspirationis auctor est, secum pugnaret, vel plane sibi contradiceret, quod cogitari nequit.

Inde pro interpretatione biblica sequentia derivantur praecepta:

1. Scriptores sacri, quod spectat doctrinas revelatas, ita interpretandi sunt, ut singuli cum semetipsis, et alter cum altero consentiat. Quodsi per leges Hermeneuticae universalis iste consensus obtineri nequit, ab illis tantum recedendum est, quantum necessarium est ad concordiam doctrinae servandam [1]).

2. Hac doctrinae biblicae concordia pro fundamento posita singuli auctores non solum ex semetipsis, sed etiam alter ex altero ea, quam assignata varietas exigit, cautione adhibita supplendi, illustrandi et explicandi sunt, quia in summa rei doctrina unius etiam doctrina alterius est, et omnes, quod pertinet ad singula fidei et morum capita, quod de eis accepta divina revelatione scripserunt, idem tenere censendi sunt [2]).

[1]) Ipsi Protestantes, qui a rationalismo caeteris remotiores justam revelationis ac inspirationis notionem tenent, doctrinae biblicae concordiam (harmoniam) interpreti s. Scripturae non negligendam statuunt. Brevitatis causa missis aliis solum A. D. Chr. Twesten, inter Theologos Acatholicorum celeberrimum, allegamus, qui in opere: Vorlesungen über die Dogmatik der evang. luther. Kirche. Hamb. 1829, pag. 456. haec scribit: „Die Voraussetzung einer durchgängigen Harmonie und Einheit der Bibellehre ist von der Anerkennung der Offenbarung und Inspiration gar nicht zu trennen. — In der neuern Zeit hat man sich freilich bemüht, die eigenthümlichen Verschiedenheiten der biblischen Schriftsteller nicht bloss in der Darstellung, sondern auch in der Auffassung der Wahrheiten des Christenthums bemerklich zu machen. Diess darf aber nie so weit gehen, dass die Idee der Glaubensanalogie dabei Gefahr liefe. Denn wäre wirklich Christus eigene Lehre von der des Johannes, diese von der des Paulus u. s. w. so abweichend, wie einige scheinen behaupten zu wollen, so wäre kaum begreiflich, wie eine in sich so zweifelhaltige, einer wahren innern Erkenntniss ermängelnde Erscheinung bloss menschlich

angesehen zu solcher historischen Bedeutung hätte gelangen können, viel weniger, wie sie als göttliche Offenbarung zu halten sey."

[2]) Hinc e. g. non obstante hac harmonia a nobis vindicata facile largimur, claram doctrinam de Trinitate, qualem Christus, unigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris (Joan. 1, 18.), enarravit, in libris V. F. non reperiri. Non minus concedimus, doctrinam nostram de purgatorio, qualem in citerioribus aetatis libro V. F. II. Machabaeorum XII, 43. sqq. et in N. F. praecipue annuntiatam invenimus, scriptoribus antiquissimis, uti auctori libri Josue aliive ejusdem aevi nondum fuisse revelatam. Caeterum, licet analogia doctrinae biblicae ex sua origine divina consideratae longe firmiori, quam philosophorum rationes, fundamento innitatur, quia tamen, ubi homines sibi solis relicti Scripturam interpretantur, indoles hujus analogiae ab interpretum intelligentia pendet (§. 158. [1]), principium omni exceptione majus demum erit, ubi judicio Ecclesiae catholicae definita fuerit, uti Cap. sequenti §. 178. videbimus.

Quod attinet leges interpretandae s. Scripturae peculiares ratione divinae originis in se spectatae legi merentur: D. Czerny, Institutiones Hermeneut. lib. I. cap. V. cap. VII. §. III. Mich. Arneth, Die Unterschiede zwischen der bloss rationellen und katholischen Schriftauslegung. Linz 1816. p. 47—70. J. Ranolder, Hermeneutica bibl. generalis P. II. §. 48. Inter Protestantes ex professo et erudite hac de re scripsit Augusti in opere laudato: Versuch einer historisch-dogmatischen Einleitung in die heil. Schrift.

CAPUT II.

DE AUTHENTICA ECCLESIAE CATHOLICAE INTERPRETATIONE.

§. 171. Notio hujus interpretationis et conspectus dicendorum.

Quemadmodum revelatio divinitus concessa et ab auctoribus inspiratis literis consignata, in se spectata interpreti plura peculiaria injungit munera, ita etiam *ob nexum cum Magisterio Ecclesiae catholicae*, cui ipsius interpretationem ex divina dispositione commissam credimus, singularia observanda praescribit.

Cujus generis interpretio, si reapse locum habet, omni exceptione major, et in sensu strictissimo *authentica* dicenda est. Authentica enim interpretatio dicitur, quae ab ipso auctore alicujus orationis sive ore prolatae sive literis mandatae proficiscitur *).

Jam autem, quia Jesus Christus, religionis nostrae auctor, Ecclesiae eam Spiritus s. assistentiam concessit, ut perpetuo esset totius doctrinae revelatae infallibilis custos, judex et interpres,

profecto ipsa in exponenda s. Scriptura, quae partem tantum continet totius doctrinae coelestis (§. 135), si ad eam haec provincia spectat, eodem Spiritu sancto dirigitur, qui ratione revelationis ac inspirationis auctor s. Scripturae primarius merito habetur; et proin Ecclesiae interpretatio ita considerata, authentica ea est, quam Catholici, ubi data fuerit, omni veneratione ac pietate amplectantur oportet.

Ut vero gravissimam hanc Hermeneuticae biblicae partem apto ordine et solida ratione pertractemus, primum interpretationem s. Scripturae authenticam Ecclesiae catholicae competentem *existere* uberiori demonstratione ostendemus, dein de *ratione* hujus interpretationis, et denique de *usu* ejusdem agemus.

*) Confer §. 1. not. 3.

A.
QUOD AUTHENTICA ECCLESIAE CATHOLICAE INTERPRETATIO EXISTAT.

§. 172. Quatenus talis expositio ex rei natura exspectanda sit.

Expositionem, de qua sermo est, Ecclesiae catholicae adjudicandam esse, ex rei natura perspicuum est, quia eosdem, quos Jesus Christus concessa Spiritus s. assistentia primos Ecclesiae suae rectores ac magistros esse voluit, doctrinam coelestem, in statutis et ceremoniis antiquae legis adumbratam, a suo magistro clare annunciatam, quam divino auxilio adjuti literis mandarunt, etiam ore praedicantes exposuisse videmus.

Etenim doctrina divina primum ore tradebatur, dein, ut occasio tulit, quibusdam scriptis ab Apostolis eorumque comitibus illustrabatur, commendabatur, defendebatur, et ad varias ecclesiarum vel singulorum fidelium conditiones applicabatur (§. 135). Haec vero scripta ex rei natura et teste historia in sacris conventibus praelegebantur [1]), et, ut circumstantiae postulabant, aut ab ipsis Apostolis, aut ab eorum discipulis, ad quos ab illis Magisterium Ecclesiae transmissum est, explicabantur. Unde duplici ratione adfuit authentica scriptorum istorum expositio, quum aut doctrina scriptis consignata jam antea ore esset tradita, adeoque e praevia sermonis communicatione lucem caperet, aut obscuri scriptorum loci subsequenti institutione recte expone-

rentur [2]). Atque haec expositio cum ipsis scriptis et toto complexu doctrinae posteris, uti per se patet, tradebatur, sicque authentica Scripturae interpretatio non minus ac ipsa Scriptura in Ecclesia catholica propagabatur [3]). Neque defuerunt, qui expositiones sacrarum literarum ita ortas et propagatas una cum doctrinis ore praedicatis scripto mandarent, quo facto deleri non amplius potuerunt, nisi ipsi, qui traditionem continebant, libri perirent.

Sic intellectam s. Scripturae interpretationem authenticam ne Protestantes quidem caeteris aequiores negant, utpote quae ex rei natura prodit [4]).

[1]) Talem praelectionem Paulus Colossensibus diserte praecipit, cap. IV, 16. scribens: *Cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quae Laodicensium est, vos legatis.* Conf. I. Tim. IV, 13.

[2]) Conf. §. sqq. not. 1. 2.

[3]) Inde est, quod Tertullianus in libro contra Gnosticos, qui Scorpiacus inscribitur, egregie dixit: „*Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi Schola? quos et sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, et nobis magistros adornavit, omnia utique docturos.*" Caeterum, quae verbi divini in s. Scriptura contenti interpretatio per Apostolorum eorumque discipulorum praedicationem in Ecclesia catholica conservata ac propagata est, vocatur *traditio declarativa* vel *hermeneutica.* Conf. G. Thomae Ziegler Prolegomena Theologiae cathol. Viennae 1821. Sect. III. §. 46.

[4]) Conf. Griesbach, loci theologici ex Leone M. collecti §. 12. et Goettingische gelehrte Anzeigen 1821. 8. Decemb.

§. 173. Authenticam Ecclesiae expositionem Apostoli docuerunt.

Quod ex rei natura colligitur, cautionibus, quibuscum Apostoli scripta sua occasionalia lectoribus primariis tradiderunt, mire confirmatur. Etenim licet primi Christiani sensum s. Scripturae facilius potuerint invenire, quam nos tot subsidiis primaevae Ecclesiae destituti; Apostoli tamen his ipsis in doctrina a se praedicatione tradita atque ad Ecclesiam deposita criterium constituebant, ad quod dubia solverent, sententias examinarent, erroresque damnarent. Loco enim non uno Apostoli Christianos hortabantur, ut firmiter tenerent, quas ab ipsis tanquam praestans depositum accepissent traditiones [1]). Imo lupis rapacibus accensebant et condemnabant omnes, qui doctrinam tradiderint diversam ab ea,

quam prius ipsi praedicassent [2]), manifesto ostendentes, se scriptis, quae sermonis communicationem subsecuta sunt, nequaquam doctrinas a praedicatione discrepantes, sed eidem potius plane congruentes proposuisse, adeoque etiam doctrinas, ope interpretationis ex his scriptis erutas, nequaquam a doctrina ore annuntiata discrepare posse, et hinc ejusmodi discrepantiam fore indicium manifestissimum falsae interpretationis.

[1]) Huc spectant, quae Paulus II. Tim. I, 13 — 14. scribit: Ὑποτύπωσιν ἔχε τῶν ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Τὴν καλὴν παραθήκην φύλαξον διὰ πνεύματος ἁγίου τῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν, id est: *Delineationem* (exemplar) *habe doctrinarum sanarum* (orthodoxarum), *quas a me audisti, in fide et charitate in Christo Jesu. Praestans depositum custodi per Spiritum s., qui habitat in nobis.* Similia leguntur Col. II, 6 — 8. I. Tim. VI, 20. 21. II. Tim. II, 1. 2, III, 14.

Petrus II. ep. III, 17. cum dixisset, in epistolis Pauli quaedam difficilia intellectu, sicut et caeteras scripturas a quibusdam hominibus indoctis et instabilibus fuisse depravata, pergit: Ὑμεῖς ὄὖν ἀγαπητοὶ, προγινώσκοντες (id est: quae prius edocti estis) φυλάσσεσθε, ἵνα μὴ τῇ τῶν ἀθέσμων πλάνῃ, συναπαχθέντες, ἐκπέσητε τῦ ἰδίου στηριγμῦ, *custodite, ne insipientium errore* (in quem nempe isti Scripturam depravantes prolapsi sunt,) *traducti excidatis a propria* (quam antea nostra praedicatione acquisivistis) *firmitate.*

[2]) Ita Paulus Act. XX, 29 — 31., cum ad testimonia seniorum Ecclesiae Ephesinae provocasset: quomodo in praedicatione sua nihil utilium ipsis subtraxerit, sed potius *omne Dei consilium* annuntiaverit, illos monet, ut traditam per triennium doctrinam puram conservarent contra lupos rapaces, non parcentes gregi, qui aliunde adventuri, et contra falsos doctores, qui in ipsa Ecclesia surrecturi sint. Idem Apostolus Galatis I, 8. 9. scribit: Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ ὀυρανῦ ἐυαγγελίζηται ὑμίν παρ' ὃ ἐυηγγελισάμεθα ὑμῖν ἀνάθεμα ἔστω. Ὡς προειρήκαμεν καὶ ἄρτι πάλιν λέγω. Εἴ τις ὑμᾶς ἐυαγγελίζεται, παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

§. 174. Authentica Ecclesiae interpretatio usu primitivae Ecclesiae et ss. Patrum testimoniis confirmatur.

Suffragio Apostolorum de authentica Ecclesiae interpretatione usus primitivae Ecclesiae et sanctorum Patrum testimonia accedunt, quae manifesto ostendunt, praedicationem Apostolorum in sinu Ecclesiae depositam subsequenti quoque tempore criterium doctrinarum, quae proferebantur, adeoque etiam expositionis s. Scripturae fuisse habitam. Et primum quidem testem hujus rei agit vel *ipsa Ecclesiae orthodoxae procedendi ratio*, quae

mox post aevum apostolicum perversa dogmata a Gnosticis, Manichaeis, Sabellianis, Arianis, omnibusque, qui subsecuti sunt, novatoribus in medium prolata, vel in Conciliis congregata solemnibus decisionibus, vel per orbem dispersa unanimi consensu damnavit, etiamsi eorum auctores et patroni ad s. Scripturam provocarent, eamque dogmatum suorum fontem depraedicarent [1]). Ex quo patet, in controversiis illum duntaxat s. Scripturae sensum verum genuinumque habitum fuisse, *qui in Ecclesiae docentis et apostolica successione gaudentis sinu conservabatur.*

Idem porro testantur *Patres*, qui primis saeculis hac de re scribendi occasionem nacti sunt, omnes intimum s. Scripturae cum Ecclesia, et expositionis biblicae cum deposito fidei nexum unanimi suffragio enuntiantes. Praecipui sunt: *Auctor Recognitionum, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Vincentius Lirinensis* cum aliis [2]).

[1]) Hanc agendi rationem observavit Ecclesia cum Doketis, qui e Gnosticorum familia prodeuntes ea, quae Scriptura de vera Verbi incarnatione ac vera carne, passione et resurrectione habet, interpretabantur de incarnatione fictitia, de carne umbratili et de apparente morte ac resurrectione, turbas undique cientes. Ecclesia vero deposito fidei insistens eadem exposuit de rei veritate, illosque verbi divini corruptores anathemate protrivit. Pari modo se gessit cum Cerinthianis, qui, pariter e Gnosticorum genere, verum sensum pervertebant illorum Scripturae locorum, in quibus vera Christi divinitas praedicatur, ita ut ea, quam ab Apostolis demandatam sibi atque in sinu suo depositam haberet, doctrina istorum falsam interpretationem retunderet.

[2]) Auctor Recognitionum, quae, licet perperam Clementi Rom. tribuantur, tamen saeculo II. certo originem debent, lib. X. §. 42. scribit: „*Ab eo oportet intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a majoribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter adserere.*"

Quis vero sit iste servans veritatem traditam, accuratius definit Irenaeus, Contra haeres. lib. IV. cap. 26. dicens: *Ubi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis, constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in filium Dei, dilectionem adaugent, — et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque patriarchas exhonorantes, neque prophetas contemnentes.*"

Clemens Alexand., libr. VII. Stromat. (edit. Oxoniens. 1715. Tom. II. pag. 892.) scribit: *Illos, qui adversus ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse.*

Tertullianus, libr. de Praescriptione haereticorum, cap. XIX. XXI, ut e multis, quae huc spectant, pauca adducamus, asserit: *Illic esse veritatem Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum, ubi apparuerit, esse veritatem disciplinae et fidei christianae, — — et hanc veritatem non ex s. Scriptura, sed ex communione cum Ecclesiis apostolicis esse demonstrandam.*

Athanasius in libr. de Synodis p. 755. habet: „*Quae in sacris eloquiis non intelligimus, non ideo rejicimus, sed ab iis quaerimus, ab iis discere postulamus, quibus Dominus revelavit.*" Quae s. Patris verba manifesto indicant, ad intelligentiam s. Scripturae praesto esse alterum revelationis fontem, nempe depositum fidei, Ecclesiae catholicae ore demandatum.

Basilius M. in libr. de Spiritu s. (Edit. Maur. Tom III, p. 23.), cum dixisset, nec ideo, quia Apostolus Patris et Spiritus s. nomen frequenter omittit, indifferentem putandam esse nominum invocationem, nec ideo, quia Apostolus cum aliis interdum etiam solius Spiritus videtur fecisse mentionem in baptismate, dicendum, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est, subjungit: „*Oportet enim inviolabilem semper manere traditionem, quae in vivifica gratia data est.*"

Gregorius Nazianzenus in orat. 46. ad Nectarium coll. orat. 51. ad Cledon. contra Apollin. (Edit. Paris 1609, Tom. I.) perversis haereticorum sacri textus interpretationibus *Symbolum Ecclesiae* opponit, illasque ex hoc corrigit. Generatim et **Basilius** et **Gregorius Nazianzenus**, qui illi in Ponto vitam asceticam agenti socium se adjunxit, ab antiquis celebrantur, quod s. Scripturam non ex suo ipsorum sensu, sed ex majorum traditione in Ecclesia deposita interpretabantur.

Rufinus, Hist. eccles. libr. II. cap. IX. (Edit. Frob. p. 254.) de Patribus testatur: „Ibi (in monasterio) omnibus Graecorum saecularium libris remotis, solis divinae Scripturae voluminibus operam dabant, *eorumque intelligentiam non ex propria praesumtione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.*"

Chrysostomus, homil. IX. in Genes. I. (Edit. Maur. Tom. IV. p. 65.) commemorat: „*Operam damus, ut quotidie sententias quasdam divinae Scripturae vestrae menti inseramus, vobisque etiam indicemus ea, quae spirituali semini noxia esse possunt, ne forte circumveniamini, neve sanae doctrinae dogmata labefactentur per quorumdam conatum, qui Ecclesiae placitorum loco ratiocinii sui figmenta inducere tentant.*"

Ambrosius, libr. III. de fide cap. VI., Manichaeorum assertionem duplicis principii ex Joan. I, 3. 4. deductam refutat dicens: „*Sed hoc damnat Ecclesia.*"

Hieronymus in Comment. in Daniel. III, 37. *(Quia Domine imminuti sumus)* refutans loci laudati quosdam commentatores hoc solum infert: „*Sed haec non recipit Ecclesia Dei.*"

Augustinus libr. III. de doctrina christiana, cap. II. (Edit. Maur. Tom. III. p. 45.) ita scribit: „*Sed cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primo videndum est, ne male distinxerimus aut pronuntiaverimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit.*" Dein rem hanc exemplo illustrat, ita pergens: „*Illa haeretica distinctio: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat, ut alius sensus sit: Verbum hoc erat in principio apud Deum, non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regulâ fidei refellendum est, quâ nobis de Trinitatis aequalitate praescribitur, ut dicamus: Et Deus erat Verbum, dein subjungamus: Hoc erat in principio apud Deum.*"

Vincentius Lirinensis in Commonitorio suo, cap. II. dictis coronidem imponit scribens: „*Hic forsan requirit aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quod homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Coelestius, aliter postremo Nestorius. Atque ideirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.*"

§. 175. Authentica Ecclesiae interpretatio ex ipsius infallibilitate sequitur.

Quodsi Apostolorum effatis, usui primitivae Ecclesiae atque sanctorum Patrum suffragiis insistentes Ecclesiae catholicae eam auctoritatem adstruximus, ut s. Scripturam respectu habito ad traditionem doctrinae in sinu suo custoditam sine omni erroris periculo *authentice* interpretari valeat, quaeritur jam, quo fundamento nitatur ejusmodi interpretatio authentica et omni exceptione major, cum alias teste rei natura et experientia doctrinae ope traditionis propagatae soleant haud parum adulterari? — Profecto Dominus, qui unitatis est auctor, eamque vehementer urget [1]), et doctrinam suam immutatam servari voluit [2]), optime in hunc finem providit, *Ecclesiae suae perpetuo Spiritus sancti praesi-*

dio clarissimis verbis affirmato [3]), quo fiat necesse est, ut a veritate nunquam deficiat, licet adversarii contra ipsam pessima machinentur [4]). Unde recte concluditur, eam Spiritu s. ita dirigi, ut omnia Salvatoris Apostolorumque dicta, id est totum revelationis depositum, aliter non intelligat, quam ipse Salvator ejusque legati ea intellexerant, quia alias a veritate deficeret. Hujus vero praerogativae a Jesu Christo Ecclesiae concessae, quam *infallibilitatem* vocant, consectarium est authentica s. Scripturae interpretatio. Etenim cum Ecclesia integram doctrinam revelatam, antequam literis consignaretur, recte intelligeret, et sine omni erroris admixtione populo christiano exponeret, profecto postea, quando ex parte saltem scriptis edita est atque vulgata, rectam ejusdem divinitus concessam intelligentiam et interpretationem non amisit, sed perpetuo retinuit et retinebit.

[1]) Quam graviter Paulus, institutioni ac menti divini sui magistri convenienter Ephesiis cap. IV, 1—5. unitatem inculcat scribens: *Obsecro vos, — ut digne ambuletis — — soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

[2]) Quantopore Salvator noster doctrinam suam nulli unquam mutationi obnoxiam esse voluerit, plura effata biblica perspicue docent. Sic I. Cor. III, 11. legimus: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Conf. Matth. XXVIII, 19. 20. Joan. XV, 1 — 7. Gal. I, 8.9. Apoc. XIV, 6.

[3]) Notissima sunt effata Domini, quibus Ecclesiae suae s. Spiritum semper affuturum esse affirmavit, uti Joan. XIV, 16. 17. *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Et ibid. v, 26. *Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Conf. Joan. XVI, 13. Matth. XXVIII, 19. 20.

[4]) Ecclesiam divino adjumento adeo sartam tectamque fore, ut nulla ratione deficere, imo ne potentissima quidem ac maxima hostium vi pessumdari possit, disertissimis eloquiis Dominus promisit Matth. XVI, 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Conf. Ephes. IV, 11—14. V, 25—27.

§. 176. Decretum Concilii Tridentini de editione et usu ss. librorum.

Hanc vero Ecclesia catholica provinciam s. Scripturam authentice interpretandi, quam inde a primis saeculis utpote cum

infallibili suo Magisterio indivulso nexu conjunctam tenebat, et exigente necessitate exercebat (§. 174.), sibi etiam successu temporis diserte vindicavit. Etenim ut acta antiquiorum Conciliorum mittamus *), Ecclesia in Synodo Tridentina congregata, cum tempore sic dictae reformationis novatores, plura doctrinae catholicae capita respuentes, s. Scripturam ad suos sensus contorquere conarentur, quaestionem de interpretatione s. Scripturae solemni decreto definire suum esse duxit. En ipsa decreti, quod Synodus Tridentina in Sess. IV. de editione et usu sacrorum librorum sanxit, verba: „*Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat. Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei e morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimen consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.*"

Cum itaque per rationes adductas extra omne dubium positum sit, ad Ecclesiam spectare, s. Scripturam juxta depositum fidei, quod in sinu suo custodit, authentice interpretari, porro inquirendum est, qua ratione Ecclesia catholica authenticam interpretationem praebeat, et quis sit hujus interpretationis usus.

*) *Concilium Trullanum* (alias *Quinisextum* appellatum) anno 692. celebratum Canone 19. iis, qui praesunt Ecclesiis, injunxit: *Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scripturis exposuerunt.* Conf. M. L. Bail, Summa Conciliorum omnium. Patavii 1723. Tom. I. p. 336.

Concilium Lateranense V. Sess. XI. hanc statuit legem: *Mandamus omnibus* (qui evangelicam veritatem populum docturi sint), *ut Scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, — explanent* (Bail l. c. Tom. I. p. 64.).

B.

RATIO AUTHENTICAE INTERPRETATIONIS ECCLESIAE CATHOLICAE.

§. 177. Ecclesia catholica varia ratione sacram Scripturam exponit.

Quodsi itaque Ecclesia catholica authentica est s. Scripturae interpres, quaerendum porro est, quomodo interpretationem sacri codicis edat. Rationem quod attinet, qua Ecclesia catholica sacras literas exponit, ipsi tum *generalem* earumdem interpretationem, tum *speciales* circa sensum biblicum decisiones in acceptis referimus. Et primum quidem, quia recta s. Scripturae intelligentia ab Apostolorum eorumque discipulorum institutione ore tradita pendere inde a primis temporibus merito credebatur, eo ipso Ecclesia catholica generatim s. Scripturam explicare dicenda est, utpote quae totum fidei depositum ex eadem viva Apostolorum praedicatione acceptum sine omni immutatione ac erroris admixtione in sinu suo custodit et credendum proponit. Dein ea quoque munere interpretis s. Scripturae speciali ratione fungitur, dum eidem traditioni apostolicae insistens sensum biblicum circa singulas doctrinas fidei et morum vel per *decreta Conciliorum*, vel per *unanimem sanctorum Patrum consensum*, vel denique per *universalem fidei professionem ac usum*, in administratione Sacramentorum et cultu religioso observatum, definit. De quibus jam singillatim pauca dicemus.

§. 178.

I. GENERATIM PER DEPOSITUM FIDEI, SEU ANALOGIAM DOCTRINAE CATHOLICAE.

Si jam ex iis, quae hucusque disputavimus, notionem depositi, quod in Ecclesia catholica custoditur, fidei, ejusque ad s. Scripturam relationem probe cognoveris, facile intelliges, quantopere per illud doctrinae biblicae interpretatio adjuvetur. Quia enim depositum fidei aliud non est, quam Apostolorum, qui a Jesu Christo missi, a Spiritu s. illustrati et confirmati sunt, *praedicatio in vivo Ecclesiae Magisterio perpetuo subsistens, et omnem*

salutis doctrinam complectens, cujus magna pars successu temporis pro data occassione ac Ecclesiarum vel singulorum fidelium exigentia ab Apostolis et discipulis Domini adjuvante eodem Spiritu s. literis consignata est, quin unquam cessaverit aut immutata fuerit haec apostolica praedicatio, et quia proin ea est Apostolorum viva voce propagatam *praedicationem* inter et *s. Scripturam* relatio, ut ambae simul integrum veritatum divinitus revelatarum corpus a Jesu Christo in sinu Ecclesiae suae depositum complectantur, ita tamen, ut prior etiam sola omnem divinam revelationem scriptam et non scriptam, posterior vero partem literis mandatam solum comprehendat; per se patet, doctrinas s. Scripturae non posse discrepare ab iis, quae in vivo Ecclesiae deposito sunt custoditae, sed necessario cum iis plane consentire, imo, in quantum consignatae sunt, easdem esse [1]).

Quae cum ita sint, facile sequitur, congruentiam in summa doctrinae revelatae tum scriptae tum viva voce traditae in Ecclesia catholica deposita et divina auctoritate constituta, quam recte *analogiam doctrinae seu fidei in sensu catholico* dixeris, esse principium hermeneuticum objective certum et omni exceptione majus, ad quod velut ad lapidem lydium omnis s. Scripturae interpretatio dirigi et dijudicari debet [2]).

[1]) Non minus vere quam apte Moehler observat: „Der wesentliche Inhalt der heiligen Schrift ist der Kirche ewig gegenwaertig, weil er ihr Herzblut, ihr Odem, ihre Seele, ihr Alles ist.'' Symbolik. edit. III. pag. 383.

[2]) Ex dictis facile perspicitur, quantum discriminis inter *analogiam fidei seu doctrinae* generatim acceptam, quae etiam a Protestantibus, iis certe, qui inspirationem ac revelationem credunt, qua principium hermeneuticum adoptatur, et inter analogiam fidei in sensu catholico sumtam intercedat. Illa enim in summa doctrinae ponitur, quae e sacris literis et si placet, ex effatis quorumdam, qui sacris scriptoribus aetate proximi sunt, Patrum subjectiva diversarum religionis societatum, vel etiam singulorum interpretum intelligentia eruitur, et proin pro diversitate, quae in hominum ingeniis deprehenditur, variabilis est et multiplex (conf. §. 158. not. * §. 163. not. 2.), ita, ut humana tantum auctoritate polleat. Quare non est, quod miremur, teste historia reapse aliam sectam aliam doctrinae summam ex s. Scriptura sibi sumsisse. Longe aliter res se habet, si analogia fidei in sensu catholico accepta spectatur. Cum enim fidei catholicae complexum ex sacris literis et praedicatione Apostolorum desumtum et infallibili Magisterio definitum comprehendat, objectivam veritatem exhibet, et pro interpretatione s. Scripturae merito norma directrix omni exceptione major habetur.

II. PER SPECIALES DECISIONES, ET QUIDEM,

§. 179.

a) per decreta Conciliorum generalium.

Quemadmodum Ecclesia catholica per vivum fidei depositum, quod in sinu suo custodit, generatim pro interpretanda fidei et morum doctrina normam directricem nunquam non exhibuit, ita quoque exigente necessitate in conciliis oecumenicis congregata, respiciens ad illud depositum, speciales decisiones de sensu biblico edidit.

Equidem etiam antiquiora Concilia s. Scripturam in rebus fidei et morum speciali ratione exposuerunt, dum damnatis doctrinis heterodoxis perversas quoque, quibus auctores et patroni illarum locos biblicos ad suos sensus contorserunt, interpretationes vel directe, id est disertis verbis, vel indirecte reprobarunt (§. 174), falso haereticorum sensui verum, quem apostolica traditio suadebat, sensum substituentia [1]; caeteris longe plura tamen hac in re praestiterunt Patres Tridentini, qui sui temporis iniquitate coacti, *ex professo versionem latinam Vulgatam authenticam declararunt, et nonnullos N. T. locos sensu certo atque definito exposuerunt.* Primum quod attinet, quia sacrosancta Synodus in decreto supra laudato (§. 176.) statuit et praecepit, ut Vulgata versio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, ad usum publicum pro authentica habeatur, et ut eam sub nullo praetextu rejicere liceat, sequitur, *versionem hanc quoad substantialia esse fontibus conformem ita, ut nullo defoedata sit errore, ex quo perniciosum aliquod dogma fidei et morum colligi possit* [2]. Dein decisiones, quibus Concilium nonnullos locos N. T. ad fidem et mores spectantes cum provocatione ad vivam traditionem in sinu Ecclesiae depositam sensu certo atque definito solemniter exposuit, vim et auctoritatem definitionis dogmaticae habent, ita ut sensus talium locorum sic declaratus ac propositus sit objective et absolute certus [3].

Ab his vero solemnibus sensus quorumdam locorum definitionibus bene distinguendi sunt loci biblici illi, quibus interdum Concilia ad dogmata confirmanda utuntur. Priores infallibiles judican-

tur; posteriores tantum valent, quantum ad veritatem comprobandam pollent [4]).

[1]) Sic *Concilium Sardicense*, quod passim adpendicem Concilii *Nicaeni I.* habent, impiam et vitiosam appellat interpretationem, qua verba Joan. X, 30. „*Ego et Pater unum sumus*" de mero consensu et concordia exponuntur, simulque verba illa de unitate substantiae, quae in Patre et Filio eadem est, intelligenda esse affirmat. — *Concilium Nicaenum II.* quoad verba Exod. XX, 4. „*Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem*" definivit, hoc praeceptum ad Hebraeos solum pertinuisse et cultui imaginum non obstare.

[2]) Synodum Tridentinam dicto sensu Vulgatam dixisse authenticam, testatur Andreas Vega, theologus Hispanus, qui Concilio interfuit: De Justific. libr. XV. cap. 9. Colon. 1572. pag. 692. Quodsi Dr. D. Haneberg, ad cujus uberiorem ac eruditum hujus rei tractatum (Geschichte der bibl. Offenbarung p. 747—758) ablegamus, existimat, versionem nostram vi decisionis Tridentinae documentum esse, quo doctrinae, quae in sacris literis divinitus patefactae habentur, accurate et certe cognosci queant, quantum ad rem ipsam ad idem redit. Quo vero jure Vulgatae versioni tanta auctoritas tribuatur, vel ex doctissimorum Protestantium judicio patet, qui minime eam in suspicionem incurrunt, quod Ecclesiae catholicae faveant. Quia superfluum foret, illorum testimonia repetere, quae §. 36. nota 7., ubi de versionis Vulgatae praestantia ad explorandum usum loquendi hebraicum V. T. sermo fuit, laudavimus, hoc loco solum Hugonis Grotii effatum, ad rem praesentem accomodatissimum adducere placet: „*Tutissima omnium iis, qui nec hebraice nec graece didicere, est Vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit.*" Opp. theolog. Tom. III. Amstelod. pag. 674. in Voto pro pace ecclesiastica.

[3]) Tales loci a Concilio Tridentino dogmatice definiti sunt: Joan. XX, 23. de quo Sess. XIV. Can. III. sic legitur: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi peccata in Sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit.* Quae sensus loci laudati definitio in eadem Sessione, cap. I. de necessitate et institutione Sacramenti poenitentiae uberius adhuc declaratur. — Porro Jacob. V, 14. 15. *(Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei)* Sess. XIV. cap. I. de institutione Sacramenti extremae unctionis coll. Can. I—IV. sequentibus definivit: *Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet* (Jacobus Apostolus) *materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti.* — Non minus

huc spectant Matth. XXVI, 26—28. et qui huic loco respondent apud Marc. XIV, 22—24. Luc. XXII, 19—20. et Paulum I. Cor. XI, 23—25. Conf. Trident. Sess. XIII. cap. I. IV. Can. I. II. de reali praesentia Domini nostri Jesu Christi in ss. Eucharistiae Sacramento.

*) Egregie in rem nostram scribit Fr. Veronius, theologus praestantissimus in Regula fidei (Edit. Aquisgran. 1842. pag. 19. 20.): „Generaliter dicimus eorum, quae continentur in capitibus, id solum et totum esse de fide, quod definitur, seu (ut loquuntur juristae) solum depositivum arresti seu contenti in capite aut Canone est de fide; motivum vero arresti, seu ejus probationes non sunt de fide. Ratio est, quia primum solum proponitur credendum et proprie definitur, non autem motivum seu probatio." Quibus conveniunt, quae Moehler dicit in libro laudato Symbolik, p. 388. „Die ältesten ökumenischen Synoden führten für ihre dogmatischen Beschlüsse nicht einmal bestimmte biblische Stellen an, und die katholischen Theologen lehren mit allgemeiner Uebereinstimmung und ganz aus dem Geiste der Kirche heraus, dass selbst die biblische Beweisführung eines für untrüglich gehaltenen Beschlusses nicht untrüglich sei, sondern nur das ausgesprochene Dogma." Conf. J. V. Hofmann Hermeneut. bibl. Oeniponti 1846. p. 194. Nota, et Joan. Perrone Praelectiones theol. Vol. III. p. 221. n. 485.

§. 180.

b) *Per unanimem ss. Patrum consensum.*

Quia Salvator noster Magisterio in Ecclesia suo constituto subsidium Spiritus sancti pro omni temporis decursu concessit, infallibilitatis praerogativa in docendo non minus antiqua Ecclesia gaudebat, quam hodierna, sive in Conciliis congregata solemnibus decretis, sive per orbem dispersa unanimi consensu dogmata definiret. Antiquam Ecclesiam vero repraesentant sancti Patres. Quapropter sub certis conditionibus sicut eorum doctrina antiquae Ecclesiae catholicae doctrina est, ita etiam ubi sacras literas exposuerunt, authentica infallibilis Ecclesiae catholicae interpretatio habetur. Ut vero ss. Patribus sicut in definienda doctrina revelata generatim ita in interpretandis sacris literis speciatim tanta auctoritas merito attribuatur, requiritur, *ut ipsi in rebus fidei et morum qua testes traditionis universali ac unanimi consensu sententiam suam enuntient.*

Etenim quia Ecclesia solum in definienda revelata fidei et morum doctrina, quam a divino auctore per manus Apostolorum transmissam accepit, infallibilitatis praerogativa gaudet, Patres quoque, qui Ecclesiam repraesentant, solum interpreti catholico normam

directricem constituunt, quando *locos ad fidem moresque spectantes Apostolorum praedicatione edocti* exponunt; in quaestionibus autem physicis, astrologicis aliisque hujusmodi rebus, in quibus a propria scientia et eruditione pendent, eorum auctoritas non plus valet, quam eorum ratio[1]). Hinc est, quod ss. Patres ipsi genuinam doctrinae biblicae expositionem cum deposito fidei intimo nexu conjunctam esse asserant, et Synodus Tridentina solum in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sicut ad Ecclesiam ita etiam ad Patres interpreti s. Scripturae respiciendum esse statuat (§§. 174. 176).

Non minoris in interpretatione ss. Patrum momenti est *universalis et unanimis consensus.* Quando enim in exponendis locis, qui ad dogmata spectant, Patres omnes unitis suffragiis consonant, Apostolorum institutio manifesto cognoscitur. Profecto talis consensus virorum, qui ingenio, animi cultura, natione, aetate et loco ab invicem adeo distabant, ex ipsorum intelligentia explicari minime potest, sed necessario ex eodem traditionis apostolicae, quam Ecclesia Spiritus s. auxilio adjuta intemeratam semper custodit, fonte derivatus creditur[2]).

Quodsi quaeritur, qua ratione hic consensus, quem in Patribus ad authenticam ss. literarum interpretationem requirimus, computari debeat, consensum mathematice universalem postulari non posse arbitramur. Praeterquam enim, quod non sit decisum, quot scriptores ecclesiastici in censum ss. Patrum referri debeant, et proin eorum numerus mathematice definiri nequeat, constat, Patrum scripta esse occasionalia, in quibus loci biblici pro exigentia lectorum expositi habentur, praetermissis aliis, quorum explicationem orationis occasio et loquentis consilium non postulabant. Quapropter consensus, qui in Patribus, sacras literas interpretantibus requiri potest, alius esse nequit, quam moraliter universalis, qualis generatim esse censetur, qui aptus est ad universalem Ecclesiae fidem exprimendam. Inde sequens regula specialis statuitur: *Consensus Patrum habendus est universalis et unanimis, si tot et tantae auctoritatis Patres ita consentiunt, ut eorum testimonia merito fidem totius Ecclesiae repraesentare dici possint.* Id locum habere existimamus:

a) Si praestantissimi Patrum usque ad saeculum VI. consentientes etiam de reliquorum consensu fidem facere censendi sunt, licet

hic in residuis illorum operibus non reperiatur. Antiquiorum fidei unanimi suffragia Patrum subsequentium saeculorum accedunt [3]).

b) Si Patres consonantes tam diserte loquuntur, ut manifestum sit, ipsis contradictionem non metuentibus persuasissimum fuisse, suam sententiam complecti universalis Ecclesiae doctrinam.

c) Si omnibus, vel certe insignioribus Orientis aut Occidentis Patribus conspirantibus nullus orthodoxorum contradicit.

d) Si denique manifestum est, silentium quorumdam Patrum quod attinet quamdam doctrinam biblicam, reliquis diserte consentientibus, inde explicandum esse, quod vel occasio ipsis deerat sententiam suam enuntiandi, vel quod illis accedebant assensu aut expresse aut tacite quoquo modo indicato.

Quodsi jam locus biblicus ad fidem moresque pertinens a ss. Patribus *qua testibus traditionis* ejusmodi *universali ac unanimi consensu* expositus est, non minus a Catholico pro dogmatice definito haberi debet, quam locus ab Ecclesia in Concilio congregata declaratus. Quo consensu deficiente Patribus quidem infallibilis auctoritas adscribi non potest; non tamen est, quod dubites, quin ipsi, quod Apostolorum tempora proxime attigerint, sive ad veterum traditionum originem propius accesserint, sacras literas longe melius intelligere potuerint. Quapropter, quando unum vel alterum locum plurimi eorum consentientes eodem sensu accipiunt, magnum sane veritatis testimonium habetur, et maximae levitatis est, sanctos Patres deserere, nisi gravissimae id suadeant causae [4]).

[1]) Huc spectant, quae celebris theologus Melchior Canus, Locor. theol. lib. VII. cap. 3. pag. 425. scribit: „Sanctorum auctoritas sive paucorum sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit." Egregie etiam hanc in rem Lud. Ant. Muratorius (De ingeniorum moderatione in religionis negotio, Libr. I. cap. 21. pag. 220. Aug. Vindel 1779.) disserit: „Ille tantum haereticus est, qui pertinaci animo dogma aliquod ab Ecclesia receptum, a Scripturis sacris aut a traditione commendatum contemnit, rejicit, negat, aut Scripturae loca contra mentem Ecclesiae et consensum Patrum pervicaciter interpretatur. In reliquis (in rebus physicis, astrologicis, geographicis, chronologicis, in historiis profanis et hujusmodi argumentis) ipsos Patres quidem venerari, aut religiose et χατα ποδα sequi non cogimur: alioqui tot haberemus haereticos aut saltem temerarios, quod habemus Scripturarum interpretes."

[2]) Qui Concilii Tridentini Canones et decreta attente legerit, persuasissimum sibi habebit, Synodum unanimem consensum Patrum ita intelligi voluisse, ut idem significet ac *Ecclesiae doctrina* sive *traditio*, cujus testes et defensores ss. Patres existunt. Sic, ut rem exemplis comprobemus, Sess. VI. cap. VIII. de Justificatione, Patres Tridentini monuerunt, verba Apostoli: *Justificari hominem per fidem, et gratis*, in eo sensu intelligenda esse, *quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit;* Sess. XIV, cap. I. sensum verborum Joan. XX, 23. ita definiunt, *ut universorum Patrum consensus locum illum semper intellexit.* Conf. Canonem III. ejusdem Sess. Conc. Trid. supra §. 179. not. 3. citatum.

[3]) Quapropter si e. g. Patres: Eusebius Caesareensis, Hilarius, Athanasius, Ephräem Syrus, Basilius M., Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, Ambrosius, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus et Leo M. in interpretanda quadam doctrina biblica concordant, eorum consensum universalem ac unanimem habere oportet, quia isti Patres celeberrimi ac doctissimi ea pollebant auctoritate, ut mentem Ecclesiae sui temporis, quod attinet sensum s. Scripturae attestari dicendi sint, et subsequentes Patres sequaces habeant. — De rite aestimando et computando consensu Patrum in s. Scripturae interpretatione confer: Mich. Wittmanns kathol. Principien von der heil. Schrift; Fr. Vogl, die heilige Schrift und ihre Interpretation durch die heil. Väter. pag. 98 sqq. et Ranolder l. c. pag. 311 sqq.

[4]) Respicimus potissimum ad locos Matth. IV, 1. sqq. Marc. I, 12. 13. Luc. IV, 1. sqq. de tentatione Christi in deserto; Matth. XVII, 1. sqq. Marc. IX, 1. sqq. Luc. IX, 28. sqq. de transfiguratione Domini; Act. II, 4. X, 46. I. Cor. XII, 28. XIV, 4. de dono linguarum, et similes a recentioribus in diversos sensus distortos, licet Patres vix non omnes eos ad literam et proprie intelligerent. Vide ad hos locos Maldonati, Estii, Calmeti commentarios, nec non Allioli heil. Schrift.

§. 181.

c) *Per universalem fidei professionem et usum.*

Quemadmodum unanimis Patrum consensus ita etiam universalis fidei professio ac usus consensum Ecclesiae dispersae, et proin in rebus fidei et morum sententiam Magisterii Ecclesiae infallibilis enuntiant. Universalem autem Ecclesiae professionem exhibent Symbola, Catechismi ubique locorum conformi usu recepti, preces publicae, et quae sunt similia; universalis vero usus ex consensu omnium liturgiarum, praecipue quoad administrationem Sacramentorum innotescit. Quod in hac professione ac usu *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum et observatum est [1]), nihil aliud est, nisi universalis et constans Ecclesiae christianae doctrina, ex

Apostolorum praedicatione oriunda. Inde sequitur, etiam in hac universali fidei professione ac usu Ecclesiae, traditioni apostolicae insistente interpreti catholico datam esse normam directricem, quo loci biblici obscuriores ad priorem posterioremve respicientes declarentur et difiniantur [2]).

[1]) Vincentii Lirinensis Commonit. cap. III.

[2]) Ex hoc capite Matth. I, 25. vocabulum πρωτότοκος *primogenitus* de Jesu non licet ita accipere, ut plures filii B. Mariae Deiparae subsequentes inferantur; nec Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. ἀδελφοὶ *fratres* (Jesu) de fratribus proprie dictis, nempe uterinis, sed de cognatis accipi debet, quia professio in formulis fidei et precibus Ecclesiae catholicae obvia Beatam Mariam Deiparam perpetuo *virginem* mansisse testatur. Simili modo verba Christi Marc. XVI. 16. *(Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur)* et Joan. VI. 54. *(Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis)* ita explicanda sunt, ut priori loco baptismus parvulis non denegetur, posteriori vero Eucharistia parvulis necessaria non statuatur, quia universalis Ecclesiae usus, Apostolorum institutioni superstructus, baptismum non ad adultos restringit, contra parvulos usu ratione carentes nulla obligari salutis necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem docet. Conf. Concil. Trid. Sess. VII. Can. XIII. XIV. et Sess. XXI. cap. IV.

C.

USUS INTERPRETATIONIS AUTHENTICAE.

§. 182.

I. QUID INTERPRETATIO ECCLESIAE AUTHENTICA GENERATIM PRAESTET?

Quodsi authenticam s. Scripturae interpretationem ad Ecclesiam spectantem generatim in praedicatione Apostolorum datam esse asseruimus, eo quod ista praedicatio, in vivo Ecclesiae infallibilis Magisterio perpetuo subsistens, et s. Scriptura integrum fidei depositum simul ita complectuntur, ut prior totam divinam revelationem, posterior partem illius literis consignatam comprehendat, et consequenter doctrinae biblicae a doctrinis apostolica praedicatione traditis et in sinu Ecclesiae custoditis non discrepent, sed potius cum iis plane consentiant, imo eaedem sint (§. 178); ex natura rei intelligitur, quantopere haec interpretatio, ex deposito seu analogia fidei catholicae profecta conferat ad sententias biblicas

definiendas et illustrandas. Id magis adhuc perspicuum est, si doctrinae biblicae indoles, quod spectat materiam et formam, attentius consideratur et cum doctrina catholica in sinu Ecclesiae deposita comparatur.

S. Scriptura, quae variis circumstantiis et indigentiis fidelium originem debet, et praedicationem Apostolorum ore factam supponit, ita comparata est, ut plura ad religionem spectantia ne tangantur quidem, alia vero tangantur, at minus accurate et obiter tantum, ita ut satis obscura et ambigua relinquantur. Alia quidem saepius recurrunt, imo quodammodo explicantur, non tamen definiuntur ita, ut de vero sensu dubiis et litibus locus non detur. Stylus est saepe vulgaris et tam parum exactus et ad rigorem logicum compositus, ut sine praevia rerum cognitione expressiones recte intelligi minime possint (§§. 108. 135). Adsunt praeterea diversi generis accommodationes, a quibus ad ipsam religionis doctrinam concludi minime potest (§. 121). Quodsi pars ex toto, obscura ex clarioribus, incerta et ambigua ex certis ac determinatis explicationem et determinationem accipiunt, profecto, si doctrina biblica, eâ, qua diximus, ratione proposita, cum deposito fidei, quod integram doctrinae catholicae summam, infallibili Ecclesiae Magisterio declaratam et definitam, continet, confertur, fieri non potest, quin hac collatione ea, quae in Scriptura manca extent aut plane desint, suppleantur, quae propterea vel quacumque de causa obscura sint, illustrentur, quae incerta et ambigua occurrant, firmentur ac determinentur, ita ut fides Ecclesiae pro vivo ac perpetuo s. Scripturae commentario habenda sit [1]).

Attamen quod diximus de supplendis, quae in doctrina biblica minus plene et accurate habentur, cum cautione applicandum est. Etenim ubi sacer auctor aperte pro data occasione et exigentia lectorum majorem solum minoremve doctrinae, de qua agit, partem tradere voluit, minime licet, totam doctrinam ex apostolica praedicatione desumtam dato loco attribuere. Id esset sensum inferre in s. textum, non interpretari. Fides, quae est in Ecclesia catholica deposita, tali in loco consulta id praestat, ut intelligatur, ad dogma, de quo sermo est, plene et accurate cognoscendum in dato loco non esse subsistendum, sed perfectiorem ejus notitiam aliunde petendam, et ut cognita integra doctrina etiam pars ejusdem, quae attingitur vel obiter tractatur, illustretur et cognoscatur [2]).

Ambitus vero auctoritatis ex natura sua irrefragabilis, quae fidei catholicae in definiendis sententiis biblicis competit, decreto Concilii supra (§. 176.) laudato definitur; nam decrevit Synodus Tridentina: *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium s. Scripturam — — contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia — — aut etiam contra unanimem consensum Patrum — interpetari audeat.* — Quod decretum, praeterquam quod generatim directionem indicat, quam interpres catholicus sequatur, speciales regulas complectitur, easque *negativas* et *positivas*, de quibus modo loquemur.

[1]) Egregie in rem nostram C. L. Gratz l. l. p. 65. scribit: „Traditio et explicat et integrat Scripturam; viva haec in Ecclesia vox literae mortuae spiritum inflat, ita, ut si in codice sacro interpretando eam neglexeris, finem exoptatum nunquam assequi possis." Accomodate non minus quam vere etiam Dr. Fr. Brenner in opere: Freie Darstellung der Theologie in der Idee des Himmelreiches. Bamb. und Würzb. 1815. T. 1. p. 26. dicit: „Bei göttlichen Aussprüchen darf man sich mit seiner subjectiven Deutung nicht begnügen; willkommen muss da jedem das Alterthum seyn, weil es nach den Vorschriften und Anordnungen der Apostel geformt, und in seinen Ueberlieferungen ein sprechender Commentar dessen ist, was der todte hl. Buchstabe in sich fasset." Sic, ut rem exemplo illustremus, ss. auctores subjectum supremae potestatis ecclesiasticae non ad rigorem scholae definierunt, sed Domini verba, quae illud designant, historice ita retulerunt, ut modo ad omnes Apostolos Matth. XVIII, 17. 18. XXVIII, 18 — 20. Joan. XX, 21, modo ad solum Petrum eodem fere tenore Matth. XVI, 18. 19. Joan. XXI, 15 — 17. dicta esse legantur. Conf. Act. XX, 28. Ephes. IV. 11. Haesitabit igitur interpres aliunde non informatus, an et in quantum per laudata verba suprema potestas ecclesiastica omnibus Apostolis vel soli Petro divinitus collata sit. Propterea, ut omnis ambiguitas et error excludatur, prae oculis habenda est analogia fidei catholicae, quae Magisterium Petro-Apostolicum plene exhibet, verba Salvatoris certitudine absoluta ita determinans, ut iisdem suprema Ecclesiae potestas omnibus Apostolis, Petro soli tamen Primatus inter caeteros collatus fuisse statuatur.

[2]) Sic Paulus Ephes. II, 8 — 10, verbis: „*Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura*" justificationem ita adscribit fidei, ut opera excludere videatur; apostolica vero praedicatio praeter fidem etiam opera requirit. Itaque quamvis ex dicta praedicatione seu analogia fidei catholicae inferre non liceat, Apostolum hoc loco docuisse, praeter fidem etiam opera esse necessaria, id tamen inde intelligitur, eum laudatis

verbis subsidia justificationis plene non proposuisse, et proin interpreti in illis solis non esse subsistendum, si de hac re plenum et adaequatum sibi formare velit conceptum.

II. SPECIALES INTERPRETATIONIS AUTHENTICAE REGULAE, ET QUIDEM

§. 183.

a) *negativae.*

Praeter generalia interpretationis authenticae subsidia, quae modo exposuimus, Magisterio Ecclesiae catholicae etiam speciales regulas tam negativas quam positivas acceptas referimus, quibus sensus biblicus definitur.

Et priores quidem praefatum decretum Tridentinum aperte enuntiat, dum statuit, quid interpres non agere, aut a quo abstinere teneatur. Scilicet respuat interpretationem, quae in rebus fidei et morum sensui Ecclesiae et unanimi consensui Patrum repugnat. Quam ob rem primo sensum ceu verum non admittat, qui analogiae doctrinae catholicae generatim contradicit, dogma aliquod evertens [1]. Dein diligenter sibi caveat, ne interpretationem in medium proferat, quae specialibus Ecclesiae universalis, sive in Concilio congregatae sive dispersae quoad sensum biblicum decisionibus contraria est. Ex hoc capite interpres minime praesumat, versionem Vulgatam, quam Concilium Trident. pro usu publico authenticam declaravit, neglecto hoc decreto ob mendum aliquod in essentialibus ei perperam imputatum rejicere. Pari modo ab omni interpretatione abstineat, qua sensus eorum locorum, quos Ecclesia dogmatice exposuit (§. 179—181), evertatur vel immutetur [2].

Atque hae regulae non ferunt exceptionem, cum ullam fidei veritatem negare, aut Ecclesiae errorem imputare, nemini liceat. Talis enim ausus non tantum immensi fastus argumentum praeberet, cum non solum majorem sibi interpres, quam Ecclesiae ejusque Doctoribus ab omni retro aetate celebribus sapientiam tribueret, sed divinam quoque dispositionem evertere conaretur, qua docens Ecclesia est veritatis christianae magistra infallibilis (§.175).

[1] Conf. §. 178. Ut exemplo utamur, interpres ex loco apud Joan. XIV, 28, ubi Dominus de se dicit: *Quia Pater major me est*, recte judicabit, hic esse de Christo sermonem, quasi merus fuerit homo; sed absit, ut

eam loci interpretationem tueatur, qua contra fidem Ecclesiae catholicae Christi divinitas negetur.

[2]) Quapropter Joan. XX, 23. minime admittat interpres catholicus eam interpretationem vocis ἁμαρτίας, quam Lessius, Michaëlis aliique adoptarunt, qui peccata pro *peccatorum poenis*, ad quas Hebraeorum opinio etiam morbos referebat, accipiebant, ut adeo *remittere peccata* esset removere consequens peccatorum, liberare a morbis, et *retinere peccata* morbos immittere, vel sanitatem non restituere. Confer §. 179. not. 3., ubi laudatur Canon Concilii Tridentini, quo locus noster de potestate remittendi peccata in Sacramento poenitentiae dogmatice definitur, et alia perversa hujus loci interpretatio, de auctoritate praedicandi Evangelium, quam heterodoxi fovebant, reprobatur.

§. 184.

b) *Regulae positivae.*

Quod praefatum Concilii Tridentini decretum negative statuit, ne scilicet aliquis interpretetur s. Scripturam contra eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, nec contra unanimem consensum Patrum, *Professio fidei*, quae conformis decretis Tridentinis a Pio IV. edita et pro publico Ecclesiae catholicae usu praescripta et recepta est, sequentibus positive exprimit: *Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, —— admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor* [1]). Et profecto haec non complectuntur, nisi declarationem decreti Tridentini in natura rei sitam. Etenim sicut Decalogi praecepta, quae mere negativa videntur, non tantum quae sint vitanda innuunt, sed etiam quaedam agenda mandant, ita quoque laudatum Concilii decretum, licet formula negativa expressum, positivi praecepti vim habet, quo interpres obligatur, ut quosdam locos determinata ratione exponat [2]). Qua obligatione haud dubie tenetur, ubi certa tantum expositio veritatem catholicam non evertit, et proin omnis alia necessario falsa est (§. 183), quod sequentibus in casibus obtinet:

1. Quando Ecclesia in Concilio generali congregata scripturam aliquam dogmatice exposuit; qui enim recederet ab hac expositione, ab Ecclesiae veritate recederet.

2. Idem dicendum est, quando sancti Patres unanimes in eandem effati biblici ad fidem moresque spectantis expositionem conspirant, quia tali in casu habetur expositio antiquae Ecclesiae, quam patres repraesentant.

3. Ex eadem ratione interpres amplecti tenetur expositionem, qua sensum quorumdam s. Scripturae locorum universalis fidei professio ac usus Ecclesiae definiunt, utpote quibus in locis ita interpretandis pariter consensus Ecclesiae dispersae manifestatur [3].

4. Denique quando cujusdam loci unica tantum expositio datur, quae dogmati Ecclesiae convenit, quaevis alia vero repugnat, ea necessario adoptanda est, ne veritas catholica deseratur [4].

[1]) Conf. Bulla Pii IV. super forma juramenti professionis fidei, quae incipit: *Injunctum nobis*.

[2]) Conf. Fr. Vogl l. l. pag. 101 sqq. J. Ranolder l. l. pag. 295 sqq.

[3]) Conf. supra §§. 179 — 181., ubi etiam exempla exhibentur interpretationis singulorum Scripturae locorum, sensui Ecclesiae positive accommodandae.

[4]) Ex hoc capite Matth. XXVI, 26. retinenda est proprietas verborum juxta sensum Ecclesiae catholicae, quia quavis alia expositione dogma evertitur.

§. 185. Interpretis munus, quod spectat ad Scripturas authentica Ecclesiae interpretatione expositas.

Quod locos ab Ecclesia speciali modo expositos attinet, interpretis catholici esse non potest, eos proprie interpretari, cum eorum sensus ab infallibili Ecclesiae Magisterio declaratus ac definitus sit, cujus interpretatio sine immutatione eadem humilitate et submissione recipienda est, qua alias definitiones dogmaticas recipere oportet [1]). Quodsi jam respicimus ejusmodi locos, ratione habita naturae rei omne interpretis munus in eo versatur,

1. ut studeat sensum non proprio studio inventum, sed ab Ecclesia datum, clare et perspicue intelligere atque proponere;

2. ut proin hunc sensum, absque dubio verum, docta deductione per subsidia hermeneutica tum ex usu loquendi, tum ex universalibus cogitandi legibus derivata, et si decisione Concilii vel consensu Ecclesiae dispersae definitus fuerit, inprimis per Patrum consensum demonstret et contra eos defendat, qui Ecclesiam erroris arguunt. Quamvis Acatholici dogmaticam Patrum, qua testium traditionis apostolicae, auctoritatem non agnoscant, eis tamen fidem, quae ipsis qua testibus antiquisimae interpretationis debetur, historicam non denegant (§. 163. not. [2]);

3. denique ut omnes alias expositiones solidas non esse, ostendat [2]).

[1]) Non minus vere quam accomodate ad rem nostram M. Arneth l. l. pag. 80. scribit: „Zeigt sich in der That eine solche Uebereinstimmung (der

Väter) bei denselben (dogmatischen und moralischen) Stellen, so ist der katholische Ausleger nach unserem Canon und der ganzen Gesinnung der Kirche natürlich auch daran gebunden. Hier ist dann die Auslegung des katholischen Auslegers eine blosse Nachexeges, aber auch nur hier in diesem äusserst seltenen Falle, und in dem eben so seltenen, wo die Kirche einen gewissen Schriftsinn dogmatisch bestimmt hat."

[2]) Cujus rei exemplum habetur in Frint's theolog. Zeitschrift, IX. Jahrgg. Tom. I. p. 246 sqq., ubi locus biblicus Joan. XX, 23. ab Ecclesia solemniter declaratus (conf. supra §. 179. not. 3.) etiam contra aliorum perversas expositiones vindicatur.

§. 186. In quantum libertas catholici interpretis expositione Ecclesiae authentica non restringatur.

Quamvis catholici interpretis arbitrium authentica, quam hucusque exposuimus, interpretatione ita restringatur, ut teneatur non solum omnem interpretationem respuere, quae fidei catholicae sive generatim, sive quoad speciales Ecclesiae de sensu biblico decisiones repugnaret, sed etiam locos ab Ecclesia dogmatice definitos positive juxta sensum Ecclesiae interpretari; in pluribus tamen catholicus quoque interpres fidei suae obligatione adeo non stringitur, ut integra doctae interpretationis libertate gaudeat. Liber quippe est

1. in exponendis locis, qui ad dogmata morumque praecepta stricte talia non spectant, qui maximam s. Scripturae partem constituunt [1]).

2. His accensendi sunt etiam loci ex aliquorum solummodo judicio dogmatici, quin ab Ecclesia qua tales declarati fuerint [2]).

3. Libera quoque est expositio textuum dogmaticorum et moralium, dummodo non dogma definitum, sed meram Theologorum opinionem concernat [3]).

4. Denique in ipsis dogmatice definitis locis eruditionem suam multiplici ratione exercere potest, nec non debebit, qui officio suo satisfacturus ejusmodi locos modo supra indigitato (§. 185) tractare [4]), et praecipue contra adversarios, qui auctoritatem Ecclesiae non agnoscentes illos pervertunt, paribus armis defendere voluerit [5]).

[1]) Egregie in hanc rem Lud. Ant. Muratorius l. l. libr. I. cap. XXIII. scribit: „In profanae literaturae partibus, imo in ipsis Scripturis interpretandis, ubicunque non agitur de salutari illa fidei et caritatis doctrina, nunquam ita premimur auctoritate aut sanctitate aut eruditione majorum,

ut si quid melius, verius, aut saltem verisimilius ac probabilius nobis occurrat, proferre atque etiam adoptare non liceat, dum Scripturae sanctae veracitas dignitasque ubique intacta servetur."

2) Hujusmodi locus est Job. XIX, 25—27. וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם׃ וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ׃ אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי׃ Vulg. „*Scio enim, quod Redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo;*" qui locus, licet eum plurimi gravibus ducti rationibus ad doctrinam de resurrectione mortuorum referant, salva tamen fide aliter, puta de spe recuperandae sanitatis exponi potest, quum ab antiquioribus ac recentioribus interpretibus vario modo translatus et expositus sit, et dogma de resurrectione mortuorum salvum maneat, etsi locus iste de illa non agere asseratur. Conf. ad hunc locum Allioli, Heil. Schrift. T. III. p. 37.

3) Sic, quamvis ex Matth. XVI, 18. 19. summi Pontificis infallibilitatem plures adstruant, authentica tamen interpretatione non cogimur, haec verba de ea exponere; nec contra Ecclesiae fidem peccaret, qui e Gal. II, 11. ejusdem infallibilitatem negaret, quia infallibilem esse summum Pontificem solum, non dogma decisum, sed Theologorum opinio est, licet caeterum ejusmodi usus loci posterioris, ad justam interpretandi rationem aestimatus, nobis minime probaretur. Conf. §. 91. not. 4.

4) Valeat illud Vincentii Lirinensis, Commonit. cap. XXVII. „*Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.*"

5) Bene de hac re monuit Jos. Pletz in Frint's theolog. Zeitschrift, Jahrg. IX. T. I. pag. 258 sqq., ubi, cum demonstrasset, interpretationem locorum ab Ecclesia definitorum stricte dogmaticam esse firmiterque tenendam, ita prosequitur: „Ich rede aber von der katholischen Interpretation an katholische Leser oder Zuhörer; denn dass man bei jenen, welche die Principien des Katholicismus nicht anerkennen, auf eine andere Weise verfahren, und sie aus ihren Principien belehren und überweisen müsse, wird jeder eingestehen und, wenn er nicht thöricht ist, auch befolgen."

§. 187. An querendum sit de authenticae interpretationis jugo?

Ex dictis abunde patet, vana esse, quae de frenis ab Ecclesia catholica suorum interpretum judicio injectis jactitantur. Cum vero Protestantes haud raro submissionem, qua Ecclesiae Magisterium in exponendis Bibliis veneramur, servilem et progressui scientiarum adversantem esse autument, appendicis loco ad hujus capitis finem sequentes observationes subjungere liceat:

1. Ipse religionis nostrae sanctissimus auctor ejusque Apostoli doctrinam suam, ut jam supra dictum est (§. 175), declara-

runt immutabilem. Unde nec ipsi Protestantes, qui sincere sese subjiciunt fidei christianae, quae in se semper eadem manet, a jugo Christi liberi sunt, utpote immutabilibus ipsius praeceptis adstricti [1]).

2. Si auctoritas Ecclesiae, prout persuasum nobis est, revera ex institutione ipsius Salvatoris normam interpretationis biblicae constituit, haec ab omnibus Christianis eodem animo erit recipienda, quo alias dispositiones divinas recipere convenit [2]).

3. Ipsi Protestantes legibus Hermeneuticae universalibus, imo, nisi rationalismo indulgentes revelationem materialem ac inspirationem respuerint, peculiaribus etiam, ex divina Scripturae origine derivatis, libertatem suam subjiciant oportet; si nobis insuper regula ex Ecclesiae catholicae fide addatur, quid adeo querendum erit? Nonne mox inde ab origine sic dictae reformationis usque ad Semlerum omnes fere Protestantes uno ore interpretem biblicum Ecclesiae fide teneri dixerunt [3]) ?

4. Magisterium vero Ecclesiae eo gratiori suscipere animo oportet, quo exoptatior est in tanta s. Scripturae obscuritate quaedam lucerna, quae tenebras lumine suo collustret [4]).

5. Experientia ipsos Protestantes docuit, quo spretum Ecclesiae catholicae Magisterium et privatus Scripturam interpretandi spiritus illimitatus perducat, cum fere nesciant, quid credant, quidve in fide negent; quid? quod plurimi eorum omnem revelatam religionem prorsus abjecerint [5]). Nobis autem Ecclesiae doctrina est anchora, quae in necessariis fluctuare non sinit, in dubiis vero, et quae ad dogma non pertinent, libertatem interpretationis biblicae non impedit [6]). In necessariis interpretatio nostra non ipsius interpretis humani intelligentiae, sed divinae Spiritus sancti directioni innititur, et proin summa veritate gaudet.

6. Denique exortis de genuino s. Scripturae sensu controversiis judicium Ecclesiae catholicae est plane necessarium. Etenim Scriptura ipsa, ad cujus tribunal Protestantes, ii saltem, qui auctoritatem librorum symbolicorum excusserunt, omnes, quae de recta illius intelligentia exoriuntur, lites revocant, judex mortua est, quae nec litigantes audire, nec sententiam dicere valeat [7]).

[1]) Hac de re legi meretur liber, qui verba Christi Matth. XI, 29. 30. graece in fronte habet. Ἄρατε τὸν ζυγόν μῶ ἐφ' ὑμᾶς κ. τ. λ. Sind die Symbolischen Bücher ein Joch für die *freie* evangelische Kirche? gegen den Oberconsistorialrath Büsching untersucht von Wettengel 1790.

[2]) Sicut omnibus praeceptum est, qui Christi signa sequuntur, ut baptismum ab eo ordinatum suscipiant, ita quoque pari submissione Magisterium Ecclesiae, quod Dominus ad doctrinas revelatas, adeoque etiam biblicas declarandas ac definiendas constituit, admittere oportet.

[3]) Quantopere antiquiores Protestantium Theologi in interpritatione biblica librorum Symbolicorum rationem habendam esse existimaverint, infra §. 238. not. 2. dicetur.

[4]) Propter hanc s. Scripturae obscuritatem etiam in iis, quae ad fidem et mores pertinent, interprete non minus indigemus, quam ille eunuchus legens prophetiam Jesaiae, in qua sermo habetur de Christo, interrogatus a Philippo: *Putasne intelligis, quae legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi,* Act. VIII, 30. 31. De necessitate interpretationis sacrarum literarum dogmaticae propter earum obscuritatem legi merentur, quae erudite scribit J. Perrone l. l. Vol. III. P. II. cap. III. pag. 76 sqq.

[5]) Dissidia et pessima interpretationis consectaria, ad quae recentiores Protestantes rejecta omni auctoritate deducti sunt, historia exegeseos abunde testatur, et ipsi cordatiores Protestantium Theologi amare deplorant. Conf. §. 239. not. 3.

[6]) Inde est, quod in exponendis effatis biblicis, quae ad fidem et mores pertinent, interpretes catholici omnes conveniant, licet in aliis magna sententiarum diversitas ipsis quoque non desit, e. g. Gal. III., 20. Etenim, ut scribit s. Augustinus in epist. 54. ad Januarium, cap. 2. „*In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas statuitur.*"

[7]) „Scriptura *judex est mortuus*, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Quodsi in humana aliqua republica talis judiciorum forma esset praescripta, ut nulli essent *judices vivi*, sed solis exaratis literis controversia finiretur, praeterquam quod forma judicandi stultissima esset, nullus esset ligantium finis." Melch. Canus, De locis theolog. Lib. II. cap. VII.

§. 188. Conclusio.

Itaque tantum abest, ut libertas et progressus Hermeneuticae biblicae per authenticam Ecclesiae catholicae interpretationem impediantur, ut potius ejus ope singulari modo promoveantur. Profecto ampliorem in quovis scientiarum genere excolendo libertatem requirere non potes, quam ut mentem tuam excussis cunctis praejudiciis ac erroneis hominum opinionibus soli veritati subjicere cogaris; nec majorem disciplina quaevis perfectionem aspirare potest, quam ut ad scopum praefixum adhibitis aptissimis, quae haberi possunt, subsidiis feliciter pertingat. Jam Hermeneutica biblica, cujus est genuinum hagiographorum sensum omnibus, quae praesto sunt, adminiculis rite applicatis eruere, si cum legibus sci-

entiae, quibus superstructa est, simul Ecclesiae Magisterium conjungit, interpretem in omnibus, quae ad salutarem fidei morumque doctrinam pertinent, a recto tramite aberrare non permittit, et praecluso, in quem interpretes acatholicos incidisse videmus, errorum labyrintho, utpote non ipsorum hominum intelligentiae innixa, sed Spiritus s. testimonio confirmata indubitata gaudet auctoritate, ita ut summam sensus biblici veritatem subministret.

Quae cum ita sint, manifestum est, Hermeneuticam biblicam, ubi interpretatio Ecclesiae accesserit, remotis errandi periculis, quibus omne, quod est humanum, sine altiori adjumento obnoxium est, vere liberam esse, et ad summum, qui haberi potest, perfectionis gradum attingere. Equidem interpres catholicus auctoritate Ecclesiae impeditur, quo minus in rebus fidei et morum in medium prolatis hypothesibus audacioribus splendeat, et novis, quae mutabili genio temporis arrident, commentis nominis celebritatem venetur. Haec tamen eum non movent, quia, sicut quivis scientiae genuinae vere studiosus, solam veritatem quaerit, quae una et immutabilis est, sicut Christus ipse, qui eam annuntiavit. *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula;* et: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus* *).

*) Hebr. XIII, 8. I. Cor. III, 11. Confer etiam §. 175. not. 1. 2. Si quaeris opera, quae *de authentica Ecclesiae catholicae interpretatione* agunt, praeter alia commendari merentur:

1. *Institutiones hermeneuticae*, et quidem: D. Czerny, Institutiones Hermeneut. Lib. I. cap, XV. pag. 285—300. Lib. II. cap. VI. VII. pag. 80 — 142. — Joan. Ranolder, Herm. bibl. gen. Principia rat. christ. et cath. P. III. pag. 243 — 335. — Mich. Wittmann, Principia catholica de s. Scriptura. Ratisbonae 1793. Deutsch: Katholische Principien von der heil. Schrift, übersetzt von Handwercher. Landshut 1834. Cap. VII. pag. 170 — 185.

2. *Libri dogmatici*, quo spectant: Fr. B. Liebermann, Institutiones theol. Edit. III. Moguntiae 1831. Tom. II. P. II. cap. I. Art. III. §. III. pag. 393 sqq. — J. A. Moehler, Symbolik. Edit. III. pag. 358—394. — J. Perrone, Praelectiones theol. Vol. III. cap. III. p 74 — 140.

3. *Scripta periodica*, ex quibus nominamus: Jac. Frint's theol. Zeitschrift: Die Aussprüche des christlichen Alterthums über die richtige Erklärung der heil. Schrift, von Jos. Pletz. XII. und XIII. Jahrg. Wien 1824. 1825. — J. Pletz, Neue theol. Zeitschrift: Ueber die Anweudung der bibl. herm. Regel: Beachte die analogia fidei, von Wenz. Kozelka. VI. Jahrgg. Wien 1833.

4. *Opuscula specialia*, de hac re edita, uti: Clem. Laur. Gratz, Commentatio de Codice sacro interpretando. Campod. 1832. — Joan Alzog, Explicatio Catholicorum systematis de interpretatione literarum sacrarum. Monast. 1835. — Franz Vogl, Die heilige Schrift und ihre Interpretation durch die heiligen Väter der Kirche. Augsburg 1836.

CAPUT III.

DE DUPLICI QUORUMDAM LOCORUM SENSU.

§. 189. Dicendorum conspectus.

Postquam ea momenta, ad quae interpres biblicus ob divinam sacrarum literarum originem et ob apostolicum, quod divinus religionis nostrae auctor pro conservanda, nec non authentice declaranda doctrina revelata, cujus partem Scriptura complectitur, in Ecclesia sua instituit Magisterium, attendere debet, exposuimus, restat, ut peculiares quoque respectus ostendamus, quos ea Bibliorum virtus, qua hagiographos aliosque in Scriptura loquentes, a Spiritu s. directos, usos fuisse existimamus, vi cujus recedentes a communi cogitatus cum aliis communicandi ratione dictis suis duplicem, nempe praeter literalem alium realem, sublimiorem, subjiciebant sensum, sibi reposcit.

Equidem inde ab aliquot deceniis acriter disputatur, num ejusmodi duplicem sensum in s. Scriptura adstruere liceat, viris doctis in diversas, imo plane contrarias sententias abeuntibus. Quapropter ut hanc gravis momenti materiam ea, qua par est, attentione pertractemus, data justa duplicis sensus biblici notione ac divisione, primum de singulis ejusdem speciebus in Scriptura revera existentibus loquemur, dein opiniones de duplici Scripturae sensu minus rectas recensebimus. Ad finem quasdam observationes de citatis A. T. in N. T. occurrentibus, quae cum sensu duplici aliquantum cohaerent, adjiciemus.

§. 190. Notio et divisio duplicis sensus biblici.

Duplicem sensum illis locis biblicis subesse dicendum est, in quibus praeter sensum literalem, qui proxime et immediate verbis loquentis exprimitur, alius sublimior per res verbis significatas designatur, qui propterea etiam sensus realis et mediatus nuncupatur, et in sensum *mysticum* et *symbolicum* dividitur (§. 5). Quo-

rum alter cum altero in eo convenit, quod in utroque res verbis expressa aliam rem indicat; in eo vero alter ab altero differt, quod in sensu mystico, juxta antiquorum conceptum, res verbis significata rem aliam sublimiorem ad Christum ejusque regnum praesentis vel futuri saeculi pertinentem prophetice designat, contra in sensu symbolico res vel actio verbis expressa etiam alius rei sublimioris quidem vel eventus futuri signum est, quin tamen, saltem proxime, ad Christum referatur.

Itaque ad substantiam sensus mystici, de quo primum agemus, pertinet, *a)* ut praeter sensum literalem, quem supponit, significationem rei sublimioris intendat; *b)* ut res sublimior, quae innuitur, ad Christum ejusque regnum respiciat, atque *c)* divini numinis interventu praesagiatur. — Quia sensus mysticus refertur ad res, quae verbis expressae imagines seu Τύποι sunt rerum, quae Christum concernunt, sublimiorum, etiam *typicus* appellatur.

Triplex vero distinguitur ab antiquis: 1. *Allegoricus*, qui ad res fidei christianae spectat. Saepe tamen eadem denominatio generatim ad quemcumque sensum mysticum, imo etiam accommodatum denotandum adhibetur; 2. *Tropologicus* seu *moralis*, qui mores christianos respicit; 3. *Anagogicus*, qui ad vitae alterius statum atque gloriam aeternam refertur. Licet hae distinctiones parum idoneae sint, eas tamen propter communem interpretum antiquiorum usum retinendas existimamus*).

Alia divisio sensus mystici, quae quibusdam catholicis recentioribus placuit, *historicum*, *moralem* et *propheticum* discernit, prout res verbis expressae aut factum historicum, aut officium morale, aut eventum futurum innuunt. Ast praeterquam quod haec divisio non est logice accurata, potius ad sensum symbolicum, quam ad mysticum pertinet, ut ex sequentibus patebit.

*) Exempla triplicis hujus sensus non desunt. *Allegoricum* habes Joan. XIX, 36., ubi, quae de agno paschali Exod. XII, 46 dicta sunt: „*Os non comminuetis in eo*," Evangelista de Christo exponit, cujus crura milites non fregerunt. *Tropologicum* si requiris, audi Paulum I. Cor. IX, 8. sqq. praeceptum morale: „*Non ligabis os bovis, terentis in area fruges tuas*," Deut. XXV, 4. de alendis ministris Ecclesiae christianae interpretantem. Anogogicum denique idem Apostolus suppeditat, qui ad Hebr. IV, 2. sqq. illud Psalm. XCV, 11. „*Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*," ubi sacer vates de terra promissa loquitur, de felicitate alterius vitae a veris Christianis exspectanda explicat. Ad diversa sensus

(literalis nempe et mystici) genera memoriae imprimenda sequentes versus compositi sunt:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

S. Augustinus primus Patrum quatuor praefatos sensus distinxit Genes. ad liter. libro I., quem dein plures secuti sunt. Exemplum quadruplicis sensus plerumque statuitur Jerusalem, quae literaliter notam Judaeae metropolim, allegorice Ecclesiam in hac terra militantem, tropologice animam hominis virtutis studiosam, et anagogice patriam coelestem indicat.

I. SENSUS MYSTICUS,

§. 191. qui sacrae Scripturae adseveratur.

Postquam duplicis s. Scripturae sensus existentiâ suppositâ praeter sensum literalem quibusdam locis alium realem et mediatum, quem in mysticum et symbolicum dividendum existimamus, subesse diximus, et utriusque genuinam, ut putamus, notionem statuimus, accuratiori jam deductione expedienda est quaestio, num sensus mysticus s. Scripturae recte adstruatur, id est, num in sacris literis reapse adsint loci, in quibus res verbis expressae rerum futurarum sublimiorum, quae ad Christum ejusque regnum sive hujus sive alterius vitae spectent, imagines Deo disponente exhibeant? Et profecto, quamvis in regula unicum tantum in quovis loco sensum, nempe literalem, assumere liceat (§§. 4. 6), persuasissimum nobis tamen est, praeter illum pluribus s. Scripturae locis sensum mysticum subesse. Cujus rei ipsius s. Scripturae et Magisterii Ecclesiae auctoritate certiores reddimur.

1. Ut ab A. F. auctoribus exordiamur, ipsi haud raro suis, vel alter alterius relationibus praeter sensum, quem proxime indicant, alium sublimiorem subesse existimant. Loco enim non uno *doctrinas, leges et ceremonias A. T.*, quas describunt, veritatum sublimiorum, quae ad venturam N. T. oeconomiam pertineant, involucra esse, sat manifeste innuunt; praecipue vero *historiam Israelitarum* typum historiae sublimioris N. T. habere iis in deliciis est[1]).

2. Quemadmodum vero scriptores A. F. rebus, quas literis consignabant, res sublimiores, quae in foedere perfectiori a Messia constituendo eventurae essent, significari existimabant, ita vice versa auctores N. F. ad scripta A. F. respiciebant, in illis typos eorum, quae de Christo ejusque regno scribebant, videntes. Qua in re ita versabantur, ut manifestum sit ipsis persuasum fuisse, ea,

quae de dictis, factis et fatis Jesu ejusque regno spirituali referrent, in rebus gestis ac institutis antiquae legis divina dispositione esse praefigurata; idque eo magis, cum haud raro ex A. F. alio, quam qui illis ad literam aestimatis subest, sensu ad dicta sua comprobanda adducerent, et quidem modo singulos A. F. locos mystice acceptos laudantes, modo veterem legem generatim typum novae oeconomiae declarantes [2]). Jesus ipse frequenter non solum singulas antiquae legis res et personas diserte suae personae et Ecclesiae figuras declarabat, sed generatim de arcano veterum Scripturarum argumento ita loquebatur, ut manifestum sit, ipsum instituta et eventus in iis consignatos sortis suae et novae salutis oeconomiae typos habuisse [3]). Ast non solum scripta A. F. ab Apostolis et Salvatore ipso mystice exposita sensum mysticum comprobant, sed etiam effatis N. T. praeter obvium sensum literalem, verbis proxime expressum, sublimiorem, qui ad Redemtorem ejusve instituta, beneficia ac promissa pertinet, divina auctoritate adscriptum videmus [4]). Denique praeter figuras, quibus res sublimiores, quae ad Christum ejusque Ecclesiam his in terris militantem spectant, designantur, in utriusque Foederis paginis adsunt aliae, quae Christi Ecclesiam in coelesti patria triumphantem et felicitatem alterius vitae praesagiunt [5]).

Nec obstat, quod nonnumquam Propheta relationem inter res, quas verbis suis eloquitur, et inter res sublimiores, quae ad Christum atque salutem ab eo adducendam spectant, praefiguratas aut omnino non, aut non perfecte cognoverit. Sensus typicus nihilominus accipiendus est, quam primum testimonio divinae auctoritatis certiores reddimur, eum a Spiritu s. fuisse intentum. In ejusmodi casu discrimen locum habet, quod plures interpretes inter sensum, ut vocant, *subjectivum,* qui menti Prophetae obversatur, et *objectivum,* qui a Deo revelante intenditur, statuendum esse putant [6]).

3. Testimoniis ipsius Scripturae accedit Magisterium Ecclesiae, quae sensum mysticum semper amplexa est. Licet enim interpretationem mysticam nunquam diserta decisione sanciverit, saepius tamen tum in decretis Conciliorum, tum in libris liturgicis res verbis Scripturae proxime significatas tam perspicue ceu figuras rerum christianarum adducit, ut manifestum sit, ei de sensu ejusmodi locorum sublimiori persuasum esse. Accedit, sanctos Patres vix non omnes sensui mystico explorando plus minusve operam dedisse;

imo plures illorum sensibus occultis inquirendis nimium delectatos fuisse constat[7]). Quos non minori consensu secuti sunt Theologi catholici, quibus concordarunt Judaei antiquiores et recentiores, nec non Protestantes fere usque ad nostra tempora, donec propter abusum rerum novarum studiosi sensum mysticum plane repudiarent. Paucis sensus mysticus s. Scripturae tam universaliter fuit receptus, ut jure merito traditio hermeneutica habeatur[8]).

1) Sic Jesaias LIII, 7. sqq. haud obscure innuit, agnum paschalem A. F., cujus sanguine Israelitae a morte liberati sunt (Exod. XII.), esse typum Christi Salvatoris, agni paschalis longe sublimioris, cujus sanguine et morte expiatoria modo longe excellentiori genus humanum redemtum est. Psalmo LXXVIII., ubi historia Israelitarum inde ab exitu ex Aegypto usque ad Davidem recensetur, sacer scriptor v. 2. dicit: *Aperiam in parobolis* (בְמָשָׁל) *os meum, loquar aenigmata* (חִידוֹת) *inde a tempore antiquo;* ast historia mirabilis, populo notissima, sensu literali accepta non dici potest *parabola* et *aenigma*. Quapropter eâ ex mente auctoris statum sublimiorem N. F. praefigurari, recte statuitur. Conf. I. Cor. X, 1—11. Quae Genes. XIV, 18. sqq. de Abrahamo et Melchisedeco referuntur, Davides Psal. CX, 4. de Messia explicat.

2) Hebr. I, 6. Paulus Psalmi XCVII. versum 7., ubi sacer vates proxime majestatem Dei, regis Israelitarum, ab omnibus gentibus agnoscendam sequentibus celebrat: הִשְׁתַּחֲווּ־לוֹ כָּל־אֱלֹהִים *adorent eum omnes angeli,* ad Christum typice refert, demonstrans, eum longe superiorem esse angelis argumento desumto a cultu divino, quo ab his honorandus sit. — Generatim vero oeconomia antiquae legis relata ad novam legem typica declaratur Coloss. II, 16., ubi Apostolus mentione facta de institutis et ritibus Mosaicis v. 17. pergit: *Quae sunt umbra futurorum* (σκὶα τῶν μελλόντων, imago obscura futurorum), *corpus autem Christi* (τὸ δὲ σῶμα τȣ̃ Χριστȣ̃, res ipsa vero hac imagine adumbrata Christus est); et Hebr. X, 1. scribitur: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum* (ὀυκ ἀυτὴν τὴν ἐικόνα τῶν πραγμάτων i. e. non solidam et expressam effigiem rerum illarum futurarum).

3) Ejusmodi effata Domini sunt: Joan. III, 14. 15. *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto* (Num. XI, 8. 9.), *ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* et Matth. XII, 39. 40.: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus* (Jonae II.), *sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Quibus verbis utroque eventu sortem suam, nempe mortem salutiferam in cruce obeundam, sepulturam et resurrectionem adumbratam fuisse, sat perspicue innuit. Generatim vero legem antiquam relate ad Christum typicam fuisse, ipse Dominus Luc. XXIV, 44—46. sequentibus declarat: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. Tunc*

aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die. Quibus verbis Dominum praecipue praenuntiatam sortem suam ultimam, nempe mortem cruentam et resurrectionem spectasse, ex omni contextu (coll. Luc. XXIV. v. v. 17—27. 46. liquet. Jam vero istam sortem quod attinet, in lege Mosis vaticinia verbis immediate expressa, quae ad eam spectant, non deprehenduntur. Quam ob rem dubitare non licet, Christum adducto effato veteri Scripturae rationem typicam attribuisse, eumque aperientem Scripturae sensum ostendisse, antiquis rerum sublimiorum adumbrationibus suo adventu res ipsas successisse.

[4]) Ejusmodi est, quod Joan. XI, 49—52. legitur, ubi cum Caïphas Synedrio dixisset: V*os nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*" Evangelista subjungit: *Haec a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente etc.* Quo in loco, ut contextus manifesto docet, Caiphas monuit, magis conducere Jesum e medio tolli, quam ut totus Judaeorum populus manibus Romanorum pereat. Cui sententiae verbis proxime significatae, teste Joanne, ex intentione Spiritus sancti subest sensus alius longe sublimior hic: morte Christi expiatoria totum genus humanum esse redimendum.

[5]) Exemplum hujus rei praebet locus supra §. 190. not. *) commemoratus Hebr. IV, 3. sqq.

[6]) Ejusmodi discrimen inter sensum Prophetae et inter sensum a Deo revelante intentum hinc inde obtinere videtur in vaticiniis de regno Messiano. Etenim Prophetae hac de re nonnunquam ita loquuntur, ut regnum Messiae gloriosissimum quidem, ast terrestre prae oculis habere videantur. Quia vero Deus regnum Messiae spirituale constituere voluit, recte concluditur, Prophetis obscuram tantum imaginem hujus regni fuisse monstratam, ita ut ipsi sublimiorem ejusdem naturam non plene perspicerent. Conf. supra §. 85. not. 6. De *sensu subjectivo* et *objectivo* vide *Ackermanni* Introductionem, §. 76. pag. 223—225.

[7]) Exempla interpretationis Ecclesiae, e quibus ejusdem mentem sensui mystico patrocinantem cognosces, vide §. proxime sequente.

[8]) Quantopere mysticam interpretandi rationem Judaei et Christiani, et quidem Catholici et Protestantes coluerint, dicetur infra Parte II. Sect. II. in historia exegeseos. Conf. Fr. Münter, Handbuch der ält. Dogmengeschichte. Gött. 1802. T. I. p. 206—230.

§. 192. Regulae pro sensu mystico explorando.

Jam ex natura sensus mystici intelligi potest, ejus investigationem sat difficilem et incertam esse, nisi firmis praeceptis dirigatur. Etenim quia locorum, quibus hic sensus subesse censendus est, eam rationem esse diximus, ut duplicem sensum, praeter eum nempe, quem verba immediate exprimunt, alium sub-

limiorem, rebus per verba indicatis peculiari divini numinis efficacia ac directione subjectum complectantur, quorum utrumque ea, qua par est, ratione respicere oportet, etiam interpreti attentio eo magis duplicanda est, quo minus sensum posteriorem communibus interpretandi legibus explorare datum sit. Quapropter in hoc sensu indagando saepius haesitabit, imo a recto tramite plane aberrabit, nisi certas regulas a peculiari duplicis sensus indole abstractas sibi prae oculis ponat, quarum ope cohibeatur, ne suae potius phantasiae figmenta, quam sensum a Spiritu s. intentum inquirat. Et profecto historia exegeseos abunde testatur, antiquiores et recentiores interpretes, sensu mystico non ea, qua oportet ratione quaesito, interpretamenta plane arbitraria ac omni fundamento destituta in medium protulisse, contra primum Hermeneuticae principium peccantes, quod e s. Scriptura eundem sensum, quem auctores sacri consideratis legibus, a quibus loquentes dependebant, in ea deposuisse censendi sunt, eruere jubet.

Regulae vero, quibus interpres hac in re dirigatur, sequentes sunt:

1. In sensu mystico explorando sensus literalis nunquam negligatur, sed potius pro fundamento ponatur, cum res verbis immediate expressa typum seu imaginem rei sublimioris praebeat, ita ut sensus mysticus praeter vel super literalem datus hunc tam parum excludat, ut potius eum ulterius evolvat, rem sublimiorem ipsam exhibens, cujus ille obscuram umbram dedit. Licet vero hoc sit certissimum, plures tamen tum Judaeorum tum Christianorum interpretes hac in re ita alucinati sunt, ut defenderent, quosdam Bibliorum locos sensu literali penitus carere, et nonnisi mystico pollere [1]).

2. Sensus mysticus vero locis biblicis non temere, sed tunc solum adstruatur, quando certis indiciis comprobatur. Etenim sensus s. Scripturae sicut cujusvis alius orationis in regula unus est (§. 6); extant tamen argumenta indubia, auctores in quibusdam locis peculiari Spiritus s. virtute ita directos fuisse, ut sensui obvio verbis expresso alium sublimiorem, ast arcanum superadderent (§. praeced.). Cum vero Spiritus sancti intentio ejusmodi vim in loquentes exserendi, nisi ab ipso manifestetur, cognosci non possit, interpreti s. Scripturae alia certa sensus mystici indicia non relinquuntur, quam *ipsius Spiritus s. testimonia.* Spiritus s. vero sensum mysticum attestatur:

a) Per auctores s. Scripturae inspiratos, inter quos primum locum occupant scriptores A. F., qui nobis sensum mysticum produnt, ubi res verbis significatas esse imagines rerum sublimiorum, nempe Christi ejusque sortis vel institutorum innuunt, licet ejusmodi locorum sensus nonnisi accedente historiae evangelicae comparatione, quae typicae praedictionis eventum exhibet, clare cognoscatur [2]). Sequuntur auctores N. F., qui non tantum sensum mysticum quorumdam locorum A. F. attestantur, dum vel res et personas ibidem ad literam significatas qua typos rerum et personarum N. F. diserte declarant [3]), vel illas ita adducunt, ut eas indole typica generali, quam institutis et eventibus A. F. adscribunt, comprehensas esse facile intelligas [4]), sed etiam dictis et factis N. F., quae ipsi commemorant, praeter sensum, qui verbis immediate subest, alium sublimiorem et arcanum attribuunt [5]). Quod vero attinet locos A. F. in N. F. alio, quam qui verbis proxime ac immediate subest, sensu adductos, difficile nonnumquam est dijudicare, num eis revera sensus mysticus subsit, an solum illustrationis vel ornatus causa ad rem, de qua agitur, applicentur. Hoc loco generatim observasse sufficiat, ejusmodi citatis sensum mysticum necessario attribuendum esse, quam primum adparet, auctores N. F. inspiratos reapse credere, iis ejusmodi sensum esse subjectum, quod inprimis obtinet, quando e sua sententia loquentes locos A. F. ad res novae legis comprobandas adhibent.

b) Nec minus Spiritus s. per Magisterium Ecclesiae loquitur. Etenim licet Ecclesia interpretationem singulorum locorum mysticam nullibi decisione dogmatica proposuerit, non desunt tamen s. Scripturae loci, quorum sensum mysticum sive in Conciliis innuit [6]), sive in libris liturgicis sat perspicue profitetur. Equidem dissimulandum non est, in precibus et ritibus Ecclesiae dicta biblica ad ornatum et vigorem augendum et ad pietatis sensa fortius excitanda frequentissime ita solum adhiberi, ut non nisi meram accommodationem exhibeant. Saepius tamen aliter res se habet. Nam si eventus et instituta A. F., quae cum rebus N. F. singularem similitudinem praeseferunt, et ejus generis sunt, ut eorum ratio typica manifesta sit, ab Ecclesia quasi studio ac diserte qua figurae

rerum sublimiorum, quae in nova salutis oeconomia extant, adducuntur, de illius mente, typicam indolem ejusmodi rerum antiquarum agnoscendi dubitare non licet. Quodsi ejusmodi indiciis in decretis et liturgia Ecclesiae obviis plus minusve clarum suffragium scriptoris inspirati aut magnus ss. Patrum consensus accesserit, certitudo haud parum augetur [7].

[1]) Hujus generis interpretes, qui sensum literalem negligerent, et in sectandis sensibus arcanis omnem modum excederent, fuisse Judaeos Alexandrinos, praecipue Philonem, et inter antiquiores Christianos Origenem et qui ejus partes secuti sunt, infra in historia exegeseos uberius exponetur.

[2]) Exempla hujus rei vide §. praeced. nota 1.

[3]) Huc spectat locus Joan. XIX, 33. 36. „*Ut viderunt* (milites) *Jesum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* — — *Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo;*" quibus verbis Evangelista dicta, quae sensu literali ad agnum paschalem Judaeorum spectant, typice accipienda et in Salvatore mortuo adimpleta esse asserit.

[4]) Profecto quum Apostolus, ut monitum est (§. 191. not. 2.), legem veterem generatim umbram et imaginem novae legis declarasset, facile colligitur, ei, cum I. Cor V, 7. verbis: „*Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus,*" speciatim ad Exod. XII. respiceret, agnum paschalem Judaeorum typum Christi, agni paschalis N. F. longe sublimioris fuisse, licet id manifesto non dicat.

[5]) Quod Scripturam N. F. attinet, exemplum interpretationis ejusdem mysticae ab auctore inspirato datae habes supra §. 191. not. 4. Quo etiam spectare videtur Joan. XVII, 12. coll. XVIII, 9.

[6]) Quantum ad Concilia, Synodus Tridentina Sess. XIV. cap. I. De institutione Sacramenti extremae unctionis statuit: *Extremam unctionem esse vere et proprie Sacramentum N. T. — apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Quibus verbis Concilium sanationem aegrotorum ope unctionis Marc. VI, 13. commemoratam haud obscure qua typicam adumbrationem Sacramenti extremae unctionis Jac. V, 14. 15. clare propositi innuit.

[7]) Ejusmodi interpretationes mysticae in *liturgia Ecclesiae catholicae* plures deprehenduntur; paucas commemorasse sufficiat. In benedictione cerei paschalis canitur: *Haec sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, cujus sanguine postes fidelium consecrantur.* Similia in praefatione paschali occurrunt: *Cum pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi etc.* Profecto inter agnum paschalem et victimas A. F. et inter sacrificium, quod Christus morte sua violenta pro salute mundi in cruce obtulit, similitudo tam aperta intercedit, ut ratio figurae et figurati non possit non observari. Quapropter cum Ecclesia in laudatis ritibus dicta A. F.

instituta sat perspicue et absolute ad sacrificium Christi referat, dubitare non licet, ipsam rerum illarum typicam rationem profiteri, praesertim cum etiam plures loci N. F., quibus Christus agnus sacrificalis nominatur, uti Joan. I, 29. I. Cor. V, 7. I. Petr. I, 19. Apoc. V, 6. 12. XIII, 8. eandem expositionem confirment.

Aliud exemplum hujus rei in Canone Missae habetur, ubi post recordationem sacrificii Abelis et Abrahami additur: *Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Quibus verbis Ecclesia sacrificium, quod Melchisedechus pane et vino obtulit, incruenti corporis et sanguinis Christi in Eucharistia sacrificii typum fuisse, haud obscure innuit, in quam interpretationem Psalmo CX, 4. et Hebr. VII, 21. sqq. confirmatam *Patres graeci et latini* omnes, quotquot Melchisedechi ejusque sacerdotii meminerunt, mire conspirant. Praecipuos eorum nominatim allegare juvat.

Patres graecos quod attinet, primum nobis occurit *Clemens Alexandrinus*, qui lib. IV. Stomat. pag. 439. Edit. Paris. 1641. ait: *Melchisedech, rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiae.* S. Joannes Chrysostomus, homilia 36. in Genesim: *Vide,* inquit, *propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo Sacramentum insinuatur. Protulit enim panem et vinum. Videns typum cogita, oro, et veritatem, et admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus saeculis et ab initio futura praesignata sint.*

S. Cyrillus Alexandrinus lib. II. Glaphyrorum in Genesim scribit: *Aptavit itaque divinus Paulus haec ex similitudine clara ac manifesta Melchisedech Christo. Statuit autem symbolum sive typum Sacerdotii praestantioris, quam est legale, benedictionem Abrahae factam, vinique et panum oblationem. Neque enim alia ratione benedicti sumus a Christo magno et vero Sacerdote.* Et infra: *Ipsum etiam Sacerdotii modum in exemplum rei manifestae ob oculos posuit. Panes enim et vinum obtulit Melchisedech. — — Qui erat similitudo ac typus Christi, non carnaliter Sacerdotium administrantis, sed secundum virtutem vitae indissolubilis. Nutrit enim nos in immarcescibilem vitam mysticis sacrificiis.*

S. Isidorus Pelusiota, epistola 431.: *Melchisedech,* ait, *panibus et vino Sacerdotis munus obiens, per quae divinorum mysteriorum typum adumbrabat.*

Patrum latinorum agmen ducit S. Cyprianus, epist. 63. ad Caecilium scribens: *Item in sacerdote Melchisedech sacrificii dominici Sacramentum praefiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur et dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declaravit in Psalmis Spiritus s. ex persona Patris ad filium dicens: Ante luciferum genui te, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo*

utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Num quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. — — Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit imago sacrificii Christi in pane et vino scilicet constituta, quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis adimplevit.

S. Hieronymus in epist. 17. ad Marcellum: *Recurre*, inquit, *ad Genesim, et Melchisedech, regem Salem, hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium christianum in Salvatoris sanguine et Corpore dedicavit.*

S. Caesarius Arelatensis homilia 7. dicit: *Hic ergo in Melchisedech, cujus genealogia vel origo notitiam temporis illius latuit, oblatione panis et vini Christi sacrificium praesignavit.*

Similes aliorum Patrum sententias collectas exhibet Natalis Alexander, Hist. eccl. V. et N. T. Edit. Venet. 1778. Tom. I. pag. 160—162.

§. 193.
II. SENSUS SYMBOLICUS.

Ad alteram duplicis, qui quibusdam s. Scripturae locis subest, sensus speciem *sensum symbolicum* referendum esse diximus. Hoc vero nomine venit sensus mediatus, qui rei vel actioni verbis significatae ita subjicitur, ut alterius rei sublimioris vel eventus futuri signum sit, quin proxime ad Christum ejusque regnum spectet.

Ad symbolicum autem dicendi genus praeter res significativas, cujusmodi plures cultus Mosaici ceremoniae sunt, praecipue actiones quaedam Prophetarum pertinent. Prophetae enim haud raro actiones, quibus aliud quidpiam indicatur, aut reapse susceperunt, aut susceptas, quin eas vere susceperint, narrant [1]. Quamvis nos saepe lateat, utrum obtineat, exploratio tamen sensus neutro in casu exinde aliquid patitur, cum significatio actionis, de qua quaeritur, prorsus non mutetur, sive vere peracta fuerit, sive solum qua peracta ponatur.

De quorumdam Catholicorum recentiorum divisione sensus symbolici biblici in *historicum*, *moralem* et *propheticum*, quos omnes ad sensum mysticum, significatu minus recto acceptum, referunt, jam diximus (§. 190). *Historica symbola* dicunt, quae

ad eventus temporis praeterlapsi in memoriam revocandos faciunt, *moralia*, quae ad praecepta recte agendi spectant, et denique *prophetica*, quae eventus futuros designant. Prophetica porro in *simpliciter prophetica*, quae ejusmodi eventus futuros, qui proxime ad Christum ejusque salutis oeconomiam non pertineant, praesagiunt, et in *prophetica per eminentiam*, quae ad Christum ejusque regnum respiciunt, subdividenda esse existimant. Haec ultima symbola prophetica vere ad sensum mysticum, prout eum definivimus, reliqua ad sensum symbolicum referenda esse, ex dictis facile intelligitur [3]). Id vero adhuc notare juvat, quod hinc inde in s. Scriptura et in auctoribus profanis occurrant actiones singulares conjunctae cum verbis correspondentibus, quibus idem sensus simul mediate et immediate exprimitur, dum nempe scriptores aliique loquentes ponunt actiones, quae suapte indole idoneae sunt ad cogitata, quae elocuturi sunt, vividius describenda et animis auditorum et spectatorum acrius imprimenda. Ejusmodi itaque locis non tam sensus symbolicus purus et proprie dictus, quam potius symbolicus literali mixtus subest [3]).

Cum vero sensus symbolicus proprie dictus sit sensus mediatus, sensui literali quorumdam locorum non minus quam mysticus peculiari divini numinis dispositione adjectus et superstructus, et propterea exceptio a regula, vi cujus singulis locis unus tantum sensus subesse censendus est, ubi adstruitur, certis indiciis probari debet. Ejusmodi indicia sunt:

1. Declaratio diserta, qua res vel actio descripta significativa asseritur, data ab auctore aut alio, cui fides habenda est [4]).

2. Actio ita comparata, ut jam sua indole aut datis adjunctis significationem quamdam innuat [5]).

3. Denique actio symbolice accipienda est, si a Deo vel homine, qui divina auctoritate gaudet, peracta aut ordinata narratur, quae sine ulteriori significatione careret prudenti consilio [6]).

Nihil refert, quod actionis significatio a spectatoribus fors cognita non fuerit, cum nec infans significationem ceremoniarum baptismalium noscat, quin haec propterea desit.

Minus certe tamen rem quamdam Dei auctoritate peractam eam solum ob causam symbolicam statui posse arbitramur, quod sensu literali nil Deo dignum referri videatur. Quis enim ubique definiri praesumat, quid Deo dignum sit aut indignum, quaeve

Dei consilia — nobis fors hucusque incognita — sensui literali actionis descriptae subsint? Nec magnae difficultates, quae sensum literalem premunt, certum actionis symbolicae indicium praebent, quia plura s. Scripturae facta leges naturae superant, adeoque sua natura intellectui hominis sibi soli relicto difficultates haud exiguas creant. Difficultates vero ab ejusmodi eventibus non interpretatione rationalistica, ut vocant, aut arbitraria assumtione sensus symbolici removendas, sed ad interpretandi praecepta, quibus sacrae literae ob divinam suam originem pendent, solvendas esse, ex dictis facile patet [7]).

Quid vero res vel actio symbolica, quae occurrit, significet, aut ex adjecta explicatione, aut ex contextu, occasione et caeteris adjunctis, aut ex loquentis consilio plerumque sine difficultate cognoscitur [8]). Hinc inde tamen res manet aliquantum incerta [9]). Caeterum etiam in actionibus symbolicis plura non esse significativa, ex iis facile intelligitur, quae supra de imaginibus biblicis dicta sunt.

[1]) Exemplum rei symbolicae praebet lamina aurea in fronte summi Sacerdotis per vittam hyacinthinam alligata in signum, ipsum portare poenam eorum, quae Israelitae in muneribus et donariis deliquissent. Exod. XXVIII, 36—38. Actio symbolica reapse suscepta legitur Ezech. XII, 3. sqq., ubi Propheta jussus a Jehova egreditur vespere per parietem perfossum, et onustus vasis transmigrationis transit per populum ad indicandam sortem, quam subiturus esset Sedecias rex cum incolis Hierosolymorum. Actio symbolica narrata, quin revera suscepta fuerit, occurrit Jerem. XXV, 15. sqq., ubi narratur, Prophetam accepisse de manu Domini calicem furoris, et propinasse Hierosolymis, civitatibus Judae et cunctis regibus terrae; quo symbolo adumbrabantur calamitates illis imminentes.

[2]) Ad symbola *historica* pertinet celebratio Paschatis, ad recolendam memoriam liberationis ex Aegypto et salutis primogenitorum instituta, Exod. XII., nec non festum tabernaculorum, quo Hebraei octiduo tabernacula inhabitare tenebantur, in memoriam illius per Arabiam itineris introductum, in quo eorum patres etiam tabernaculis utebantur. Levit. XXIII, 42. 43. Symbolum *morale* est circumcisio juxta illud: „*Circumcidite igitur praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius,*" Deut. X, 16. coll. ibid. XXX, 6. Jerem. IV, 4. Rom. II, 39. Symbolum *simpliciter propheticum* habetur Jerem. XXXII, 1 — 15., ubi Propheta Chaldaeis Hierosolyma obsidentibus divino instinctu emit agrum, actione hac symbolica indicans fore, ut Judaei in exilium abducti in patriam redeant. Ad symbola vero *prophetica per eminentiam* referimus typos ad Messiam ejusque regnum spectantes, quos supra §. 191. not. 3. §. 192. not. 6. 7. adduximus.

[3]) Hujus generis est, quod narratur I. Reg. XXII, 11. „*Fecit quoque Sedecias, filius Chanaana* (pseudopropheta) *cornua ferrea, et ait* (regi Achabo): *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.*"

[4]) Exempla hujusmodi declarationis haec sunto: Hos. I, 2—9. Propheta jussu Dei sumit conjugem, quae laborabat mala fama lasciviae et ab ipso Deo uxor Prophetae imago regni Israel, filius Jisreel vero, filia Loruchama et filius Lo-ammi ex hac conjunctione symbolica nati signa poenarum, regno Israel imminentium declarantur. Simili modo baptismus novae legis a Christo institutus a Paulo significativus monstratur, dum Rom. VI, 4. scribit: *Consepulti sumus cum illo* (Christo) *per baptismum* (per immersionem, qua tunc conferebatur) *in mortem, ut* — — *in novitate vitae ambulemus.*

[5]) Ejusmodi actio est, qua summus Sacerdos die propitiationis egressus in atrium ante altare ambas manus capiti hirci graviter imponebat, quo symbolo eum omnibus peccatis, delictis et praevaricationibus Israelitarum oneravit, et demum viro tradidit, qui eum in loca deserta deductum liberum dimitteret, quo significabatur, Israelitas poena peccatorum liberatos esse. Levit. XVI, 21—22.

[6]) Huc referendus est locus Matth. XXI, 19. sqq. Macr. XI, 13. 14., ubi Christus ficum quamdam, quam juxta viam viderat, et in qua nihil repererat praeter folia, execratur, ita ut confestim exaresceret.

[7]) Ex hoc capite, quod Num. XXII, 20. sqq. de asina Balaami loquente narratur, quia res plane extraordinaria leges naturae superans est, non licet ita accipere, ac si esset actio symbolica, quae veritate historica carens suscepta narratur, quin reapse locum habuerit.

[8]) Explicatio actionis symbolicae extat Act. XXI, 10. sqq., ubi Agabus, qui sumta Pauli zona suos pedes et manus ligaverat, confestim hanc rem de futura Apostoli captivitate exposuit. Porro Ezech. V, 5., ubi Propheta disertis verbis indicat, quod symbolis praecedentibus III, 22. — V, 4. adumbraverat. Actio vero Jerem. XXVII, XXVIII., qua sacer vates jugum ligneum gestat collo, quod etiam ad civitates et reges mittit, et pseudopropheta in collo ipsius frangit, Jeremias autem a Deo jussus jugum ferreum sibi faciendum curat, tum ex indole sua tum ex contextu aliisque adminiculis hermeneuticis sensum hunc habere facile intelligitur: futuram populi captivitatem primum mitiorem deinde duriorem esse.

[9]) Ita Hos. III. non certo liquet, num actione symbolica exilium decem tribuum longe tempore duraturum ante adventum Messiae; an recentior populi Israelitici dispersio et conversio Israelitarum ultimis temporibus secutura designetur.

§. 194. Opiniones de duplici s. Scripturae sensu minus rectae.

Limites vero, intra quos justam sensus mystici et symbolici explorandi rationem circumscribendam esse praeceptis praecedentibus monuimus, vario modo interpretes transgressi sunt.

1. Plurimi interpretes sensu mystico et symbolico, qui certis indiciis ostendi potest, tam parum contenti erant, ut non solum pluribus rebus ac personis biblicis vim typicam tribuerent, quibus hanc a Spiritu s. subjectam esse probari nequit, sed omnem modum excedentes sensu literali plane neglecto ubique nonnisi sensus sublimiores quaererent. Arbitraria haec Scripturae tractatio passim *interpretatio allegorica*, nonnumquam etiam *mystica* appellatur, licet a genuina, quam professi sumus, interpretatione mystica longe distet, imo proprii nominis interpretatio, cujus est sensum ab auctore spectatum eruere, non sit, sed mera accommodatio seu applicatio, qua sententiae biblicae ad alias, ac loquens intendit, transferuntur. Unde sensum allegoricum seu accommodatum, qui ejusmodi agendi ratione profertur, veri nominis sensum non esse, jam observatum est (§. 6. not. 2). Quam late usque ad recentiorem aetatem propagata interpretatio allegorica nihilominus fuerit, historia exegeseos abunde demonstrabit. Caeterum sobrius ac ordinatus interpretationis allegoricae, seu accommodationis exegeticae usus, qui cura sensus genuini non neglecta ad aedificationem populi christiani adhibetur, a nobis minime reprobatur. Conf. infra §. 235.

2. Altero demum saeculi XVIII. dimidio magna hujus rei mutatio facta est. Cum enim allegoriarum sectatores omnes limites transgrederentur, alii hoc abusu offensi in alterum extremum deflexerunt. Inter Acatholicos *Jo. Guil. Rau* opere contra Theologiam typicam a *Jo. Dav. Michaelis* delineatam edito plurimis confessionis suae asseclis auctor fuit, ut non solum allegoriarum venationem, sed omnem quoque sensum mysticum tanquam inanem et otiosum ingenii lusum respuerent, quibus quidam Catholicorum, ast pauci tantum, plus minusve suffragari non dubitarunt [1]). Quantopere ejusmodi repudiatio sensus mystici testimonio s. Scripturae, menti ac usui Ecclesiae et ss. Patrum, nec non consensui Theologorum catholicorum vix non universali adversetur, ex dictis manifestum est.

3. Denique plures sunt interpretes recentiores, quibus *sensus mediatus*, *mysticus et symbolicus* idem notat [2]). Nos non habent consentientes. Etenim sensum mediatum, qui et realis nuncupatur, eum diximus, qui non immediate verbis, uti sensus verbalis seu literalis, sed per res verbis significatas indicatur

(§. 5). Quam ob rem tum sensus mysticus tum symbolicus ad genus sensus mediati quidem referendus est, nam uterque non immediate verbis, sed rebus, quas verba exprimunt, subest; specie tamen alter ab altero differt. Etenim sensus mysticus habetur, ubi res verbis expressa rem sublimiorem ad Christum ejusque regnum spectantem prophetice designat; contra sensus symbolicus adest, ubi res vel actio verbis expressa etiam alius quidem rei sublimioris vel eventus futuri signum est, quin tamen, saltem proxime ad Christum pertineat (§. 190). Itaque sensus mysticus et sensus symbolicus nequaquam plane idem denotant, sed duae diversae sensus mediati species sunt.

Nonnulli Catholicorum recentioris aetatis non tantum commemoratas sensus mediati diversas denominationes permiscent atque confundunt, sed etiam eam sensus mystici, quem in historicum, moralem et propheticum dividunt, notionem tenent, ut, si sensum propheticum eminentiorem excipias, non habeant, nisi sensum symbolicum [3]). Qui propterea interpretes nomen potius sensus mystici, quam ipsam rem tenent.

[1]) Anno 1763. J. D. Michaëlis in opusculo: Entwurf der typischen Theologie, interpretationi typicae patrocinatus est, et, licet justo frequentiores et arbitrarios typos antiquiorum interpretum restringere studuerit, in iis tamen assumendis ipse adhuc sat liberalis fuit. Quam ob rem contra eum insurrexit J. Guil. Rau edito opere: Freimüthige Untersuchung über die Typologie, Erlang. 1784., quo justos limites transgressus sensum mysticum prorsus respuit, inter protestantes multos sectatores consecutus. Inter Catholicos Altm. Arigler omnem sensum mysticum rejecit in Hermeneutica bibl. generali pag. 13 sqq. Eum hac in re presse sequitur G. J. Güntner, dum in Herm. bibl. pag. 176 sqq. loquens de erroneis quibusdam s. Scripturam interpretandi principiis et modis primo loco interpretationem mysticam ponit. Uterque notionem sensus mystici minus rectam tenet.

[2]) Quo spectant J. Jahn, Enchirid. p. 41 sqq. H. Janssens, Herm. lib. II. p. 260 sqq. C. Unterkircher, Hermeneut. p. 12 sqq. p. 213 sqq. Loehnis, Hermeneutik p. 28 sqq.

[3]) Ut discrimen, quo recentiores ab antiquioribus ratione notionis sensus mystici discedunt, exemplo ostendamus, commemorare juvat *sacrificia A. F.*, quibus hi et illi mysticam significationem tribuunt. Ast antiquioribus ea sunt typi prophetici mortis expiatoriae Redemtoris: contra recentiores nonnulli in iis non vident nisi actiones, quibus solum signis sensibilibus delineantur pia sensa sacrificantis, qui victimam in sui locum substitutam coram Deo destruens et quasi in nihilum redigens se ipsum in compara-

tione cum Deo, rerum omnium auctore atque Domino, nihilum esse profitetur. Ita accepta sacrificia non sunt, nisi actiones symbolicae. Conf. §§. 190—193. et Al. Sandbichler, Darstellung der Regeln einer allgemeinen Auslegungskunst. Salzburg 1813. pag. 26—32.

Quod spectat ad auctores, qui de sensu mystico et interpretatione allegorica scripserunt, commendari merentur:

a) Inter *Catholicos*: D. Czerny l. l. L. I. p. 128—140. Fr. Freindaller, Quartalschrift. Salzb. 1812. I. Jahrg. T. II. p. 266—129. M. Arneth l. l. p. 85—101. M. Wittmann l. l. Cap. XI. p. 250 sqq. C. Unterkircher l. I. p. 12—27. 213—219. G. Riegler l. l. p. 58—74. J. Ranolder l. l. p. 36—48. J. M. A. Loehnis l. l. p. 28—35. J. V. Hofmann l. l. p. 18—22. 181—184. J. A. J. Onymus, De usu interpretationis allegoricae in N. F. tabulis Bamb. et Würzburgi 1803.

b) Inter *Acatholicos*: J. P. Hebenstreit, Dissert. de s. scripturae literario et mystico sensu. Jenae 1704. J. Ch. Burgmann, Dissert. de eo, quod in indagando sensu mystico nimium sit. Rostoch. 1742. J. Rambach, Instit. Herm. Jenae 1743. p. 67—82. est: De sensus mystici criteriis. Edit. II. Jen. 1731. Jo. Gottl. Koerner, Dissert. de allegorica interpretandi ratione. Lips. 1782. G. C. Storr, Opuscula acad. Vol. I. Tab. 1796. p. 86—88. J. A. Ernesti, Opuscula theol. Edit. II. Lips. 1792. p. 476 sqq. Schütz, De causis interpretationis librorum sacrorum allegoricae, iisque, qui ante Philonem apud Judaeos Scripturam sacram allegorice interpretati sunt. Regiomontii 1614. J. Arn. Kanne, Christus im A. T. Untersuchung Ueber die Vorbilder und messianischen Stellen. 2 Theile, Nürnberg 1818. H. Olshausen, Ein Wort über den tiefern Schriftsinn. Königsb. 1824. Idem, Die biblische Schriftauslegung. Noch ein Wort über den tiefern Schriftsinn. Hamb. 1825. Fl. Th. Hartmann, Die enge Verbindung des Alten Testamentes mit dem Neuen. Hamb. 1831.

§. 195. Loci V. T. in N. F. adducti.

Cum inter locos V. F. in N. F. laudatos plurimi sint, qui vel in sensu literali ad Messiam spectant, vel typice eum praefigurant, et eam ob rem ad leges quoque peculiares expendi debent, quas ratione habita divinae s. Scripturae originis generatim spectatae, Magisterii Ecclesiae et sensus duplicis observandas statuimus, alii vero, licet accommodationibus sint accensendi, attamen nonnunquam iisdem fere vel similibus citandi formulis inducantur, haud inepte ad finem hujus sectionis de his locis per modum appendicis agendum esse existimamus. Qui loci itaque duplicis generis esse intelliguntur;

1. Allegantur haud raro vaticinia, quae sive in literali sive in mystico sensu ad Messiam spectant, et tempore Christi jam completa sunt, vel in ejus regno hujus aut futuri saeculi adhuc complebuntur [1]).

2. Dein satis crebro N. F. auctores morem scriptorum profanorum secuti, quae ab A. F. scriptoribus dicuntur vel referuntur, subjecto sensu ab illis proxime non intento, at ob aliquam similitudinis rationem auditoribus vel lectoribus probato et accepto per modum argumenti, ut dicunt, ad hominem, aut illustrandi vel ornandi gratia ad rem suam transferunt [2]).

Quodsi loci A. F. in N. F. eo, quem auctor ipse intendebat, vel quem, ipso etiam nescio, Spiritus sancti directione ejus dictis subjectum fuisse constat, sensu adducuntur, habentur *citationes proprie dictae* seu allegationes, secus sunt *citationes improprie sic dictae* seu applicationes, etiam accommodationes nuncupatae. Utrum vero locus A. F. ab auctoribus N. F. laudatus inter citationes proprie dictas sit referendus, an per modum argumenti ad hominem aut accommodationis aestheticae seu exegeticae sit adductus, hinc inde perquam difficulter definitur [3]). Ad quam difficultatem, quantum fieri potest, removendam vix aliud restat, quam

a) ut redeatur ad textum A. F., qui ex omnibus partibus examinetur [4]),

b) ut eadem subsidia adhibeantur, quorum ope eruendum esse supra monuimus, utrum auctor e sua, an ex aliorum sententia loquatur. Itaque quia, qui loquitur, e sua sententia loqui censendus est, ita ut, si ab isto more discedit, id rite probari debeat, non minus firmiter tenendum est, auctoribus N. F. persuasum fuisse, locis ex A. F. citatis inesse sensum, quem iis tribuunt, nisi rationes sufficientes aliud suadeant. Quod eo magis asserendum, ubi in N. F. etiam ex contextu, orationis consilio, aliisque subsidiis hermeneuticis certo intelligitur, Jesum et Apostolos proprie citare effatum V. F. Quo in casu profecto extra dubium positum est, eos loco adducto non qua argumento ad hominem, sed potius qua dicto prophetico usos esse ad alios convincendos, et propterea ejusmodi effatum ipsis esse argumentum verum et positivum ad veritates, de quibus agi-

tur, comprobandas. Sane ubi id fit, argumentum ad hominem vel accommodationem aestheticam adstruere, idem ac fidem personarum auctoritate divina loquentium in dubium vocare esset [5]).

[1]) Huc referendum est raticinium Jes. VII, 14. „*Ecce virgo concipiet et pariet filium,*" quod Virginis partu Matth. I, 22. ad literam impletum asseritur. Confer etiam Matth. II, 6. cum Mich. V, 2. et alia. Sensu mystico vero Joan. XIX, 36. in Christo impletum dicitur, quod Moses Exod. XII, 46. de agno paschali Judaeorum, qui typus fuit Christi, praescripsit: *Nec os illius confringetis.* Exemplum vaticinii mystici in altera vita implendi habes supra §. 190. in nota (Hebr. IV, 3. sqq. coll. Psal. XCV, 11.).

[2]) Sic Christus Matth. IX, 13. ad defendendam suam, et XII, 7. ad defendendam discipulorum agendi rationem laudat locum Hos. VI, 6. „*Misericordia mihi magis probatur, quam sacrificium,*" quibus verbis Propheta cultum divinum Judaeorum sui temporis sine vera pietate et benignitate erga alios reprobat. Accommodationes aestheticas reperies quam plurimas, uti I. Maccab. VII, 16. — 17. coll. Psalmo LXXIX, 2. 3. Matth. XV, 7—9. coll. Jes. XXIX, 13. Act. XIII, 41. coll. Habac. I, 5 et alias. — De more Graecorum et Romanorum, nec non Hebraeorum ac Patrum Ecclesiae antiquiorum sententias in alium sensum translatas sermoni suo inserendi, plura habes in Ranolder Hermeneuticae bibl. Principiis pag. 214 — 222.

[3]) Frequenter loci A. F. ab auctoribus N. F. adducuntur, adhibita formula ἵνα πληρωθῇ, *ut impleretur*, aut alia simili dictione. Verum etsi loci A. F. ejusmodi formulis adducti saepe vera vaticinia exhibeant, iis tamen solis de consilio auctorum N. F. effata V. F. ceu prophetica citandi certiores non reddimur.

Audi Joannem Maldonatum Comment. in Evangelia ad Matth. II, 15. hac de re disserentem: „Dicitur autem prophetia, quantum equidem observare potui, *quatuor modis* impleri. *Primum,* quum id ipsum fit, de quo proprie et literali, ut dicitur, sensu intelligebatur, sicut Matthaeus I, 22. dixit impletam in Maria Jesaiae prophetiam fuisse: *Ecce virgo concipiet et pariet filium. Secundo*, cum fit non id, de quo proprie intelligebatur prophetia, sed id, quod per illud significabatur, ut II. Sam. VII, 14. *ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium,* quod proprie de Salomone dictum esse, perspicuum est, tamen Paulus de Christo, cujus Salomon figura erat, interpretatur Hebr. I, 5. quasi in eo impletum esset. — — — *Tertio*, cum nec id fit, de quo proprie intelligitur prophetia, nec id, quod per illud significatur, sed quod illi simile est, et omnino ejusmodi, ut prophetia non minus apte de eo, quam de quo dicta est, dici posse videatur. Nam *populus hic labiis me honorat*, de Judaeis, qui tempore Jesaiae erant, Deus dixerat, Jes. XXIX, 13., Christus autem in iis, qui suo erant tempore, impletum significat

Matth. XV, 7. 8. Simile est exemplum apud Matthaeum XIII, 14. et in Actis XXVIII, 26. *Quarto* cum id ipsum, quod per prophetiam aut Scripturam dictum erat, quamvis jam factum fuerit, tamen magis ac magis fit. Tunc enim Scriptura impleri dicitur, id est, quod per eam dictum erat, cumulatissime fieri, — — — Illa ergo Hoseae prophetia: *Ex Egypto vocavi filium meum* (XI, 1.), proprie de populo Israel, quem Deus filium suum primogenitum appellare solet Exod. IV, 22, intelligebatur, ut ex verbis prophetae manifestum est: *Quia puer Israel, et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum.* Dicitur autem nunc impleta secundo et tertio modo. Nam et populus ille, in Aegypto exulans Christi ibidem exulaturi figura dici potest, — — et Christus populo in eo est similis, quod uterque Dei filius appellatur."

[4]) Quodsi ex hoc capite locum Psalmi CX, 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, a Jesu Matth. XXII. 44 adductum e suo contextu bene examinaveris, facile intelliges, eo nequaquam argumentum ad hominem contineri, sed de Messia proprio sensu referri, quo summa ipsius dignitas declaretur. Haec et alia, quae ex V. F. citantur in N. F. bene expensa, et qua vaticinia Messiana vindicata invenis in J. Jahn Appendice Hermeneut. Fasciculus I. et II. Viennae 1813. 1815; licet hic auctor caeterum in iis assumendis justo parcior videatur.

[5]) Exemplum habes in textu Psalmi CX, 1. nota praecedente laudato, qui non solum ex loco, ex quo desumtus est, sed etiam ex loco, in quo adhibetur, veri nominis allegatio esse intelligitur. Contextus enim Matth. XXII, 44. et orationis consilium clare docent, Jesum ex laudatis verbis argumentum positivum petiisse, quo propositis quaestionibus contra Pharisaeos ita argumentatur, ut pateat, eum voluisse illos de summa Messiae dignitate convincere. Confer etiam Act. II, 25 — 31, ubi Petrus demonstrat, Psalm XVI, 8. sqq. agere de Messia, et minime convenire Davidi cum hic sepultus sit, ejusque monumentum adhucdum exstet Hierosolymis. Plura hac de re vide in Danielis Tobenz Instit. s. Scripturae. Viennae 1814. P. II. pag. 433 sqq.

PARS II.

DE SENSU EXPLORATO EXPONENDO.

§. 196. Dicendorum conspectus.

Altera Hermeneuticae biblicae pars in expositione sensus explorati versatur. Ut vero, quae interpres in hoc munere obeundo observare debeat, magis illucescant, ita procedemus, ut prius ostendamus, quomodo sensus s. Scripturae exploratus rite exponi debeat, dein subjungamus, quomodo sensus s. Scripturae ab exegetis pro diversitate systematis hermeneutici, plus minusve recti, quod sequebantur, et dexteritate, qua gaudebant, reapse expositus sit. Itaque haec pars discedit in duas sectiones, quarum altera *theoriam sensus expositionis,* altera *historiam exegeseos* tradit.

SECTIO I.

THEORIA SENSUS EXPOSITIONIS.

§. 197. Divisio hujus sectionis.

Quemadmodum supremae sensus explorandi conditiones, ita etiam prima, ex qua sensus explorati expositio pendet, norma immediate ex summo Hermeneuticae biblicae principio descendit. Etenim quia hoc principium interpretem curare jubet, ut ex s. Scriptura idem percipiatur sensus, quem hagiographi in ea deposuisse censendi sunt, ipsius est efficere, non tantum, ut quae loquentes biblici oratione sua exprimere intenderunt, cogitata ipse intelligat, sed ut eadem etiam iis, quibus fit expositio, innotescant (§. 12).

Qua vero ratione posterioribus partibus ab interprete satisfaciendum sit, duplici iterum, qua s. Scriptura ex origine sua gau-

det, natura decernitur. Quantum enim humanae est indolis, easdem sequatur leges, quibus recta sensus explorati expositio cujusvis orationis tenetur; quantum autem divinitatis insignita est dignitate, peculiares, qui huic debentur, observet respectus. Quare omnis sensus biblici exponendi theoriâ ad duo capita reductâ, altero *supremam qua Hermeneutica universalis utitur, normam ad s. Scripturam applicatam* proponemus, altero, *quid in sensu s. Scripturae exponendo ob divinam ipsius indolem peculiariter observandum sit*, ostendemus.

CAPUT I.

SUPREMA HERMENEUTICAE UNIVERSALIS PRO SENSU EXPONENDO NORMA AD S. SCRIPTURAM APPLICATA.

§. 198. Quae haec norma sit?

Ad quam normam sensus explorati expositio cujusvis orationis conformata esse debeat, natura rei, quam continet, et finis, in quem suscipitur, docent. Natura rei exigit, ut idem plane sensus, quem verbis loquentis inesse, leges hermeneuticae ostendunt, exponatur, adeoque nec plures nec pauciores, nec perfectiores nec tenuiores notiones verbis subjiciantur; sed eaedem prorsus, quas loquens intendisse cognoscitur. Ast non solum materia, sed etiam forma orationis, utpote quae a dicentis conditionibus atque a dictorum vi majore aut minore haud parum pendet, quantum fieri potest, in expositione sollicite respicienda est, ne eâ mutatâ sensus ipse afficiatur, id est, vel augeatur vel minuatur. Expositionis autem finis, ut per se patet, alius non est, quam ut per eam adjuvetur lector vel auditor in assequendo sensu loquentis, quo perspicue eum cognoscat.

Quam ob rem norma, ad quam recta sensus explorati cujusvis orationis, adeoque etiam s. Scripturae expositio dirigatur, haec est: *Expositio sensus sit accurata, non tantum quoad materiam, sed etiam, in quantum linguarum indoles permittit, quoad formam* *), *necnon clara et perspicua.*

*) Quanti momenti sit, ut hanc supremae sensus exponendi normae postulationem exegeta biblicus sedulo prae oculis habeat, experientia docet, cum haud raro in libris theologicis, non tantum asceticis, sed etiam dogmaticis et moralibus sat multa invenias textibus e s. Scriptura adductis

substrata, de quibus hagiographi profecto non cogitarunt, et Rationalistae, uti Kantius, s. Scripturam nonnisi vehiculum habeant, cujus ope non doctrinam revelatam, sed sui cerebri opinionem commendent.

§. 199. Variae sensus biblici exponendi rationes.

Licet vero norma universalis, qua sensus inventi expositio accurata et clara atque perspicua esse jubetur, nunquam non observanda sit, quum tamen applicatur ad exponendum sensum biblicum, varia ratione vim suam exserit, quia quaevis expositio tum consilio speciali, quod exegeta sequitur, tum captui, votis et indigentiis eorum, in quorum gratiam suscipitur, accommodata sit oportet. Consilium quod attinet, alius verba et loquendi usum illustrare, alius generatim explicare, alius in specie ex textu biblico historias vel fidei et morum doctrinas eruere, alius materiam pro instruendis cultioribus aut incultioribus parare, paucis alius alia per expositionem biblicam quaerere potest. Ex natura rei omnis consilii diversitas plus minusve diversam expositionis rationem requirit.

Nec minus ob diversitatem capacitatis, ut dicunt, et desideriorum ac indigentiarum eorum, quibus explicatio fit, diverso modo in exponendo procedendum esse, haud difficulter intelligitur. Etenim multa ejus naturae sunt, ut vix alia, quam forma historica ad captum incultorum deduci possint, et docte et subtiliter tractata intellectum potius obruerent, quam illustrarent. Alii contra magis culti, qui non acquiescunt expositioni historicae, solidiorem rei explicationem capiunt et exoptant. Nonnulla a quibusdam non desiderantur. Sic vulgus disputationes de rebus biblicis fere abhorret, alii vero accuratiorem earum rerum expositionem, difficultates solutas, exhibitam cum principiis philosophicis convenientiam et alia hujus generis audire vel legere gaudent. Denique, quae aliis non tam bene cognita sunt, ut ipsis non sine utilitate explicentur, aliis ita nota adparent, ut fusius exposita minus placeant, aut etiam nauseam creent *).

Quod jam spectat multiplices adeo ac varias, quas consilium exegetae et ratio habenda eorum, quibus expositio fit, postulant Scripturae explicandae rationes, hoc loco de iis solum specialia quaedam praecipienda videntur, quarum cognitio theologis inprimis necessaria vel utilis est, quasque distinguere licet ratione

habita *materiae*, qua occupantur, et *formae*, qua pertractantur. De discrimine inter *doctam* et *vulgarem*, quam et *popularem* vocant, expositionem ad finem capitis pauca adjiciemus.

*) Ex hoc capite exegeta biblicus textum sacrum tractabit alia ratione, eruditum s. Scripturae Commentarium scribens, alia theologiae dogmaticae vel moralis praeceptorem agens, alia tandem usus homileticos vel asceticos prae oculis habens. Orator sacer in explicatione aliter iterum procedet ad populum christianum loquens, aliter pueros scholarum elementarium erudiens, aliter denique studiosos Gymnasiorum et Academiarum et linguarum gnaros instituens. Ut exemplo utamur, exegeta, qui opus sex dierum (creationis) Genes. cap. I. populo christiano explicat, captui et votis illius se accomodans forma historica utatur necesse est, ita ut auctoris narrationi acquiescat; contra vero qui eandem materiam pro eruditis pertractat, solidiorem dare expositionem oportet, ita ut descendat ad varias interpretationes, quas antiquiores ac recentiores hac de re in lucem protulerunt, ut solvat objectiones, quae contra eam moveri solent, et ut in specie refutèt mythicae interpretationis patronos, qui historiam Mosaicam in fabulam romanensem convertere nihil dubitant.

ARTICULUS I.

EXPOSITIO SENSUS S. SCRIPTURAE RATIONE HABITA MATERIAE.

§. 200. Articuli conspectus.

Ratione materiae, qua exercetur expositio s. Scripturae, speciatim attendendum est ad *textus historicos*, *propheticos*, *dogmaticos*, *morales et prudentiales*. Quaeritur jam, quomodo singulae hae textuum biblicorum species a theologis apte et utiliter pertractari debeant?

§. 201. Textus historici.

In exponendis historici argumenti textibus interpres ita versari debebit, ut

1. praeprimis statuat, quid narretur. Quem in finem videat:

a) in quo consistat integrum, quo exponendo occupatur, factum;

b) quae sint hujus facti adjuncta per narrationem inducta [1]).

c) Quodsi facti adjuncta vel plane praetermissa vel paucis tantum indigitata sunt, ea aut ex locis parallelis, aut ex nexu cum factis praecedentibus vel sequentibus, aut ex archaeologia vel rerum natura suppleat, aut fusius exponat [2]).

d) Praesertim vero eo enitatur, ut factum narratum quasi oculis conspiciendum exhibeat, adeoque se et eos, in quorum gratiam explicationem suscipit, in circumstantias facti, ut ita dicam, transferat.

2. Dein hinc inde non absque re erit, in causas moventes ad actionem [3]), aut fidem narrationis historicam inquirere, aut generatim indicare, quomodo factum, quod refertur, capiendum sit [4]).

3) Cum gravissimi momenti facta utriusque foederis sint *miracula*, de eorum expositione speciatim sequentia praecipienda videntur:

a) Caveat sibi interpres s. Scripturae, ne miracula inferat, ubi auctor sacer talia narrare non intendit, nec eliminet, ubi ille talia rei narratae inesse ipse censuit [5]).

b) Dignoscat miracula aut ex narrantis declaratione, aut ex facti indole, aut ex narrationis contextu [6]). Sunt, qui in narrationibus miraculorum inter judicium hagiographi et aliorum, quorum opinio refertur, vel inter illud et verum rei eventum hinc inde distinguendum esse existiment [7]), perperam statuentes, auctorem sacrum vel opinionem vulgi retulisse, quin sibi miraculum persuasum haberet, vel contra, miraculum quidem credidisse et narrare voluisse, ast veritatem historicam non attigisse.

c) Ostendat, quo factum narratum vires naturae excedat, et in quo miraculi indoles sit posita. Quo in negotio quae ex causis naturalibus possunt explicari, ex his exponat, cum sit naturalis expositio ordini providentiae divinae communi consentanea, supernaturalis vero exceptionem a viribus naturae supponat, adeoque tum solum assumenda sit, quando textus sacer eam manifesto postulat [8]).

4. Denique cum historia sit vitae magistra, utique pro ejusdem usu nec theologus negligat inquirere, quid e facto penitus et rite cognito discendum sit, et quidem in specie ratione Dei, sui ipsius et aliorum hominum [9]).

[1]) Sic e. g., si historia resuscitationis Lazari vel conversionis Sauli exponenda occupatur, ante omnia videat, in quo juxta verba narrantis Joan. XI. vel Act. IX. factum consistat, et quae sint adjuncta notata.

[2]) Exempla haec sunto: Adjuncta praetermissa, brevius perstricta et minus perspicua in conversione Sauli Act. IX, 3. sqq. ex loco parallelo Act. XXII,

7. sqq., in narratione solemnis Christi ingressus Hierosolymitani, summa populi laetitia et exultatione celebrati Joan. XII, 12. sqq., ex nexu cum praecedenti resuscitatione Lazari Joan. XI, 1. sqq. interpres supplere et illustrare debet. Pari ratione ad ea, quae referunt Marcus II, 3. 4. et Lucas V, 18. 19. de paralytico in lectica per tectum in atrium ad Jesum demisso, ex constructione domorum judaicarum, quam archaeologia biblica docet, explicatio petenda est. Et, si in historia curationis decem leprosorum Luc. XVII, 12. sqq. verba Evangelistae non certo determinant, num illi in vico, in quem Christus perrexit, an extra eum ipsi occurrerint, adjuncta loci ex natura leprae et lege Mosaica Levit. XIII, 46. Num. V. 2. 3., vi cujus leprosi ab urbibus hominumque consortio excludebantur, ita decernenda sunt, ut statuatur, rem narratam extra vicum contigisse, cum Dominus in eo esset, ut intraret.

³) Quodsi e. g. interpres observaverit, Herodem hominem crudelissimum ac suspicacissimum, qui diversis suppliciis tot filios, tot uxores, propinquos et amicos sustulerat, audito Magorum nuntio de rege Judaeorum recens nato timuisse, ne imperio vi et fraude quaesito privaretur, mira non videbitur amplius narratio Matth. II, 16. sqq., hunc virum ira exarsum omnes pueros Bethlehemicos biennes et nondum biennes trucidari jussisse, ut una cum his rex Judaeorum futurus interficeretur, et ipse ab omni cura et metu liberaretur, licet Josephus Flavius de hac caede nullam mentionem faciat.

⁴) Sic e. g. ad firmam et perspicuam expositionem historiae tentationis Christi in deserto, tam multis et tam variis interpretationibus distortae plane necessarium est, ut praevie ipsius fides historica vindicetur et ostendatur, Christum vere a Satana tentatum fuisse.

⁵) Contra hoc monitum peccant interpretes, qui narrationes, quae quidem eventus extraordinarios e. g. Jud. XV, 4. sqq. de trecentis vulpibus, i. e. canibus aureis, per quos a Samsone captos segetes Philistaeorum incendebantur, attamen non miracula complectuntur, pro miraculis exponunt. Non minus autem peccant etiam ii, qui narrationes, quibus auctores sacri manifesto miracula referre intendebant, ita detorquent, ut ea dispareant, e. g. Matth. VIII, 2. sqq. statuentes, leprosum a Domino non sanatum, sed solum mundum declaratum fuisse.

⁶) Ex ipsius auctoris declaratione miracula cognoscuntur e. g. Joan. II, 11. IV, 54. IX, 3. XI, 4. coll. 40. 42. Alibi ipsa facti narrati indole miracula indicantur, uti Matth. XIV, 22. sqq. coll. 26 — 33., ubi Christus super mare ambulasse narratur. Nec minus quinque fere millium hominum saturationem per quinque panes hordeaceos et duos pisces miraculum esse, praeter indicia modo laudata etiam ea, quae narrationem hujus eventus sequuntur, evidenter docent. Joan. VI, 5. sqq. coll. 14. 15.

⁷) Sic, quae Matth. XXVII, 51—53. narrantur de sepulcris apertis et de multis mortuis, qui surrexerant, et egressi e monumentis post Christi resurrectionem ingressi Hierosolymam multis apparuerant, recentiores quidam Protestantium ita explicant: „Eo die, quo Jesus mortuus est,

in illo terrae motu rupta et aperta sunt sepulcra nonnulla, in quibus corpora hominum non ita pridem mortuorum condita erant. Cadavera, quae vel erant ruina oppressa, vel a canibus feris devorata, non reperiebantur. Post Christi vero resurrectionem nonnullis piis Hierosolymitanis amici et familiares defuncti in somnis, vel in visione vigilantibus apparebant, seque in vitam rediisse iis ostendebant. Matthaeus, quin de miraculo cogitaret, simpliciter refert, quae narrabantur a πολλοῖς, ut ostenderet, quantam vim in animos hominum habuissent, quantopere eos in admirationem rapuissent ea, quae in morte Jesu evenissent."

Contra ad Joan. II, 1—11, ubi refertur, Jesum Canae Galilaeae interfuisse una cum discipulis suis convivio nuptiali, et convivis procurasse vini copiam, concedunt quidem, si paucos excipias, etiam Protestantium interpretes, Evangelistam miraculum narrare voluisse, id quod narrationis indoles et contextus sat evidenter docet; sed accurate discernendum esse praecipiunt, quid Evangelista, qui ignoraverit, quomodo vinum a Jesu procuratum fuerit, ipse crediderit, et narraverit, et quomodo res sese habuerit. Reapse miraculum non admittendum, sed rem omnem e causis naturalibus explicandum esse arbitrantur statuentes, Jesum apparitores jussisse aqua hydrias replere, eos vero ex composito vinum a Jesu clam procuratum hydriis infudisse. Vide ad utrumque locum Kuinoel Commentarium in libros historicos N. T. Cujus generis explicatione narrationes biblicae additis aut immutatis adjunctis, nonnisi ex cerebro depromtis, ita extenuantur et deformantur, ut facta narrata miraculosa esse desinant, et in eventus mere naturales abeant; verum addere, demere, vim inferre verbis s. Scripturae non est eam exponere, sed corrumpere. Ut taceam, tali explicandi ratione fidem historicam et inspirationem sacrorum scriptorum plane eludi.

[8]) E. g. quod attinet narrationem Joan. V, 2. sqq. de piscina ad portam oviariam Hierosolymis, in qua aegroti sanabantur, potest quidem concedi, illud lavacrum thermas fuisse, quae statis temporibus subterraneo calore ebullientes vim sanandi naturalem habuerint. At si v. 3. aegroti enumerantur (ἀσθενοῦντες, τυφλοὶ, χωλοὶ, ξηροὶ), et v. 4. asseritur, *quicumque primus post aquarum motum* se immersisset convaluisse, (ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι) *quocunque tandem laboraverit morbo*, non potest negari, viribus thermarum naturalibus accessisse virtutem extraordinariam ac supernaturalem, quin verbis Evangelistae vis inferatur. Confer, quae de eodem facto dicta sunt supra §. 121. not. 10.

[9]) „Bei einer Begebenheit kann sich das practisch-exegetische Nachdenken richten: *a)* auf das Vorausgegangene, womit dieselbe zusammenhängt; *b)* auf die Personen, um deren Willen sie geschehen ist, und deren Zwecke sie fördern sollte; *c)* auf die Begebenheit an sich, das ist, auf das, was da geschehen ist; *d)* auf die Zeit, wann, auf den Ort, wo, und auf die Umstände, unter denen sie sich zugetragen hat; *e)* auf die Folgen der Begebenheit; *f)* auf die Weise, wie sie diese Folgen her-

vorgebracht; *g)* auf das Benehmen der Betheiligten; *h)* auf die eigenthümliche Angemessenheit der Begebenheit; *i)* auf die in der Begebenheit liegende göttliche Fügung, Zulassung oder positive Einschreitung; endlich *k)* auf die Aehnlichkeit der betreffenden Begebenheit mit andern Verwandten." Hirscher, in der theol. Quartalschrift von Tübingen 1834. p. 412. sqq., ubi simul haec monita ad Act. IX, 1—9. applicantur. Protestantes quod attinet, J. Jac. Hess Narrationes biblicae (Geschichte Jesu und der Apostel II Th. 1772—1775. und Geschichte der Israeliten vor den Zeiten Jesu XII Th. 1776—1788.), qua exemplum interpretationis historiae sacrae circa plura merito laudantur.

§. 202. Textus propheticus.

Cum vaticinia, praeter miracula constituant criteria divinae revelationis stricte talia, textuum propheticorum rectaeque eorum expositionis gravitas neminem latere protest. Ut vero vaticiniorum probandi vis innotescat, haud mediocri solertia opus est ad eadem tum *edita* tum *completa* rite exponenda.

Quod jam *praedictiones* attinet, quae a sacris vatibus editae leguntur, ad tria interpreti respiciendum videtur. Primum ipsius est declarare, quid revera eventurum praedicat Propheta, quod hinc inde, praeprimis si vaticinia libris historicis continentur, difficultatem non creat [1]). Alibi tamen non ita facile ornatus poëticus et minae generales a praedictionibus vere talibus distinguuntur [2]). Alterum est statuere, quid humano intellectu praevidere potuerit Propheta, quidque sagacis quoque ingenii vires excedat. Quo in negotio inprimis circumstantiae facti accidentales et minoris momenti haud levi attentione dignae sunt [3]). Denique cum praedictione vaticinii eventus comparandus erit, ut dogmaticus Prophetae usus melius innotescat [4]).

Ubi *completa* vaticinia occurrunt, docendum est, quo sensu completa dicantur. Quem in finem consilium hagiographi eruendum, et ad ipsum vaticinium respiciendum erit [5]). Quodsi auctorem sacrum ad vaticinium respexisse probari nequit, nec interpres qua talis ad illud respicere debebit, et tantum pro usu practico, si circumstantiae suaserint, tale quid facere poterit [6]).

[1]) E. g. I. Reg. XIII, 2. interpres sine difficultate eruit, quid Propheta de Juda missus ad Jeroboam contra hunc regem praedicat. Etenim verba Prophetae clara atque perspicua indicant, regem ex stirpe Davidica nasciturum, Josiam nomine, idololatriam ab illo rege introductam eo cum

rigore abolitarum esse, ut etiam sacrificuli supra altari a rege idololatra erecto comburendi sint.

[2]) Sic Deut. XXVIII. promissionibus et minis generalibus versu 36. 49. et 68. praedictiones vere tales admixtae sunt, ubi attentione opus est, ut hae per adjuncta adjecta ab illis secernantur, et qua vaticinia exilii babylonici, et ultimo loco fugae plurium Judaeorum ob metum Chaldaeorum in Aegyptum explicentur. Conf. II. Reg. XXIV, 15. XXV, 5. sqq. 26.

[3]) Praedictiones, quae non genericis tantum verbis enuntiatae sunt, sed adjuncta etiam accidentalia ac minutiora temporis, loci ac personarum continent, indolem vaticinii vere talis praeseferunt. Ex hoc capite, si Jerem L. LI. in exponendo vaticinio eversionis Babylonis et reditus populi judaici in patriam ad circumstantias accidentales et minutiores, ut certas et determinatas, quae L, 3—5. 9. 41. LI, 30—32. 48. 58. etc. occurrunt, diligenter attenditur, clare elucescit, ex ipsius ingenii Prophetae acumine praedictionem hauriri non potuisse.

[4]) Ita e. g. cum praedictione I. Reg. XIII, 2. supra not. 1. laudata comparandus est eventus, qui teste II. Reg. XXIII, 15. 16. post 350 annos ad verbum contigit, et certum vaticinii vere talis criterium habetur.

[5]) Confer, quae §. 195. de locis V. T. in N. T. adductis praecepimus.

[6]) Ex hac causa, licet vaticinium Malach. I, 11. institutione sacrificii N. T. Matth. XXVI, 26. sqq. Marc. XIV, 22. sqq. Luc. XXII, 19. sqq. I. Cor. XI, 23. sqq. narrata completum sit, quia tamen scriptores laudati ad illud non respiciunt, nec eorum interpretis qua talis est, ad illud respicere; nisi forte ipsi locus fuerit, pro usu dogmatico ostendendi, sacrificium N. F. in V. F. esse praenuntiatum.

§. 203. Textus dogmatici.

In textibus dogmaticam doctrinam continentibus interpretis erit:

1. Doctrinam, de qua agitur, puram eruere. Quem in finem *a)* ipsum textum, quo exponendo occupatur, et *b)* ubi is doctrinam minus accurate vel obscurius tantum eloquitur, etiam locos parallelos, atque *c)* analogiam fidei ante oculos sibi ponet [1]).

2. Caveat sibi vero, ne ex dogmaticis textibus alia, quae pura Salvatoris nostri doctrina non sunt, eruat. Hoc monitum negligeret; *a)* si dato textui plus tribueret, quam continet [2]); *b)* si modum proponendi doctrinam; *c)* eamque probandi etiam ad dogmaticam referret [3]); *d)* imo ipsam doctrinam, prout mera litera, nulla contextus ac consilii orationis ratione habita, requirit, perperam sumeret [4]).

3. Ad doctrinam accuratius perscrutandam haud abs re erit, ejusdem fontem inquirere, utrum ratio sit, an mera revelatio, ra-

tioni tamen non contraria; utrum nova sit doctrina, an in A. F. jam et ipsius libris etiam antiquioribus contenta [5])?

4. Demum paucis usus dogmaticus, et si, quod haud raro obtinet, textus simul moralis est, etiam doctrina, quam complectitur, moralis, imo hinc inde quoque nexus cum aliis disciplinis poterit indigitari, dummodo non justo prolixior sit interpres, egrediendo scilicet limites muneris sui. Praecipue dignior, quae de Deo et de dignitate atque fine hominis e doctrina biblica prodiit notio, non negligatur [6]).

[1]) Sic e. g., quia Matth. V, 34. dictum a Domino: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino,* jusjurandum ut per se illicitum rejicere videtur, interpres non solum ipsum textum ex occasione et orationis consilio, nec non ex contextu ventilabit, sed etiam illos locos, ubi neque Jesus neque Apostoli coram magistratibus aut in re gravi jusjurandum detrectasse leguntur, ut Matth. XXVI, 63. Rom. IX, I. II. Cor. I, 23. et omnem analogiam doctrinae respiciet, ita ut effatum illud Domini non de omni jurejurando, sed de mala consuetudine jurandi in colloquiis obviis per formulas deceptorias explicet.

[2]) Profecto, qui verbis Joan. XVII, 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et, quem misisti, Jesum Christum*, unice insistens fidem in verum Deum et Jesum Christum solam salutis consequendae conditionem declararet, textui tribueret doctrinam, quae ei ex mente Domini non inest.

[3]) Nec minus interpres e textu erueret, quod non continet, si modum proponendi doctrinam, e. g. Marc. IX, 43. 47. de verme non morituro et igne non exstinguendo et modum eam probandi, puta Hebr. VII, 1. sqq. ipsam doctrinam esse assereret.

[4]) Ita, si interpres Rom. IX, 16. ex verbis: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, vellet inferre, in consequenda justificatione libero hominis arbitrio nullas partes esse concedendas; vel si ibidem verba v. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* de absoluto praedestinationis et reprobationis decreto declararet, sane doctrinam Apostoli contra contextum et orationis consilium exponens auctori, quae non dicit, obtruderet.

[5]) E. g. in expositione loci classici Rom. V, 12—19. de peccato originali opportune monebit interpres, hanc doctrinam ab omni philosophia fuisse ignoratam, non tamen novam esse, sed jam in V. T. libris contentam Genes. III. Sap. II, 23. 24.

[6]) Ita Matth. VI, 26—34. praeter doctrinam dogmaticam de divina providentia interpreti sua sponte se offeret praeceptum morale de spe in Deum collocanda, pariter exponendum.

§. 204. Textus morales.

Denique si spectamus textus morales, qui ob maximam, quam exercent in vitam christianam vim, gravissimi momenti sunt, curandum erit interpreti,

1. ne praeceptum morale declaret, quod non est. Hocce vitium committeret, si *a)* dispositiones temporales [1]), *b)* praescripta liturgica [2]), aut *c)* consilia praeceptis moralibus accenseret [3]). Quod ne fiat, ipsi tum ad circumstantias et materiam substratam, tum inprimis ad analogiam fidei attendendum erit.

2. Porro praeceptum morale, de quo sermo est, exponat, ostendens, quale sit, qui sint ejus limites, quae ejusdem, si textus talia exhibet, motiva etc. [4]).

3. Utilissimum quoque erit pro usu, si interpres indigitet rationes, ob quas regula moralis in Bibliis data sit sancta, justa et pia ratione habita ad Deum, ad semetipsum et proximum, et moneat de adminiculis, quibus illius observatio adjuvetur [5]). Rationes vero, quibus regula in textu superstruitur vel commendatur, ab hac esse distinguendas, sponte intelligitur.

[1]) Caveat itaque, ut exemplo utamur, ne statutum Concilii Hierosolymitani Act. XV, 20., quo mandatur, ut conversi ex Gentilibus *abstineant se a contaminationibus simulacrorum, — et suffocatis et sanguine*, pro praecepto morali semper duraturo, sed pro dispositione temporali exponat.

[2]) Quam ob rem non pro praecepto morali, sed pro praescripto liturgico declaret, si I. Cor. XI, 3. sqq. Apostolus virum aperto, mulierem autem velato capite orare jubet.

[3]) Pari modo monitum Christi Matth. XIX, 21. adolescenti datum: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo*, non ad praecepta, sed ad consilia, ad quae pertinet, referat. Conf. §. 144. not. 7.

[4]) Sic in explicandis, quae Rom. XIII, 1. sqq. occurrunt, ubi submissio ac obedientia principibus et legitimis potestatibus praestanda praecipitur, naturam et ambitum hujus officii, etiam in conscientia obligantis, et gravia, quae textus indigitat, motiva exponere oportet interpretem.

[5]) Ad monitum Rom. VIII, 1. sqq. Christianis datum, non secundum carnem sed secundum spiritum ambulandi, attento interpreti multiplices ac variae rationes ad hujus moniti justitiam et sanctitatem vindicandam et observationem ejus adjuvandam se offerent.

§. 205. Textus prudentiales.

Demum quod attinet textus, quibus prudens agendi ratio commendatur [1]), examinandum erit, num regula adhuc absolute valeat,

an ad certas circumstantias restringenda sit et quomodo? Scilicet quae Judaeis aut primis Christianis prudenter agenda erant, non omnia nostris quoque, quae aliae sunt, circumstantiis quadrant. Quam ob rem consultum erit pensare, quid regulae ansam dederit, num id plane adhuc valeat, vel quibus in casibus modo sit adhuc observanda [2])?

[1]) Ejusmodi sententiae prudentiales in Proverbiis Salomonis atque in Siracide passim, et hinc inde etiam in libris N. T., e. g. I. Timoth. V, 23. etc. occurrunt. Confer §. 118.

[2]) Sic, si Proverb. XX, 16. XXVII, 13. vestimentum ejus, qui fidei jussor extitit pro alieno, auferri suadetur, regula pro Judaeis habetur, ex statutis V. T. circa causas debitorum explicanda, quae in tantum adhucdum valet, in quantum semper hominis prudentis est, non facile pro debitore spondere.

ARTICULUS II.

EXPOSITIO SENSUS S. SCRIPTURAE RATIONE HABITA FORMAE.

§. 206. Ejus diversae species.

Praecipuae, si ad formam attenderis, species sensus biblici exponendi et exercitationes exegeticae sunt: 1. *Lectio s. Scripturae.* 2. *Analysis.* 3. *Versio.* 4. *Paraphrasis.* 5. *Homiliae.* 6. *Scholia et glossae.* 7. *Tractatus.* 8. *Commentarii.* De quibus singulis itaque pauca dicemus.

§. 207. Lectio.

Lectio s. Scripturae generatim sumta non tam specialibus expositionis biblicae rationibus accensenda, quam potius pro praevia cujusvis exercitationis exegeticae conditione habenda est, quia quivis conatus s. Scripturae sensum non solum recte investigandi, sed etiam rite cognitum sibi aliisve exacte ac perspicue repraesentandi aliquam ejusdem lectionem supponit. Attamen de *cursoria*, quam vocant, *lectione* s. Scripturae hoc loco quaedam commonere opportunum existimamus, quod eam Theologiae candidatis ipsisque sacerdotibus valde commendamus, et simul idoneam ejus instituendae rationem tradimus.

Primum quod attinet, ad ejusmodi lectionem merito hortamur,

1. quia tirones per talem lectionem longe rectiorem et pleniorem integrae s. Scripturae notitiam sibi acquirunt, quam separatis rerum biblicarum descriptionibus aut excerptis;

2. quia repetita lectione tali praecipuum s. Scripturae argumentum, saltem historicum memoriae imprimitur;

3. quia parallelismus recenti lectione memoriae occurrens plurimas difficultates solvet, solvendique materiam subministrabit [1];

4. quia ad studium biblicum tali lectione optime praeparantur Theologi, partim quum per eam necessitas disciplinarum biblicarum, et theologicarum generatim pandatur, partim vero quum his ipsis disciplinis majore utilitate opera navetur, postquam allegatorum locorum contextus cursoria Bibliorum lectione innotuerit.

5. Demum pro usu tum quoad propriam aedificationem, tum quoad munus pastorale sacerdotum haud exiguus e tali lectione fructus excrescet.

Dein quod attinet rationem, qua hanc lectionem instituere nos oportet, bene agunt Theologi, qui locos difficiliores, quos statim dilucidare datum non est, aut qui ob quamcunque rationem graves videntur, chartae mandent, ne memoria elabantur, et desint, quando aut usus aut lux se offeret. Porro commodum est, singulis diebus ordine fixo partem Bibliorum sacrorum ita legere, ut saltem anno currente omnes libri sacri lectione absolvantur [2].

Quodsi quaeritur, quo idiomate s. Scriptura sit legenda, respondemus, in cursoria lectione de idiomate non adeo sollicitum esse oportere, cum sensus Bibliorum, si spectamus essentiam, in omnibus sit idem, dummodo versiones, quibus utimur, sint accuratae. Porro idiomatis usus a legentis facultate pendet. Praeferant patrium idioma, qui sufficiente latinae aut originiariae linguae cognitione carent. Cum tamen cognitio idiomatis versionis latinae Vulgatae vix in ullo Theologo desiderari queat, haec pro cursoria lectione etiam illis, quibus facultas idiomatis originarii non deest, jam propterea commendari meretur, quia simplex ejusdem et nativus sermo animum mire afficit, et frequens usus ecclesiasticus memoriam egregie adjuvat.

[1] „In hac lectione, ut Jahnii verbis utamur, observentur expressiones synonymae et antitheticae, quae multum conferunt ad sensum adcuratius definiendum, notentur porro rationes syntaxeos, dictiones a nostro usu loquendi recedentes, earumque vis eruatur; animadvertatur contextus clarus et obscurus; loca difficilia, quae se ipsa offerent, illustrentur; elucidentur tropi et allegoriae." Enchirid. Hermeneut. pag. 180. Quod monitum, ut patet, praeprimis ad lectionem textus originarii quadrat.

²) Schema hujus lectionis plures dederunt. Sic, e. g. tabula lectionis totius s. Scripturae in annum dispertitae exhibetur in Mich. Wittmann, Kathol. Principien von der heil. Schrift. pag. 290.

§. 208. Analysis.

Lectioni cursoriae subjungimus *analysin* seu resolutionem totius libri in suas partes majores et minores, quae si non in omnibus, in plerisque certe libris perutilis et saepe necessaria est. Etenim ejus ope fiet, ut argumentum libri partiumque plenius perspiciatur, facilius memoria retineatur, in consilium et mentem auctoris, ordinem ac nexum orationis altius penetretur, et demum comparatio cum aliis scriptoribus et locis parallelis facilior reddatur. Ad ejusmodi analysim perficiendam liber neglecta omni aliorum divisione attente legendus, sectiones, quibus constat, ex clausulis et materia substrata eruendae et mox notandae sunt, demum argumentum singularum partium majorum et minorum paucis exprimendum est *).

*) Ut exemplum ponamus, si epistolae ad Galatas analysis instituitur, praeter salutationem I, 1—5. et conclusionem VI, 11—18. observantur tres partes majores, quarum prima Paulus auctoritatem suam apostolicam stabilit I, 6 — II, 21.; altera legem Mosaicam abolitam esse ostendit III, 1 — V, 12.; ultima Galatarum vitam juxta Evangelii praecepta disponere nititur V, 13 — VI, 10. Ulterior primae partis analysis fere sequentia momenta subministrabit:

1. Ego Evangelii unice veri doctor sum I, 6—9.;

2. quod vel ideo credatis, quia unice Deo placere studeo I, 10.;

3. Accepi Evangelium a Deo revelatum I, 11 — 12.; *a*) nam alias non dereliquissem prius adamata, Evangelio opposita I, 13 — 14.; *b*) ab aliis edoctus non sum, utpote eos non adiens, imo ipsis a facie ignotus I, 15—24.

4. Mea doctrina concordat cum reliquorum doctrina: *a*) Titus non est circumcisus II, 1 — 3.; *b*) alia docentibus non cessi II, 4—5.; *c*) Apostoli meam vocationem apostolicam agnoverunt, effectibus mei Apostolatus convicti II, 6—8.; *d*) me in suam societatem exceperunt II, 9—10.

5. Restiti ipsi Petro II, 11—21.

Hanc provinciam inter alios excoluerunt: Schwickard, Bibliorum compendium analyticum. Einsiedlen 1788. quo opere analysis universae s. Scripturae datur, et Pet. Al. Gratz, qui editioni N. T. graecolatinae Evangeliorum Synopsin cum locis parallelis praemisit. Quibus addi potest Synopsis et harmonia quatuor Evangeliorum a Dre. Jos. Al. Rotermundt concinnata, Passavii 1834, cujus operis appendix exhibet etiam argumentorum synopses, quas plures alii auctores adoptarunt.

§. 209. Versio.

Versio dicitur permutatio linguae libri alicujus cum alia lingua [1]). Instituitur eo consilio, ut librum intelligant, qui idioma, quo praesto est, non callent. Quod in specie attinet versionem biblicam, ea simul est utilissimum tironibus interpretationis exercitium. Etenim cum in eo erunt, ut vertant, quae legentes probe intellexisse videbantur, centies haerebunt, observantes, se notionem aliquam vel sensum nequaquam plane et clare percepisse. Qua observatione adigentur non solum, ut novo et ulteriore examine discant, quid intelligentiae suae defuerit, et in animum scriptoris intimum penetrent, sed etiam ut comparatis aliorum, quae habentur versionibus ingenium suum acuant.

Regulae bonae versionis, quae e definitione deducuntur, sunt:

A. *A translatore lingua mutetur.* Ad linguam

1. *Spectant vocabula,* quibus itaque alia substituantur, quae peregrinis ratione significatus, non vero etymologiae tantum respondent [2]).

2. *Ad linguam pertinent grammaticae et syntacticae proprietates,* quae e genio linguae peregrinae provenientes legibus linguae versionis attemperentur [3]).

3. *Demum ad linguam referendae sunt phrases,* quae proin, si ad literam translatae e genio linguae peregrinae obscurae maneant, in versione clarius reddantur [4]). At hujus mutationis justos nunquam migrare limites, quam difficile, quam arduum opus [5]) ?

B. *Nihil, nisi lingua mutetur.* Unde

1. sine omni immutatione maneant *cogitata,* et proin, quantum fieri potest, omnes illae linguae peregrinae dicendi rationes, quibus aliqua virtus sive logica sive aesthetica inest, diligenter serventur [6]). Ea, quae linguae originali ita inhaerent, ut in linguam versionis vocabulis omnino respondentibus efferri non possint, vel circumscribenda, vel cum aliis permutanda sunt, quae ad expressionem libri originalis proxime accedunt [7]).

2. Caveat sibi translator, ne verbis textus originarii determinatis minus determinata et ambiguae significationis, et vice versa verbis minus determinatis magis determinata et certiora in versione substituat [8]).

3. Multo minus omnino alterius significatus vocabula in versione substituantur, quam sunt in textu originali, ut novae notiones intrudantur, et sensus, qui displicet, destruatur [9]).

4. Nec quidpiam remittatur de notione originalis [10]).

Versio vero Bibliorum, qui his regulis exacte respondeat, est opus profecto difficillimum. Oportet enim eam ita adornari, ut non tantum sensus auctoris accurate prodeat, sed ut quasi ipse auctor loquens audiatur. Quam ob rem etiam indicia antiquitatis, patriae atque cogitandi ac sentiendi rationis, quae verbis loquentis in textu originali aspersa inveniuntur, in versione accurate referantur [11]). Quae cum ita sint, facile intelligitur, cur vix talis Bibliorum translatio sperari possit, quae omnibus probetur. Quae enim pressius literam sequitur versio, et propterea *literalis* vel *verbalis* dicitur, justam perspicuitatis et concinnitatis rationem non habet, et hinc placere nequit. Sed neque, quae *libera* nominatur, quia a litera discedens phraseologiae biblicae exiguam aut prorsus nullam rationem habet, et formam orationis sine necessitate mutat, quod ornatiori sermone, aut saltem magis ad morem nostrae aetatis composito, utatur, quam antiquitatis ratio patitur, et hinc ipsorum translatorum opinionibus plus minusve dirigi creditur, rerum peritis arridet. Eam vero versionem, *nimium audacem*, ut vocant, qua translator de industria, officio suscepto graviter violato, sensibus Scripturae, qui minus placent, eliminatis sua sensa ingerit, plane reprobandam esse, imo ne nomen quidem versionis mereri, vix est, quod moneamus. Generatim labor versionis biblicae tot ac tantas dotes requirit, ut nemo illi perficiendo par existimetur, nisi qui sagacissimo ingenio ac subtilissimo pulchri ac decori sensu praeditus, omnis generis eruditione instructus, in Classicorum praecipue interpretatione versatissimus fuerit, ac perfectissima, quae haberi potest, linguarum notitia excelluerit. Ad quod hac in re enitendum est, in eo consistit, ut sensus biblicus a translatore accurate cognitus, nec perfectius nec imperfectius, quam in originali habetur, exprimatur, nec removeatur minima libri vertendi proprietas, si linguam excipias [12]).

Quaestio ab eruditis mota, utrum poëmatum hebraicorum versio *metro* adstringenda sit, nec ne, a diversis diverso modo soluta est. Illi haud dubie errant, qui promiscue cujuscumque metri usum concedunt. Etenim cum hebraica poëmata metro stricto careant,

non hebraicum, sed graecum aut latinum opus exhiberi nobis existimabimus, si versio hexametris et pentametris incedit. Cum tamen parallelismus membrorum, quo utuntur Hebraeorum poëtae, efficiat quamdam expressionum harmoniam, prosae poëticae affinem, metrum *jambicum* aut *trochaicum* inprimis aptum non respuendum erit, utpote quod ad prosam proxime accedit.

1) „Die Uebersetzung ist die Reproduction einer Schrift in einer andern Sprache.'' K. Rosenkranz, Encyclop. der theolog. Wissenschaften. Halle 1831. p. 131.

2) Hinc inprimis reprobanda est translatio, quae vocabula peregrina sine necessitate retinet, uti e. g. Seb. Schmid, dum Malach. I, 11. reddit: *Et in omni loco* (erit) *suffitum allatum nomini meo, et Minchah munda.* Sed nec meram etymologiam sequens Rom. XVI, 18. ἐυλογίας vertes cum Vulgata *(per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium)* per *benedictiones*, sed per *adulationes*, nec I. Tim. VI, 21. cum eadem versione *(quam* — scientiam — *quidam promittentes circa fidem exciderunt)* ἐπαγγελλόμενοι reddes *promittentes*, sed *profitentes*.

3) Ex hoc capite, quia ad proprietates linguae hebraicae pertinet, ut e. g. pro adjectivis substantiva, et pro numeris ordinalibus cardinales ponantur, Genes XLI, 42. בִּגְדֵי־שֵׁשׁ et רְבִד הַזָּהָב ad verbum: *Vestes byssi* et *torques auri*, bene cum Vulgata vertuntur: *stola byssina* et *torques aurea*; et Joan. XX, 1. Τῇ δέ μιᾷ (יוֹם אֶחָד) τῶν σαββάτων, a Vulg. ad literam at non ad indolem linguae latinae redditum per *Una autem Sabbati* vertes: *Primo autem hebdomadis die.*

4) Ita Philipp. II, 5. Τοῦτο γὰρ φρονέισθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ translatio Vulgata: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu,* quae nulla habita ratione perspicuitatis literae nimis inhaeret, clarior reddatur vertendo: *Estote vos iisdem sensibus affecti, quibus Christus Jesus erat.*

5) Confer A. Arigler, Hermeneut. §. 144. p. 250 sqq. §. 146. p. 255 sqq.

6) Quam ob rem maneant dicendi rationes, quae in s. Scriptura occurrunt, technicae et usu receptae, e. g. φῶς lux, ζωὴ *vita*, πίστις *fides*, aut lusus verborum, ut Rom. I, 28. Καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν ἀυτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, quem verborum lusum bene transtulit Vulgatus: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

7) Exemplo sit verbum graecum σωφρονεῖν, quod Marc. V, 15. Rom. XII, 3. II. Cor. V, 13. I. Petr. IV, 7. occurrens tam peculiaris et ampli significatus est, ut certe in sermone latino unico verbo plene et exacte exprimi vix possit, et propterea circumlocutione transferendum sit. In loco laudato II. Cor. V, 13. (εἴτε σωφρονοῦμεν ὑμῖν) reddendum erit: *moderate et modeste de se loqui*, quam circumlocutionem ad hunc locum perspicuitatis causa Chrysostomus in ipsa interpretatione adhibendam existimavit, verbum istud explicans: μέτριόν τι καὶ ταπεινὸν λαλοῦμεν. Prae-

sertim in paronomasiis interdum respondenti translationi vix locus est, veluti Genes. II, 23. *Propterea vocabitur* אִשָּׁה, *quia ex* אִישׁ *sumta est ipsa.* Cui relationi inter utrumque nomen versio Vulgata bene respondet: *Vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.* Ast Alexandrini, vertentes: ἅυτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τȣ̃ ἀνδρὸς ἀυτῆς ἐλήφθη, sublata simul cohaerentia cogitaterum paronomasiam plane neglexerunt. Deterior adhuc est translatio Theodotionis: *Vocabitur* λῆμμα, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. Symmachi versio: ἀυτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ότι ἐξ ἀνδρὸς ἐλήφθη, responderet, si ἀνδρὶς Graecis diceretur. Cui ex pari ratione vix praestant nostrates, e. g. L. van Ess et J. F. Allioli vertentes: Sie wird *Männin* genannt werden, weil sie vom *Manne* genommen ist, cum Maennin tantum in compositis (e. g. Landsmaennin) usitatum sit.

[8]) Hinc e. g. Matth. IV, 1. sqq. διάβολος non reddes cum Stolzio atque Hezelio: *Verführer*, nec cum Kuinoelio: *malus consultor*, sed *Satanas, malus genius, Teufel,* nec Act. II, 4. ἑτέραις γλώσσαις vertas cum Schottio: *novis loquendi rationibus*, sed *aliis linguis*, ut determinatio, quae in textu originali est, etiam in versione conservetur. Contra I. Petr. V, 13. Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, quae in textu originali indeterminata sunt, arbitrario additamento perperam determinantur, si cum Schottio vertuntur: *Salutem vobis dicit uxor (mea), una mecum electa.* Quodsi Vulgatus, qui vertit: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta,* cum paucis codicibus vocabulum „*Ecclesia*" in textum recipit, illud, licet non sit genuina lectio, certe intelligendum, et translatio, si quaeris sensum, bona est.

[9]) Quod translationis vitium committitur, si e. g. Ferd. Hitzig Jes. VII, 14. reddit: *Siehe das junge Weib* (הָעַלְמָה) *wird schwanger und gebiert einen Sohn, und nennt seinen Namen Gottmituns;* vel si Schottius Col. II, 9. ὅτι ἐν ἀυτῷ κατοικεῖ πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς vertit: *Si quidem ei omnis bonorum numinis divini copia revera inhaeret,* quem locum accurate reddit Vulgata: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quo etiam spectat versio, qua novae notiones, quae verbis translationis exprimi non possunt, per parentheses et adjectas notas intruduntur. Sic Coloss. I, 15. Christus ab Apostolo dicitur: Πρωτότοκος πάσης κτίσεως *primogenitus omnis creaturae,* quae verba Schottius in parenthesi ita explicat: *aliis omnibus primus creatus atque praestantior.* Idem translator etiam haud raro subjectis notis textui perversum sensum, genuino remoto, infert. Ejusmodi notam ipsius versio habet e. g. ad Act. II, 4., qua judicium, quod homines praesentes, qui v. v. 9. 10. recensentur, de eventu tulerunt, ab ipso eventu distinguens Apostolos variis linguis peregrinis locutos fuisse negat.

[10]) A notione originalis remitteretur aliquid, si e. g. Matth. I, 21. σώζειν— ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν cum Kuinoelio redderetur: *liberare a poenis peccatorum*, quod cum Vulgato vertendum est: *salvum facere a peccatis.*

Similiter Gal. V, 12. verbo ἀποκόπτειν levior notio substituitur, si cum Stolzio atque Hezelio redditur: *verstümmeln*, quod potius cum Reichardo Chrysostomum atque alios antiquos secuto exprimendum est per: *plane exsecare*, cui accedit Vulgatus, licet minus determinate vertens: *abscindantur*.

[11]) Quapropter, ut exemplo utamur, in latina Psalmorum versione non audiatur poëta latinus, sed psalmista orientalis, Palaestinensis illius aetatis, qua Psalmi exarati sunt, id est Davides.

[12]) Generatim librorum s. Scripturae versio iisdem insignita sit virtutibus, necesse est, quae in quavis bona versione requiruntur, et de quibus plura habentur in Petri Dan. Huetii de interpretatione libris II. Paris 1661. (Edit. emend. Stadae 1680).

§. 210. Versionum censura.

Non est hujus loci, singulas, quae prostant, versiones ad traditas regulas accuratius examinare et dijudicare; sed tantum generale aliquod judicium ferre, et quasdam earum, quae tum a Catholicis tum a Protestantibus elucubratae notatu digniores sunt, paucis recensere juvat.

Versiones antiquae, si paucae excipiantur, omnes laborant defectibus quoad formam, id est, sunt nimium verbales, et proin obscurae [1]); contra vitium recentiorum sat frequens est, quod sint nimium liberae, imo audaces, et propterea quidem clariores, ast minus accuratae.

Potiores, quae a tempore sic dictae reformationis prodierunt versiones latinae et germanicae [2]), et diversarum translationum exempla in notis subjiciuntur [3]).

[1]) De antiquis versionibus vide supra §. 36. Inter eas liberiores sunt plures libri versionis Alexandrinae, versio Symmachi, paraphrases chaldaicae, si eas ad versiones refere placuerit, et aliquantum versio syriaca Peschito.

[2]) A. Ut a *Catholicis* ordiamur, versiones notiores, quae ab his tempore reformationis vel mox postea editae comparuerunt, sunt; et quidem

a. *latinae:* Desiderii Erasmi Roterodami nova versio latina N. T. ex textu graeco, Basileae 1516, sermone elegantiori adornata, Vulgata haud raro clarior, non tamen ab omnibus naevis immunis; dein V. et N. Testamenti nova translatio per Santen·Pagninum, Lugd. 1528, quae ad verbum facta plurimum obscura est. Postea saepius recusa, et ab Aria Montano correcta etiam in Polyglottis Antwerpiensibus exhibetur.

b. *Germanicae* versiones edebantur ab Hieronymo Emser, Dresdae 1527, et a Joanne Dietenberger, Mogunt. 1534. Prior N.

T., posterior V. et N. T. a Luthero germanice redditum, juxta Vulgatam mutavit, hacque ratione Catholicorum usui accommodavit. At Joannes Eck, ipsam Vulgatam in sermonem teutonicum transtulit. Cum vero ejus translatio Ingolstadii 1537 edita, dictione satis impura et obscura exarata esset, Catholici in Germania versione Dietenbergica potissimum utebantur, donec ei alia praevaleret, quam Casparus Ulenberg ad Vulgatam, jussu Sixti V. emendatam meliore dictione expolivit Coloniae 1630. Versiones germanicas subsequenti et nostra aetate ab auctoribus catholicis exaratas, quae tum bonitate translationis tum approbatione ecclesiastica se commendant, vide infra §. 225. nota 4. et 6.

B. Ad celebriores, quas *Protestantes antiquiores* ediderunt, versiones numerantur sequentes, et quidem

a) *latinae:*

A Calvinianis prodierunt: Versio Sebastiani Münster, Basileae 1534, quae solum V. T. complectens literam presse sequitur, et in parenthesibus ac notis adjectis Rabbinorum sententiis accomodata est. Biblia Tigurina, cura Leonis Judae et aliorum in lucem emissa Tiguri 1543, quae inter versionem literalem et liberiorem medium tenet. Biblia interprete Sebastiano Castalione, Basil. 1551, saepius recusa, de qua translatione Huetius de claris interpretibus pag. 190. hoc judicium fert: „Quid vero de intemperantissima Seb. Castalionis conversione statuendum est, quae res purissimas fastidiosa venustate oblimavit, et omnem divini verbi vim nimia curatura elisit, et verba a Patribus et toto Christianorum coetu recepta et usurpata ineptissime repudiavit?"

Inter *Lutheranos* Sebastianus Schmid versionem latinam totius s. Scripturae ex ipso textu originali adornavit, cui post ipsius mortem Argent. 1696. editae locum cesserunt versiones Calvinianae, hactenus a Lutheranis usitatae, cum propter translationem ad verbum factam admodum accurata censeretur, quamquam in parenthesibus, quibus Hebraismi explicabantur, plura a sensu sacrorum scriptorum aliena proposita essent.

b) *Germanicas* quod attinet translationes antiquiores, Martinum Lutherum nominasse sufficiat, qui ob versionem utriusque Testamenti ab anno 1522 — 1534. Wittenbergae in lucem emissam magnis laudibus a suis extollitur.

Translationes tum totius s. Scripturae, tum praecipue N. T., tam singulorum librorum a *Protestantibus recentioribus* exaratae magno numero prodierunt.

α. *Latinae* notiores sunt: Chr. Guil. Thalemann Versio latina Evangeliorum, — itemque Act. Apost. ed. a C. Chr. Tittmann. Berol. 1781. H. Gfr. Reichard, Sacri N. T. libri omnes veteri latinitate donati, Lips. 1797. II Tom. Henr. Aug. Schott N. T. graec. — nova versione latine illustr. II Tom. Lips. 1809. Editio 3. ibid. 1825. Omnes tam libera agendi ratione utuntur, ut haud raro dictorum vis et plane sensus afficiatur. De Schottii versione in specie vide §. 209. not. 8. et 9.

β. E *germanicis* sequentes nominare juvat: J. D. Michaëlis translationes V. T. cum notis pro indoctis, Göttingae 1769—1783. XIII Tom. sine notis 1789. et N. T. ibidem 1790—1794. VI Tom., quas quidem ea lege adornavit, ut figuras et imagines orientales conservaret; ast ne suis quidem placuit, cum non solum dicendi ratione latiori ac proliziori uteretur, eaque re simul languidissimam redderet orationem, sed etiam suis copiosis conjecturis criticis et exegeticis haud raro parum fundatis indulgeret. Meliores sunt versiones V. et N. T., quae auctoribus Joan. Chr. Guil. Augusti et F. M. Lebr. de Wette, Heidelb. 1809—1814. VI Tomis, et auctore de Wette solo, ibid. 1831. III T. prodierunt. Laudantur, quod non solum sensum, sed etiam hebraicam loquendi rationem sat apte exprimant. Protestantibus etiam placet, quod ad genium versionis Lutheri propius accedant. Versiones N. T. exaratae a G. F. Seiler, Erlang. 1781. J. Jac. Stolz, Tigur. 1781. (edit. 3. cum annotationibus, ibid. 1806—1812.) et a G. Fr. Hezel, Dorpat. et Lips. 1809. liberiores, et proin minus accuratae deprehenduntur.

Conf. de his versionibus Acatholicorum C. A. Th. Keil, Hermeneut. latine redd. a Chr. A. Gfr. Emerling, Lips. 1811. p. 158 sqq. et 200 sqq. Ersch und Gruber, Allg. Encyclopädie, Artikel: Bibel, Bibelübersetzungen (von Gesenius), etiam separatim typis expressum, Bibel, Leipzig 1823 p. 138 sqq. Ed. Reuss, Geschichte der heil. Schriften, Halle 1842.

[5]) Exempli causa plures versiones latinas loci classici Rom. V, 12. *Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπυ ἡ ἁμαρτία ἐις τὸν κόσμον ἐισῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ ὄυτως ἔις πάντας ἀνθρώπυς ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον*, adscribimus: *Vulgatus* ita vertit: „Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt."

Desid. Erasmus Roterodamus, edit. Basil. 1522: „Propterea quemadmodum propter unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pervasit, quatenus omnes peccavimus."

Seb. Castalio, edit Gothae 1715: „Propterea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, atque ita ad omnes pervasit mors, quatenus omnes peccarunt."

H. A. Schott, edit. Lips. 1825: „Itaque quemadmodum per unum hominem vitiositas, et per vitiositatem mors inter homines exstitit, ideoque mors ad omnes homines propagata est, quippe qui omnes solent peccare (ita cum reconciliat. similiter se habet)."

Ex quibus facile intelligitur, translationes, quas adduximus, omnes, si Vulgatam excipias, quae ad literam vertens simplicitate ac fide se commendat, uti quidem sermone elegantiori, quoad materiam vero liberiores, imo versionem Schottii plane audacem dicendam esse.

§. 211. Paraphrasis.

Si versio biblica secundum normam a nobis praescriptam exarata est, eam solum, quantum licet, removet obscuritatem, quae a peregrino sermone proficiscitur; eam vero, quae cogitatis ipsis inest, omnino relinquit. Ut jam quaevis, quae textui biblico inhaeret, obscuritas tollatur, alia sensus exponendi specie utimur, nempe *paraphrasi*, quae est uberior, continuae tamen orationis biblicae terminis adstricta sensus elocutio ad perspicuam ejus cognitionem adjuvandam. Itaque paraphrastae, qui sicut translator personam auctoris tenet, est, ipsius sensa accurate conservata, ubi obscura fuerint, eum in finem circumloqui, ut auditoribus vel lectoribus, in quorum gratiam paraphrasis fit, clara atque perspicua reddantur. Inde sequentes derivantur leges:

a) *Tollantur circumlocutione omnia obscura,* sive ex brevitate sermonis, sive ex ambiguitate verborum et sententiarum, sive ex natura rei, sive demum ex difficultate nexus proveniant. Quem in finem interpres expressiones vagas et indeterminatas definiet, et notiones intermedias a loquente suppressas supplebit, necessaria ex locis parallelis vel analogis aut ex archaeologia inserendo. Quodsi obscuritas a propria linguarum biblicarum dicendi ratione proficiscitur, substituatur elocutio recentioris aevi lectoribus accommodata atque satis clara; si adsunt periodi complicatiores, et hinc minus liquidae, in plures simpliciores resolvantur; si nexus logicus expressus non est, restituatur, paucis omnia, quae luce indigent, illustrentur.

b) *Nonnisi obscura tollantur.* Itaque sibi caveat paraphrastes, ne addat nova, vel plane a sententia auctoris aliena, aut talia, quae ad eum intelligendum nihil conferant; neque per se clara illustrentur, vel omnino prolixa circumlocutione onerentur, sed tantum quae insunt orationi biblicae obscura, et dilucidatione indigent, planius producantur.

Tironibus hoc interpretationis exercitium prae versione, quae difficilior est, commendamus; et si vertunt, paraphrastica potius ratione id faciant, quam nimia circa formam et elocutionem cura, dummodo notiones auctoris exprimantur.

Quo dicta clarius perspiciantur, in nota subjecta meliores utriusque Testamenti interpretationis paraphrasticae auctores no-

minare [1]), necnon librorum sacrorum, quos circumlocutione dilucidarunt, quaedam exempla dare juvat [2]).

[1]) Paraphrastarum *Catholicorum* praeprimis nominandi videntur Gaspar Sanctius et Thomas le Blanc, qui in suis operibus exegeticis, infra §. 237. nota 4. recensitis, librorum V. T. potissimum, in quos commentati sunt, paraphrases quoque dederunt; dein Des. Erasmus Roterodamus et Dominicus de Brentano, quorum prior praeter versionem latinam ex textu originario adornatam (§. 210. not. 2. A. a.) paraphrasi latina, posterior praeter versionem germanicam, pariter ex textu graeco factam paraphrasi germanica et annotationibus (conf. infra §. 237. not. 5.) Biblia N. T. illustravit; denique Bernardinus a Piconio, qui in suo opere exegitico, etiam infra §. 237. not. 5. adducendo epistolarum s. Pauli praeter analysim et commentarium paraphrasim quoque exhibet.

Quod *Acatholicos* attinet, J. J. Hess prolixior est, et Commentatoribus potius, quam paraphrastis adnumeratur; J. A. Cramer, qui Psalmos circumscripsit, et J. S. Semler, qui paraphrases in Evangelium Joannis et plures epistolas Paulinas et Catholicas edidit, multa aliena inferunt, et obscuriores deprehenduntur.

[2]) Primum exemplum sit ex Psalmi CX. (Vulg. CIX.) sectione priore: „Vers 1. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. V. 2. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. V. 3. Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te. V. 4. Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech." Quae duo complectuntur, primo Christum esse regem, secundo esse sacerdotem.

Haec ita paraphrasi eloquitur Thomas le Blanc:

„V. 1. Deus Pater, rerum omnium Dominus dixit Domino meo Christo de morte triumphanti, et post resurrectionem in coelos evolanti: Nunc tempus est, ut sedeas a dextris meis, et prae hominibus et angelis elevatus aequalem mecum in omnia potestatem exerceas, donec singulis seculis in te consurgentes hostes atteram, et tandem omnes in die universalis judicii tuis pedibus advolvam, ut eos pede proteras, tibique instar scabelli subjicias.

V. 2. Sceptrum tuum ego Dominus tuus regiamque potestatem in omnes orbis nationes proferam, dato a Jerosolyma initio, in die Pentecostes demisso in Apostolos Spiritu sancto: tu vel hostium effusorum in medio dominatum obtinebis, idola proterens, evertens haereses, tuosque servos gaudio gloriaque cumulans.

V. 3. Nunc in hac die coronationis tuae, gloriae et potestatis principatus tuus apparebit, in principum coelestium corona aeternis radiis emicante. Hic enim tibi principatus debitus est, cum sis filius meus unigenitus, ex mea substantia velut ex utero ab omni retro aeternitate, ante solem omnemque aliam creaturam productus.

V. 4. Neque tantum regem illum hominum et angelorum Pater aeternus constituit, sed juravit et immutabili decreto, nunquam ulla poenitentia retractando, sancivit, dixitque: Tu sacerdotium aeternum obtinebis, secundum ritum et ordinem Melchisedeci, regis Salem, qui panem et vinum mihi sanctificavit, et Abrahae benedixit, ab eoque decimas accepit."

Alterum exhibet locus Amosi IX, 11. 12. „V. 11. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum ejus, et ea, quae corruerant, instaurabo, et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis; V. 12. ut possideant reliquias Idumaeae et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens haec."

Quae ita circumscribit Gaspar Sanctius:

„V. 11. Postea vero Evangelii tempore advocatis gentilibus, qui quia mores exprimeut Israëlis, Israëlitae vocari et Abrahami filii merito poterunt, instaurabo tabernaculum David, et quidquid in illo hians videbatur et debile, complebo confirmaboque, excitabo collapsa, et praeclaram illam speciem restituam, quam habuerant antiquitus.

V. 12. Eo tempore nationes omnes, animo prius ac religione alienae, et ipsi etiam Idumaei, Israëlitici nominis hostes infensissimi, ad Davidis tabernaculum, id est Christi Servatoris Ecclesiam accedent, quia et latas a Christo leges accipient, et ab illius nomine compellationem assument. Haec dicit dominus, cujus hoc erit opus."

Tertium exemplum sumimus ex praedicatione Joannis Baptistae, Luc. III, 12. 13. qui locus versione Vulgata ita sonat: „V. 12. Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? V. 13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis."

Hos versus Erasmus Roterod. ita enarrat:

„V. 12. Venerunt et publicani, territi Joannis praedicatione, genus alioqui deditum rapinis, et ex publicis incommodis sua comparans commoda, religionis negligens, ac magis obsequens jussis principum, quam praeceptis Dei. Qui quum apud omnes nationes male audiant, apud Judaeos peculiariter habebantur abominabiles, et tamen tantum terroris incusserat omnibus Joannis severa praedicatio, ut hi quoque venirent ad Joannem, flagitantes baptismum ac discere cupientes, quo pacto placare possent divinam iram.

V. 13. Joannes autem verus praecursor illius, qui nullum, quamlibet magnis peccatis inquinatum, rejecturus erat, etiam publicanis leniter et placide respondet: Si nondum potestis vestra largiri, certe sit ille primus gradus ad meliorem vitam, ut abstineatis a rapiendis alienis. Habetis salarium a Caesare, praescriptum est, quid debeatis exigere a populo; ne quid extorqueatis in vestrum lucrum ultra id, quod praescriptum est."

Quartum exemplum suppeditat Gal. VI, 14—16., quem locum Vulgatus sequenti modo reddit: „V. 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. V. 15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet,

neque praeputium, sed nova creatura. V. 16. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia et super Israël Dei."

Haec dicta ita circumloquitur Dominicus de Brentano.

„V. 14. Aber verwünscht wäre mir eine Ehre, die ich der Ehre, ein Verehrer des Gekreuzigten zu sein, vorziehen sollte; ich suche in keiner Sache einen Ruhm, als in den Bedrückungen, die ich um der christlichen Religion willen erdulden muss. In ihrem Besitze bin ich todt für die Welt, wie sie es für mich ist.

V. 15. Denn nach der Lehre Jesu kommt es nicht darauf an, ob man Jude oder Heide ist, um sich des Beifalls Gottes würdig zu machen; ein Christ muss ein ganz umgeänderter Mensch sein, der allen Verbindungen entsagt.

V. 16. Heil allen, die diesen Grundsätzen treu bleiben, Heil allen ächten Israeliten!"

Demum quintum exemplum addimus ex II. Tim. II, 3—6. „V. 3. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. V. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. V. 5. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. V. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere."

Haec sequenti paraphrasi enuntiat Bernardinus a Piconio:

„V. 3. Mala Evangelii causa ferto, sicut praeclarus Christi Jesu miles.

V. 4. Adtende, quod qui Dei militiae adscriptus est, hujus vitae negotiis non implicatur, ut se totum det militiae, et placeat ei, qui se in militem elegit.

V. 5. Considera, quod et qui certat in publicis certaminibus, non coronatur, nisi secundum leges athletis praescriptas pugnaverit et vicerit.

V. 6. Considera, et quod agricola in terra colenda assiduus, primus est in percipiendis agri sui fructibus."

Quodsi jam haec paraphrasis exempla laudamus, interpretationem tamen non ita approbamus, ac si nullibi accuratior et sensui auctorum convenientior esse possit.

§. 212. Homiliae.

Liceat saltem mentionem facere homiliarum, que nomine veniunt familiares ad populum christianum sermones, quibus fragmenta s. Scripturae explicantur, et ad fidem ac vitam recte instituendam conferuntur. Quomodo ejusmodi homiliae sint adornandae, Homiletica docet, atque ex earum fine, qui est instructio populi, patet, explicationes ad captum populi esse accommodandas, eamque ob rem subtiliores disquisitiones et abstrusiores difficultatum solutiones ab eis abesse debere. Contra in iis elucubrandis interpretatio allegorica, utpote ad formandos populi christiani mores apta, non est vituperanda, dummodo a sensu

literali non abhorreat. Hinc etiam plerique sanctorum Patrum in suis homiliis s. Scripturam allegorice interpretantur, nonnulli tamen eorum et plures recentiores magis sensum literalem sectantur *).

Caeterum exercitatio exegetica, qua observationes homileticae sive propria meditatione ex sacro textu erutae, sive ex aliorum lectione haustae a tironibus congeruntur, magno cum emolumento instituitur.

*) Inter Patres, qui in suis homiliis interpretatione allegorica frequentiori utuntur, Augustinum et Gregorium M. nominamus. Contra Chrysostomus magnam A. et N. T. partem egregiis homiliis e sensu literali illustravit. Conf. infra §. 235. et nott. Laurentius Surius, Carthasianus, homiliarum collectionem in omnes epistolas et evangelia anni ecclesiastici e ss. Patribus depromptam edidit, Coloniae 1569. E recentioribus, et quidem Catholicis praecipue commendantur: Seb. Mutschelle, Bemerkungen über die sonntäglichen Evangelien 1786; über die Evangelien der Feste des Herrn 1789, und der Feste Mariae und der Apostel 1797. edit. 2. 1808.; porro Jo. Bapt. Hirscher, Betrachtungen über die Evangelien der Fasten 1830; über die sonntäglichen Evangelien 1837—43. II Tomi. E Protestantibus laudatur Less, die Sontags-Evangelien übersetzt, erklärt und zur Erbauung angewandt. Goetting. 1781. Plures in operibus homileticis recensentur.

§. 213. Scholia et Glossae.

Jam antiqui textum biblicum etiam brevibus notis, quae *scholia* et *glossae* dicebantur, passim dilucidarunt [1]), quorum vestigia aetatis subsequentis interpretes secuti sunt [2]). Ejusmodi annotationibus sese exercere, Bibliorum interpreti pluribus ex titulis utilissimum est. Primum enim notarum idonearum inventio facit ad judicium de sensu s. Scripturae acuendum, eumque penitius perspiciendum; dein impeditur, quo minus observationes vel propria indagatione comparatae, vel ex aliorum auctorum lectione depromptae, memoriae elabantur et oblivioni dentur, si notis figantur et chartae mandentur; denique tali labore non intermisso thesaurus et promptuarium notitiarum biblicarum cujuscunque generis acquiritur, dummodo notae bene disponantur [3]).

Ex fine, in quem ejusmodi explicationes adhibentur, facile intelligitur, quid praestare debeant. Et quidem

1. adnotationibus lectiones variantes majoris momenti juxta regulas criticas breviter dijudicentur;

2. expressiones difficiliores intellectu, et ob quam demumcunque causam obscurae idonea ratione exponantur;

3. res antiquae ipsae, puta, personae, loca, allusiones historicae, paucis archaeologica cuncta, si non sunt alias sat nota, breviter describantur et illustrentur;

4. praecipuae expositiones interpretum, hinc inde valde ab invicem divergentes, notentur, paucis examinentur, et quae sit caeteris praeferenda, indigitetur;

5. demum et loci paralleli indicentur, et generatim omnia referantur, quae pro sensu illustrando et certius determinando idonea censentur.

Haec omnia ita perspicue, breviter et simul plene atque accurate fiant, ut omnia obscura explicationibus illustrentur, per se clara autem inanibus declarationibus non onerentur.

[1]) De discrimine inter scholia et glossas antiquorum vide §. 24. not. 2. Praestantiores scholiorum et glossarum collectiones ex antiquis Patribus ac scriptoribus graecis desumtas exhibet §. 73. not. 3.

[2]) Quae antiquorum scholia et glossae, discrimine quodam observato praestiterunt, recentiorum annotationes, in illorum locum succedentes promiscue praestant. Praestantiora hujus exercitationis exegeticae exempla exhibent: Emanuelis Sa Notationes in totam s. Scripturam, Antverp. 1598., quod opus praeter breves annotationes in totam Scripturam scholia in quatuor Evangelistas ex selectis veterum Patrum sententiis collecta complectitur, et Guilielmi Estii operum omnium in s. Scripturam (Venetiis 1759) Tomus III., quo adnotationes in praecipua et difficiliora s. Scripturae loca continentur. — Interdum apud recentiores Scholiorum nomine Commentarii veniunt. Confer e. g. infra §. 247. in nota.

[3]) Disponi possunt notae varia ratione, prout diversus quoque est earum finis. Generatim commodum est, Scholiastem aut Glossatorem bonum, quo aliquis utitur, foliis albis distinguere, et suo loco nova, quae occurrunt, inserere; aut cum ipsa Bibliorum editione, vel cum interprete, qui in studio biblico dux est, sufficientem chartae albae partem compingere cui notae mandentur; aut denique chartam separatam, ordini Bibliorum eorumque partium accomodatam praeparare, quae excipiendis notis destinetur.

§. 214. Tractatus.

Antiqui scriptores ecclesiastici ingenium suum exegeticum et criticum etiam singularibus *tractatibus biblicis* exercebant, quibus non, sicut fit per adnotationes, omnia minus clara dilucidabant, sed solum aut singulas materias biblicas non sat liquidas, aut spe-

ciales quasdam difficultates, quae circa unum alterumve locum, vel etiam circa plures alicujus libri textus eorum aetate movebantur, accuratius discutiebant. Hae exercitationes exegeticae, quae ad nostra usque tempora in usu permanserunt, et pro diversitate formae, qua utuntur, modo quaestiones, modo dissertationes, modo excursus vocantur, praeter ipsius rei utilitatem, quam praebent, gravium scilicet et difficilium locorum sensum erudite et accurate exponentes et vindicantes, hoc formale quoque commodum praestant, quod hermeneuticas regulas uberius applicare doceant.

Ex quo earum fine etiam facile intelligitur, quae in illis conscribendis observari debeant. Et primum quidem dicta biblica ejusmodi tractationi subjicienda ex omni parte spectentur perpendanturque, ut per subsidia, quae scientia suppeditat, rite adhibita, omni difficultate ac obscuritate remota, rectus sensus eo clarius et certius cognoscatur. Dein gravia solum ac difficilia specialibus dissertationibus discutiantur, cum profecto obvia et per se plana docta discussione expedire, ineptus et inanis labor esset. Admonitione vix opus est, commodum esse tironibus, ut primum sumant textus faciliores dilucidandos, quibus diligenter et apte disquirendis ad difficiliora se praeparent *).

*) Inter Patres, qui Quaestiones et Tractatus scripserunt, praecipue commemorandi sunt: Eusebius Caesareensis in libro de nominibus locorum in s. Scriptura commemoratorum, Hieronymus, cujus multae epistolae integros tractatus de quaestionibus biblicis propositis exhibent, Augustinus, praeprimis in libris septem Quaestionum in Heptateuchum (septem priores libros V. F.) et in libris II Quaestionum evangelicarum. Quibus adjungimus Theodoretum, in cujus Quaestionibus in libros historicos V. F. tamen plura deprehenduntur exigui momenti, et quae ad rem pertinere non videntur.

Recentiorum plures dissertationes speciales vel excursus exegeticos Commentariis suis inseruerunt, uti Calmetus, Rosenmüllerius et Koppius; alii ejusmodi exercitationes exegeticas aut in collectionibus interpretum et commentatorum s. Scriptorum, uti in *Criticis sacris* Tom. VI, aut in scriptis periodicis, atque ephemeridibus theologicis e. g. in Jac. Frint, Theolog. Zeitschrift (Ueber die Versuchungsgeschichte Jesu Matth. IV, 1—11. Marc. I, 12. 13. Luc. IV, 1—13. V. Jahrgg. T. I. pag. 34 sqq. pag. 225 sqq. Ueber die Stelle II. Sam. VII, 1—17. XI. Jahrgg. T. I. p. 347 sqq. etc.) et in Jos. Pletz, Neuer theolog. Zeitschrift (Ueber Joan. I, 29. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. IX. Jahrgg. T. I. pag. 289 sqq.) deposuerunt, aut monographiis, ut dicunt, complexi sunt, e. g. J. H. Kistemaker, Exe-

getische Abhandlung über Matth. XVI, 18. 19. XIX, 3 — 12. oder über den Primat Petri und das Eheband. Göttingen 1806. Ejusdem Exegesis critica in Psalmos LXVII. et CIX. et Excursus in Daniel III. de fornace ignis. Monast. 1809. Exempla amplioris tractatus nominantur: Laurentii Reinke, Exegesis critica in Jesaiae Cap. LII, 13 — LIII, 12. seu de Messia Expiatore passuro et morituro Commentatio. Monast. 1836; Ejusdem Exegesis critica in Jesaiae Cap. II, 2 — 4. seu de gentium conversione in V. T. praedicta, ejusque effectibus. Ibidem 1838; Ejusd. Die Weissagung von der Jungfrau und vom Immanuel, Jes. VII, 14 — 16. Eine exegetisch-historische Untersuchung. Ibid. 1848. Deinde Jo. Bapt. Ant. Engelmann, Von den Charismen, oder historisch-exegetische Abhandlung über I. Kor. 12 — 14. Regensb. 1849.

§. 215. Commentarius.

Quodsi aut tota s. Scriptura, aut V. solum vel N. T., aut singuli libri biblici ita exponuntur, ut non tantum sensus accurate et perspicue proponatur, sed etiam sensus explorati veritas, ut per disciplinae modum fieri solet, demonstretur ac vindicetur, talis expositio *commentarius* dicitur, qui non est, nisi erudita atque accurata expositio sensus s. Scripturae. Quapropter commentatori non sufficit attulisse, per quae plana et expedita redditur lectio s. Scripturae vel partis ejusdem, qua occupatur exponenda, nec brevibus tantum, ut scholiastes vel glossator, annotationibus solvit difficultates, sed prolixiori tractatione talem cognitionem praebere studet, qua sensus s. Scripturae ex omni parte ita illustretur, ut vel subtilissimae difficultates et dubia evanescant, et si hoc fieri nequeat, gradus certitudinis obtineatur, qui consideratis omnibus haberi possit maximus. Constituit igitur commentarius complementum interpretationis.

§. 216. Commentarii munia.

Ex notione et fine commentarii facile intelligitur, quae in eo elucubrando sint observanda.

1. Afferantur lectiones variantes, quae pro sensu cujusvis loci sunt alicujus momenti, eaeque ex argumentis internis et externis juxta regulas criticas dijudicentur, ut lectio genuina a spuria cum certitudine, vel saltem cum probabilitate distingui possit.

2. Dein sensus accurate et perspicue proponatur, ita quidem, ut auctori exponendo nec plus nec minus attribuatur, quam quod revera cum lectoribus communicare intendit.

3. Considerentur singulari attentione, quaecunque dubia aut minus certa sunt. Usus loquendi incertus testimoniis, si praesto sunt, confirmetur, vel saltem collatione dialectorum cognatarum, aut etymologiae et analogiae ope illustretur, et ad summum, qui haberi potest, probabilitatis gradum evehatur. Vagus loquendi usus, et notiones orationis minus determinatae ac ambiguae ad contextum et omnia ea, quae in loquentis cogitata vim exercuerint, in auxilium vocatis etiam, si praesto fuerint, locis parallelis atque analogis exigantur et definiantur. Dilucidationes archaeologicae, inprimis historicae et geographicae, ex ipsis fontibus ad verbum afferantur, ut lectores ipsi de rebus judicare possint.

4. Difficultates ex nexu, dicendi genere, contradictione apparente vel unde demumcunque prodeuntes diluantur, ita ut nulla intacta aut non soluta relinquatur.

5. Quodsi quorumdam locorum variae exstiterint interpretationes, gravioribus saltem allatis, pro merito dijudicatis ac aestimatis commentator sententiam suam clare enuntiet, idoneis argumentis comprobet, et contra objectiones vindicet.

6. Nec immerito ratione locorum dogmaticorum a commentatore exspectatur, ut diligenter examinet, utrum auctor eventum miraculosum an naturalem referre voluerit, an ex aliorum sententia dixerit et se accommodaverit, ut porro distinguat instituta temporaria ab illis doctrinis, quae sunt absolutae, et quae sunt alia hujus generis. Imo neque commentario, cujus est eruditam subministrare expositionem, vitio verti potest, si saltem innuerit, quomodo veritas hermeneutica cum ipsius rei veritate consentiat, licet alias objectivae veritatis examen ad munus interpretis non spectet (§. 2).

7. Denique cum ejusmodi erudita Bibliorum expositio ad theologorum usum scribatur, quidni a commentatore etiam usus loci expositi dogmaticus et moralis, quamquam ex professo non tradatur, paucis inferatur?

8. Demum ratione habita formae, versio et paraphrasis a melioribus exegetis addi solent, iis saltem in locis, qui difficultatibus laborant; notae vero, si sunt breviores, continuo cuivis versui, cuivis voci et loquendi formulae minus clarae subjiciantur, si vero sunt longiores, ita ut suo loco insertae cogitatorum seriem nimis interrumperent, aut ab initio aut in fine Commentarii, vel saltem sectionis exponendae, in peculiares excursus conjiciantur.

Singulis quoque pericopis introductio, cogitatorum seriem, circumstantias sermonis externas, aliave ad intelligentiam partis explicandae conducentia exponens, commode praemittitur.

§. 217. Commentarii vitia.

Expositis muniis facile cognoscuntur vitia commentarii, quae sunt:

1. Si commentator occupatur discussionibus, quae nullius prorsus sunt momenti, utpote ad sensum biblicum melius perspiciendum aut comprobandum nihil conferentes. Quo spectat, si ad quasque lectionum minutias excutiendas descendit, vel obvias voces aut formulas explicat, vel res aliunde notas ac indubias dilucidat, vel denique notitias a re alienas corradit, ad vanam tantum eruditionem ostendendam [1]).

2. Quodsi exegetae biblico monita, quae vel ad fidem vel ad mores pertinent, iterato commendavimus, licet haec a proximo interpretationis fine aliena sint, minime tamen probandum est, si commentarius in longiores dissertationes dogmaticas, morales aut polemicas evagatur, vel asceticis et homileticis usibus advocandis tanquam ex professo occupatur [2]), vel denique interpretationi mysticae ultra limites indulget, locos biblicos, praesertim difficiliores, sine praemissa interpretatione literali frequenter mystice exponens, ubi sufficientia talis sensus indicia non adsunt [3]).

3. Quodsi vero peccant, qui minutias discutiant, et aliena commentariis immisceant, multo magis vitio vertendum est, si loci vexati, qui accurate dilucidari possent, aut leviter absolvuntur, aut prorsus negliguntur, quod vitium, utut palmare, s. Scripturae studiosus in perlustrandis commentatoribus biblicis haud raro non sine indignatione observabit.

4. Denique, ut Jahn (Enchirid. herm. p. 158.) monet, vitiis accensendae sunt explicationes ad rigorem dialecticae exactae, vel e definitionibus philosophicis haustae, quod quidem vitium antiquis et recentioribus commune est; porro expositiones longe petitae, quaesitae, artificiosae et argutae, aut ex sectis philosophicis arcessitae, quarum exempla nec olim defuerunt, nec nostra aetate desunt, licet regulis Hermeneuticae e diametro repugnent [4]).

[1]) Accomodate ad rem nostram Quintilianus lib. I. c. 5. §. 8. de interpretatione et enarratione authorum scribit: „Persequi quidem, quod quisque

unquam vel contemtissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae aut inanis jactantiae est, et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura."

²) Conf. §. 2. §. 203. 4. §. 216. 7.

³) Conf. §. 190. et sequentes.

⁴) Sic Dr. Paulus Comment. in N. T. Tom. I. pag. 496. πραΰς hebr. עֲנָוִים ex Aristotele explicat. Caeterum quemadmodum medio aevo plures interpretes Aristotelis philosophiam Bibliis intulerunt, ita nostra aetate haud raro sectis philosophiae recentioris addicti placita sua s. Scripturae obtrudere conantur. Exemplum hujus rei habes in Imm. Kant, Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, Königsb. 1793. et in operibus eorum, qui ipsius philosophiam secuti sunt. Imo Gust. Billroth (Commentar zu den Briefen des Paulus an die Corinther, Leipz. 1833.) philosophiam sic dictam *identitatis* necessario ad interpretationem adhibendam esse contendit, et exemplis ostendere studet.

Praestantiores interpretes, qui commentarios elucubrarunt, et in hoc interpretandi genere exemplo esse possunt, infra §. 230. et sequentibus indicabimus.

§. 218. Discrimen inter doctam et vulgarem expositionem.

Quia sacrarum Scripturarum expositio captui, desideriis atque indigentiis eorum accommodanda est, in quorum gratiam suscipitur, sequitur, aliam esse debere expositionem, quae disciplinam theologicam proprie profitentium, aliam, quae illiteratorum ac populi usibus destinata est, quarum priorem *doctam*, posteriorem *vulgarem* nuncupant. Prior, quae studio ac muneri conveniat theologorum, qui codicis revelationis omnes partes accurate cognoscant, omnes libros sacros, omnesque eorum partes, quoddemumcunque complectantur argumentum, ad suam provinciam revocat; posterior contra eas materias, quae hominibus rudibus aut minus cultis inperviae vel inutiles, vel omnino nocivae sunt, praetermittit ¹).

Majus inter utramque interpretationem discrimen forma inducit. Docta nempe expositio non solum sensum exploratum rite indicat, sed simul adhibito apparatu scientifico erudite et firmiter demonstrat, atque aliorum explicationes vanas ac falsas, vel tamen minus fundatas esse ostendit. Vulgaris quidem etiam est, sensum Scripturae accurate proponere; ast magis perspicuitati studet, et prein, ubi illustratione aut demonstratione opus est, explicationem ac argumentationem breviorem et subsidia captui illiteratorum accommodata adhibet, et praecipue forma historica utitur;

contra disputationes prolixas et subtiles de vocibus ac formulis atque rebus biblicis, quas populus nec capit, nec amat, nec requirit, evitat [1]).

Quodsi quaeritur, ad quodnam eorum, quae modo descripsimus, interpretationis generum singulae, quae ratione formae recensitae sunt, sensus exponendi species sint referendae, responsio facilis est. Ex rei natura enim intelligitur, ad expositionem doctam analysin, versiones verbales, scholia et glossas, saltem quae subtilioribus discussionibus de expressionibus et rebus biblicis occupantur, tractatus atque commentarios; ad vulgarem vero versiones vel liberiores, vel saltem notis brevibus ac facilibus dilucidatas, paraphrases et homilias referri debere [3]).

[1]) Inde est, quod jam antiqui Judaei Canticum canticorum juventuti non permiserint, quibus Origenes in Praef. in Canticum suffragatur. S. Hieronymus vero in Prologo in Ezechielem scribit: „Aggrediar Ezechiel Prophetam, cujus difficultatem Hebraeorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos aetatem sacerdotalis ministerii, id est tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum canticorum nec hujus voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat.'' Et profecto, si etiam alios spectas libros, praesertim V. T., consulere populo videbimur, si minus cultis non omnia quae continent integra, sed potius extracta quaedam proponimus, ita ut ea mittantur, quae vel ad illorum aedificationem nihil conferunt, uti e. g. minutae notitiae geographiae biblicae et descriptiones rituum leviticorum, nec non imagines grandiores ac luxuriantes, quibus Prophetae saepius utuntur, vel plane talia sunt, ut timendum sit, ne homines inculti et imperiti eorum narratione offendantur, e. g. quae Genes. XIX, 31. sqq. de filiabus Lot, XXXIV. de Dina, XXXVIII, 8—10. 14. sqq. de Onan et Juda, II. Sam. XIII, 1. sqq. de incestu Amnonis cum sorore Thamar, porro quae Levit. XV. XVIII. de immunditiis legalibus et peccatis contra naturam referuntur. Conf. J. P. Silbert, Die heilige Schrift, ihr Character, ihre Bedeutung, und wie sie zu lesen. Würzburg 1840. p. 29—35. VI.

[2]) Conf. Aug. Herm. Niemeyer Comment. de interpretatione s. Scripturae populari certis regulis adstringenda, non arbitraria. P. I. Hal. 1798.

[3]) Versionem ad verbum factam ad expositionem doctam, liberam vero ad vulgarem accensendam esse, descripta utriusque indoles (§. 209.) docet. Nihilominus tamen versiones quoque literam pressius sequentes, et propterea semper nonnihil obscuras, per notas breves atque planas usui populi attemperari posse, per se intelligitur.

CAPUT II.

QUID IN SENSU S. SCRIPTURAE EXPONENDO INTERPRETI OB DIVINAM ILLIUS INDOLEM PECULIARITER INCUMBAT.

§. 219. Capitis divisio.

Quemadmodum pro sensu s. Scripturae inquirendo ex respectu, qui debetur divinae illius origini ac Ecclesiae catholicae Magisterio, quae divina dispositione omnis doctrinae revelatae custos atque interpres infallibilis constituta est, utilissimae leges petantur: ita etiam pro sensu quaesito rite exponendo ex consideratione ejusdem sublimioris sacrarum literarum indolis ac divinae, quae spectat earum intelligentiam, dispositionis peculiaria prodeunt praecepta ab exegeta observanda, quae tum materiam tum formam expositionis biblicae concernunt. Itaque priori loco dicemus, quae in sensu exponendo *ratione materiae*, posteriori quae *ratione formae* observanda sint.

ARTICULUS I.

OBSERVANDA RATIONE MATERIAE, ET QUIDEM

§. 220. In genere.

Expositionis materiam in genere quod attinet, non potest fieri, quin ex consideratione sublimioris sacrarum literarum indolis pro sensu earum rite exponendo saluberrimae cautiones et monitiones deducantur. Quo pertinent:

1. Exegeta, cui persuasum est, s. Scripturam esse supernaturalis revelationis codicem ab auctoribus, qui divino gaudebant auxilio, conscriptum, eo ipso graviter se obligatum esse intelliget, ut in eo exponendo huic persuasioni convenienter procedat, et hanc ob rem ab ea exponendi methodo, qua utuntur rationalismi sectatores, facta et effata biblica, quae vires naturae et intelligentiam hominum superant, variis artificiis ita extenuantes et detorquentes, ut in eventus et doctrinas naturales convertantur, sollicite sibi caveat, utpote quae divinae s. Scripturae indoli, imo omni religioni positivae plane adversatur.

2. Dein cui divina sacrarum literarum origo explorata est, etiam in recta exponendi ratione sequenda ad singularem diligentiam excitabitur, ita ut summae, quae haberi potest, fidei ac perspicuitati studeat, ne, si forte in expositione sensus quaesiti plus minusve alienas a mente auctoris sacri notiones vel sententias proponat, aut easdem obscure reddat, mutilationis vel immutationis verbi Dei se reum faciat, aut gravibus ex Scriptura male intellecta enascituris erroribus ansam praebeat.

3. Denique revelatio ac inspiratio, quibus gaudebant auctores biblici, exegetae ad comprobandum et vindicandum sensum, quem ab illis intentum fuisse liquet, licet forte difficultate laboret, firmum subministrant argumentum, quod respuere non licet. Quamprimum enim exploratum est, quod expositio docet, esse reapse idem, quod scriptores sacri cum lectoribus suis communicare voluerunt, nulli amplius exceptioni locus dari potest, ne auctoritati divinae derogetur.

§. 221. In specie

a) *si spectas miracula et vaticinia biblica.*

Cum genuina V. et N. T. miracula et vaticinia constituant divinae revelationis criteria stricte talia, exegeta, cui fides religionis revelatae cordi est, nihil negliget, ut miracula et vaticinia biblica ita exponantur, ut de ipsis qua talibus certo constet.

Quo modo ea generatim tractari debeant, ut auditoribus vel lectoribus, in quorum gratiam explicatio fit, accurate et perspicue innotescant, supra (§. 201. et 202.) ostendimus. Quia vero in his rebus, quae humanam intelligentiam superant, facile oriri possunt dubia, num forte auctores biblici non erraverint, ponentes facta, quae naturali modo evenerunt, pro miraculis, vel praedictiones futurorum, quae humani ingenii sagacitate praevisa sunt, pro vaticiniis, exegetae non potest esse nisi exoptatissimum peculiare et irrefragabile, quod in fide inspirationis datum est, argumentum, quo ejus expositio, qua locis biblicis miracula vel vaticinia tribuit, quibus talia ex narratione ac mente sacrorum scriptorum inesse aliunde per subsidia hermeneutica communia liquet, contra quascumque exceptiones confirmatur et vindicatur.

§. 222.

b) *Si respicis dogmata fidei et morum.*

Quum loci s. Scripturae, qui dogmata fidei et morum complectuntur, pro religione et vita christiana maximi momenti sint, patet, eorum explicationi praecipuam impendendam esse curam, ut ab illis, in quorum gratiam suscipitur, recte cognoscantur. Doctrinarum vero biblicarum, quae ad fidem et mores spectant, duo sunt genera. Etenim sunt aliae, quae sola ratione plane perspici non possunt, data autem revelatione ita nobis innotescunt, ut non solum notiones subjecti et praedicati probe perspectas habeamus, sed etiam nexum cognoscamus, quo praedicatum subjecto cohaeret. Aliae dantur, quae etiam facta revelatione humano intellectui ita imperviae sunt, ut quamquam, quid subjectum et praedicatum sibi velint, sciamus, quo tamen modo alterum alteri conveniat, nulla ratione assequi valeamus, et propterea *mysteria* appellantur.

Quid pro recta textuum dogmaticorum et moralium expositione observandum sit, supra (§. 203. et 204.) commemoravimus. Hoc loco adhuc monendum est, certitudinem ac firmitatem omni nomine majorem pro expositione locorum, dogmata fidei et morum continentium, quae eo magis in dubium vocari et impugnari solent, quo magis ingenii humani vires superant, in fide revelationis ac Magisterio Ecclesiae catholicae repositam esse. Utut enim tales loci, imprimis qui mysteria complectuntur, ex natura sua semper aliquam obscuritatem, nulla explicatione penitus removendam, annexam habeant, quam primum tamen ostenderit exegeta, suam illorum expositionem exhibere accurate sententias, quas auctores divinitus edocti exprimere intenderunt, auditores vel lectores suos de veritate sensus expositi interposita auctoritate divina certos reddit. Ubi datum fuerit adjicere, expositionem concordare cum definitione Ecclesiae, in decisionibus Conciliorum, scriptis sanctorum Patrum, aliisve divinae traditionis fontibus conservata, etiam timor, ne forte doctrina revelata per ipsius exegetae intelligentiam minus exacte explorata ac reddita sit, evanescit, et expositio authentica habetur, a quovis Catholico amplectenda *).

*) Sic in Allioli Heil. Schrift expositio doctrinae biblicae e. g. de incarnatione Verbi ad Joan. I, 14., de Eucharistia ad Matth. XXVI, 26. sqq.

Luc. XXII, 19. sqq. Joan. VI, 50. sqq. I. Cor. XI, 23., de peccato originali ad Rom. V, 12., de extrema unctione ad Jac. V, 14. 15. provocatione ad doctrinam Ecclesiae atque ss. Patrum confirmatur et vindicatur.

ARTICULUS II.

OBSERVANDA RATIONE FORMAE, ET QUIDEM

§. 223. In genere.

Quemadmodum ratione materiae, ita etiam ratione formae in exponenda revelata, quam Biblia complectuntur, doctrina exegetae peculiaris cura incumbit, sensum exploratum accurate, et quantum sine laesione fidei fieri potest, perspicue quoque exhibendi. Id facile intelligitur, si perpenditur, doctrinae divinitus patefactae singularem, sublimibus suis mysteriis et institutis attemperatam inesse sese exprimendi rationem, ab ipso religionis nostrae Auctore ejusque Apostolis derivatam, cui sese accommodarunt scriptores sacri et primi Ecclesiae Patres, ita ut in usum biblicum et ecclesiasticum transierit. Hanc doctrinae revelatae exprimendi rationem exegetae negligere minime licet, quia praeterquam quod auctoritatem divinam et ecclesiasticam non pensi habere videretur, se in discrimen daret, ne quid de ipsa vi doctrinae divinae praetereat, aut eam minus accommodate, et proin minus perspicue proponat. Accedit, quod Ecclesia, cujus est curare, ut populo christiano sanum ac congruum doctrinae pabulum apponatur, diserte quaedam de expositionis biblicae forma statuerit, quam ne migret exegeta catholicus, quantum fieri potest, sibi caveat.

Itaque quae divina s. Scripturae indoles ratione formae expositionis exegetae peculiariter injungit, ad duo referri possunt. Primo attendat *ad phraseologiam doctrinae revelatae propriam;* deinde *dispositionis ecclesiasticae, quantum pertinet ad expositionis formam*, rationem habeat. De quibus singillatim pauca dicemus.

§. 224. In specie

a) si spectas terminos technicos religionis christianae.

Quod attinet phraseologiam, qua divina revelatio in Bibliis deposita utitur, exegeta singulari modo attendat, ne recedat a

ratione quorumdam terminorum, quibus certae doctrinae ac instituta religionis christianae, inprimis mysteria, Sacramenta N. T. atque hierarchia Ecclesiae catholicae divina passim et quasi technice, ut dici solet, designantur. Caveat sollicite, ne talium rerum denominationes in expositione negligat, quia saepius usque ad originem ipsius religionis ascendunt, usu biblico et ecclesiastico sacratae sunt, et res, quas docent, tam adaequate exprimunt, ut aliae non sint, quae earum potestatem plene assequantur [1]; imo timendum est, ne iis mutatis ipsae rerum divinarum notiones immutentur, diminuantur vel obfuscentur [2].

Quodsi Scriptura in aliud idioma transferenda sit, per se intelligitur, ejusmodi terminis technicis textus originalis in lingua versionis voces substituendas esse, quae illis, quantum hujus linguae indoles permittit, ratione habita usus loquendi biblici et ecclesiastici plane respondent [3].

[1]) Termini in expositione sollicite servandi sunt e. g. Nomina divinarum personarum ss. Trinitatis ὁ Πατὴρ *Pater*, ὁ Υἱὸς *Filius*, (ὁ λόγος *Verbum* Μεσσίας — מָשִׁיחַ — *Messias*, *Christus*), το Πνεῦμα ἅγιον *Spiritus sanctus;* nomina divinarum processionum, γέννησις *generatio*, ἐκπορέυσις *processio*, quibus origo personae divinae ab alia persona per communicationem naturae, et in specie priori termino origo Filii a Patre, posteriori vero origo Spiritus s. a Patre Filioque denotatur; porro nomina Sacramentorum ac ministrorum Ecclesiae catholicae, e. g. κλάσις τȣ ἄρτȣ *celebratio sacrae coenae*, seu *Eucharistiae*, ἐπίσκοπος *episcopus*, πρεσβύτερος *presbyter* (sacerdos) etc.

[2]) Ita, si Joan. I, 14. 18. III, 16. 18. Joan. IV, 9. vocabulum μονογενὴς *unigenitus*, quo ceu termino technico a Scriptura et Ecclesia catholica *generatio* indicatur, qua Deus Pater cum unico Filio suo, in sensu proprie ac strictissimo, ab aeterno suam naturam divinam communicavit, perperam redditur a Chr. Th. Kuinoel et Chr. Abr. Wahl per: *praestantissimus*, *carissimus*, qua translatione equidem notiones secundariae et accidentales vocabuli, non vero illa primaria ac genuina, communicationis nempe naturae divinae exprimitur. Ex eadem causa Joan. XV, 26. ὁ παρὰ τȣ πατρὸς ἐκπορεύεται *qui a Patre procedit*, quibus verbis technice origo Spiritus s. a Deo Patre exprimitur, a Schottio male vertitur: *a Patre ablegandus*, quia hac translatione processio Spiritus s. a Patre in dicto sensu plane obliteratur.

[3]) Ex hoc capite translatio Castalionis Joan. I, 1. *In principio erat sermo, et sermo erat apud Deum, et Deus erat is sermo*, et ibid. v. 14. *et sermo caro factus est*, minime placet, quia, licet per usum loquendi graecum communem λόγος alias etiam *sermo* reddi possit, tamen Joan. I, 1. sqq. ei non respondet, ubi ex usu biblico et ecclesiastico peculiari de-

notat *Verbum aeternum ac hypostaticum* seu *Filium Dei.* Similiter si idem Castalio Act. XX, 28. Προςέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, vertit: „*Quam ob rem cavete et vobis et toti ovili, cui vos sanctus Spiritus proposuit custodes, ut Dei pascatis Ecclesiam*," translatio reddendo ἐπισκόπους per *custodes* non assequitur plenum sensum, qui usu solemni inde ab Apostolis derivato in Scriptura et Ecclesia catholica illi expressioni respondet.

§. 225.

b) *Si adtendis ad cautiones ab Ecclesia expresse praescriptas.*

Cautiones, quas Ecclesia catholica ratione formae expositionis biblicae diserte praescripsit, concernunt Bibliorum expositionem populo destinatam, in specie tum *versiones recentiores in linguas vulgares, earumque lectionem*, tum *societates*, quae hujusmodi versionibus edendis ac longe lateque disseminandis occupantur, vulgo *biblicas* nuncupatas.

Equidem Ecclesia catholica nullo unquam tempore prohibuit, quo minus Scriptura s. in linguas vulgares verteretur, nec unquam expresse ac simpliciter filiis suis interdixit Bibliorum in lingua vernacula lectionem [1]). Licet vero hoc teste historia sit certissimum, non minus tamen constat, Ecclesiam nunquam non su muneris existimasse, invigilare, ne versiones vitiatae in manus populi traderentur, et earum usu, vel etiam ob defectum capacitatis et culturae legentium promiscua s. Scripturae lectio non in profectum sed potius in gravissimum fidei ac pietatis detrimentum caderet. Hanc vigilantiam autem jure merito augendam existimavit Ecclesia, postquam haeretici coeperunt, s. Scripturam in linguas vulgares vertere eo consilio, ut ejusmodi versionibus, utique ad sua placita contortis, populos ad suas partes pertraherent. Primum prodierunt constitutiones ecclesiasticae particulares, quibus lectio s. Scripturae in idiomate vulgari pro certis quibusdam locis cautionibus circumscribebatur, vel plane interdicebatur [2]); demum restrictio generalis tempore sic dictae reformationis facta est. Cum enim novarum rerum studiosi illius temporis ad unum omnes necesse esse proclamarent, legi ab omnibus et singulis Christianis sacra Biblia in lingua vernacula, et in hunc finem singulari studio continuo novas translationes biblicas ad novae doctrinae dogmata conformatas procuderent, ut malo imminenti occurreretur, jussu

Pii IV. emanavit regula IV. Indicis, qua sacrorum Bibliorum lectio in lingua vernacula promiscua, id est, instituta sine licentia a superioribus ecclesiasticis designatis impetrata severe prohiberetur [3]. Cui regulae nova subinde propter continuatas versionum minus accuratarum editiones ab Acatholicis procuratas cautione auctae ea demum auctoritate Benedicti XIV. per decretum congregationis Indicis adjecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae ab apostolica sede approbatae, aut cum annotationibus desumtis ex ss. Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris editae fuerint [4].

Non quidem dissimulandum est, haud paucos magni nominis theologos tum antiquioris tum recentissimae aetatis contendere, regulam IV. Indicis librorum prohibitorum in quibusdam regionibus, nominatim in Gallia et Germania aut nunquam receptam, aut usu contrario jam pridem abrogatam esse, idem statuentes de laudato decreto Indicis, eo quod tanquam accessorium sequatur principale. Et revera prodierunt nostra et proxima ab hinc aetate plures versiones vulgares, praesertim germanicae, a viris probatis, sola approbatione Ordinariorum munitae, modo cum modo sine adjectis explicationibus editae, unde haud immerito concluditur, diminuto ope perfectioris praecipue institutionis religiosae periculo, cui fideles inde ab aetate reformationis longiori tempore obnoxii fuerant, Ecclesiam etiam aliquid hujus disciplinae severitatis remisisse [5]. Quidquid vero de positivo decretorum, quae circa versiones s. Scripturae vulgares earumque lectionem laudavimus, valore, quantum nostra tempora ac regiones nostras spectant, statuas, id ex natura rei certum est, rem ipsam, quam decreta illa intendebant, nempe vigilantiam, ne populus fidelis acceptis versionibus, quae in lingua vernacula offeruntur, aut ob earum corruptionem, aut ob malam intelligentiam pervertatur, nunquam et nullibi esse negligendam. Quapropter primum, ut ratione accuratarum versionum vulgarium, quae in manus populi traduntur, omne periculum fidei et morum excludatur, translator eas approbatione Ordinarii providendas curet! Dein ne ipsa earum lectione populus ex defectu intelligentiae detrimentum, sed potius fidei et pietatis augmentum capiat, loci difficiliores opportunis annotationibus ex scriptoribus orthodoxis, praesertim ss. Patribus desumtis explanentur et captui minus cultorum lectorum attemperentur [6].

Quod vero de remissione disciplinae ecclesiasticae ratione versionum vulgarium earumque lectionis generatim non tacuimus, minime de moliminibus *societatum biblicarum* valent, quae in Anglia anno 1804. primum constitutae, mox longe lateque diffusae, nullis parcentes sumptibus in id conspirant, ut divinarum scripturarum libros in vulgares quasque linguas translatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter populos christianos, imo et infideles disseminent, hosque promiscue ad illos legendos alliciant. Quare cum tali librorum sacrorum translatione ac distributione, cui et auctoritas ecclesiastica et justa explanatio deest, fieri non possit, quin in perniciem religionis catholicae cadat, jure merito Romani Pontifices societates biblicas iteratis decretis proscripserunt, et adhuc proscribere pergunt [7]).

[1]) Conf. quae hac de re erudite scribit Joannes Perrone, Praelectt. Theolog. Vol. III. Parte II. Sect. I. Cap. V. Propos. II. pag. 159 sqq.

[2]) Ita Innocentius III. initio saeculi XIII. lectionem Scripturarum sacrarum vulgari idiomate pro fidelibus dioecesis Metensis monitis et cautionibus circumscripsit. Vide hujus Pontificis epist. 141. et 142. Lib. II. et epist. 235. Lib. III. in edit. Steph. Baluzii. Pari modo Concilium *Tolosanum*, anno 1229. celebratum Canone XIV. severe prohibuit, ne libros V. aut N. T. laici in *Galliis* apud se habeant excepto Psalterio, quod, exclusa tamen translatione in linguam vernaculam, habere licuit. Apud Colletum in collect. Veneta Conciliorum. Tom. XIII. coll. 1239.

[3]) Regula IV. Indicis librorum prohibitorum, quam constitutio Pii IV. edita 24. Martii 1564. praescripsit, ita sonat: „Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit."

[4]) Auctoritate Benedicti XIV. ad laudatam regulam IV. Indicis ex Decreto Congregationis Indicis 13. Junii 1757. haec sunt addita: „Quodsi hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab apostolica sede approbatae aut editae cum annotationibus desumtis ex ss. Ecclesiae Patribus vel doctis catholicisque viris, conceduntur." Confer quoque Decretum auctoritate Pii VII. edit. a Congregatione Indicis 23. Junii 1817. Versiones vero a sede apostolica approbatae et ejusmodi annotationibus instructae sunt: Versio italica, edita ab Abbate, postea Archiepiscopo Florentino,

Antonio Martini, quam Pius VI. Brevi apostolico, dato 17. Martii 1778. commendavit, et germanica Jos. Francisci Allioli, edita Norimbergae et Monachii 1830 — 1837. et saepius recusa, cui praemissa est approbatio Pii VIII. quoad duos tomos priores, et Gregorii XVI. quoad reliquos. Editioni VI. apposita est versio Vulgata latina.

[5]) Missis aliis celebrioribus auctoribus, qui huic sententiae patrocinantur, quos recenset Georgius Riegler, Krit. Geschichte der Vulgata, Sulzbach 1820. pag. 136—146. adducimus solum Lucium Ferraris, qui in Prompta Bibliotheca, edit. II. superiorum facultate, Romae 1767—68. Tom. IV. sub titulo: Libri prohibiti, append. sive novus de librorum prohibitione articulus §. 4. Nota pag. 367. et Tom. VII. sub titulo: Scriptura sacra, append. novus articulus. Nro. XVI. pag. 27 et 28. eam diserte defendit. Posteriorem locum concludit: „Addi quoque potest, in Gallia, in Germania, in Britannia ac Polonia pluries prodiisse Biblia in lingua vernacula, ac toleratam fuisse ab apostolica sede promiscuam eorum lectionem. Ex quo apparet, apostolicam sedem remotis illis causis, ob quas juste interdixit lectionem in lingua vulgari, hujusmodi lectionem permittere." Conf. Perrone l. l. pag. 164. n. 321. et pag. 168. n. 334.

[6]) Praestantiores versiones germanicae approbatione Ordinarii munitae praeter alias sunt, quas in lucem emiserunt Thomas Aquin. Erhard, Ord. s. B. sub directione P. Germani Cartier, Ig. Weittenauer, Jos. Fleischütz, Franc. Rosalino, Henricus Braun, Mich. Wittmann, Joan. Mich. Sailer et J. H. Kistemaker, quarum aliae notis instructae sunt, aliae non item.

[7]) Societates biblicae proscriptae sunt a Pio VII. in epistolis datis ad Archiepiscopum *Gnesensem* die 29. Junii 1816. et ad Stanislaum, Archiepiscopum *Mohiloviensem* die 3. Sept. 1816; a Leone XII. in encyclicis literis ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos die 5. Maji 1824; item a Pio VIII. in encyclica epistola, edita die 24. Maji 1829; a Gregorio XVI. in encyclica ad omnes catholicos orbis antistites, data die 8. Maji 1844. et demum nuperrime a Pio IX. in epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos data die 9. Novembris 1846.

SECTIO II.

HISTORIA EXEGESEOS.

§. 226. Ratio hujus historiae adjiciendae ejusque divisio.

Traditis jam omnibus interpretandi legibus non solum universalibus sed etiam peculiaribus, ex quibus, utpote ex summo Hermeneuticae biblicae principio derivatis, intelligitur, quomodo interpretatio s. Scripturae tum ratione sensus inquirendi, tum ra-

tione sensus quaesiti exponendi institui debeat, ut omnibus numeris absoluta habeatur, hoc loco brevem exegeseos historiam subjungere opportunum existimamus, ex qua cognoscetur, s. Scripturam eas interpretationis vices subiisse, ut ipsius expositio modo recta, modo minus recta, modo plane perversa fuerit, hancque vicissitudinem inde profectam esse, quod interpretes disciplinam vel rectam, vel a recto tramite aliquantum, vel plane alienam secuti fuerint, aut praeceptis bonis plus minusve firmiter institerint. Qua in historia, ne limites nostri operis nimium migremus, ita procedemus, ut praecipuorum tantum interpretum, qui aut integram s. Scripturam aut partem illius, nisi semper et ubique apte et felici cum successu ratione sensus explorandi ac exponendi, cum eximia tamen eruditionis laude dilucidarunt, methodum et opera eo fine recenseamus, ut tirones disciplinae hermeneuticae et exegeseos eorum agendi rationem videant, exemplo expositionum, quibus excelluerunt, discant sanas interpretandi leges rite applicare, atque erroribus, quos in illorum operibus observaverint, moneantur devitare, per quae a recto tramite abducti fuerint.

Ordinem vero in pertractanda exegeseos historia hunc servabimus, ut prius interpretes Judaeos, dein Christianos ponamus. Et quia inde a sic dicta reformatione studium biblicum generatim non minus, quam exegesis magis in morem disciplinae tractari coepit, et non solum ad Catholicos, sed etiam ad Acatholicos, qui ab illis longe diversam s. Scripturam interpretandi rationem adoptarunt, attendendum est, inter interpretes Christianos, qui ante reformationem, et eos, qui post reformationem floruerunt, discernemus, ita ut totam materiam tribus absolvamus capitibus, agentes:

I. de expositione Judaeorum;
II. de expositione Christianorum a tempore Christi usque ad reformationem;
III. de expositione Christianorum a reformatione usque ad nostra tempora.

In fine quasdam observationes de interpretum usu adjiciemus *).

*) Plura, quae pertinent ad historiam exegeseos, exhibent: Richard Simon, Histoire critique du V. T. Paris 1678. Idem, Histoire critique du N. T. Rotterdam 1689. Id., Histoire critique de principaux commentateurs du N. T. depuis le commencement du Christianisme jusqu'à notre tems.

Rotterdam 1693. C. W. Flügge, Versuch einer Geschichte der theol. Wissenschaften. Halle 1796. T. I. pag. 251—404. T. II. pag. 166—314. Car. Rosenmüller, Handbuch für die Literatur der biblischen Kritik und Exegese. Göttingen 1797—1800. J. G. Rosenmüller, Historia interpretationis librorum sacrorum in Ecclesia christiana. P. I — II. Hildburgh. 1795—1798. P. III — V. Lips. 1807—1815. G. W. Meyer, Geschichte der Schrifterklärung seit Wiederherstellung der Wissenschaften. V Tomi. Götting. 1802—1809.

CAPUT I.

JUDAEORUM EXPOSITIO.

§. 227. Ante Christum.

In tractatione de interpretibus biblicis Judaeos merito priori loco poni, inde patet, quod prima interpretationis s. Scripturae initia ab iis derivantur. Judaeorum interpretes, ut per se intelligitur, solo A. T. occupabantur, cui vero ab illis tam mature interpretationem adjectam fuisse, ut cum ipso fere coaeva dici possit, nemo dubitabit, qui perpenderit, quod magnam partem leges complectatur, quae ut a rudibus intelligerentur, explicatione opus erat. Quapropter Mosis mandatum, quo, ut liber legis proceribus populi et sacerdotibus traditus omni septennio coram universo populo praelegeretur, praecepit, explicationem difficiliorum saltem sectionum non involvere non potuit [1]).

Neque inter Judaeos peritia interpretandi deesse potuit, quum posteris Levi, quorum erat dubia reliquorum Israelitarum de lege solvere, studium Scripturae solemne esse debuerit [2]). Quae vero hujus primae interpretationis biblicae fuerit ratio, quis poterit dicere? Quamvis expositio ista inprimis literalis fuisse videatur, utpote eo fine instituta, ut populo leges Mosaicae accurate et perspicue innotescerent, omnem tamen sensum mysticum ab ea plane fuisse exclusum, affirmare non licet. Utut enim mittenda sit traditio, nulli fundamento historico innixa, quam recentiores Judaeorum doctores tenent, qui statuunt, Mosen duplicem Thoram, scriptam et oralem, a Deo ita accepisse, ut posterior esset spiritualis prioris explicatio, prima Cabbalae stamina includens; negari tamen non potest, A. T. scriptores ipsos quibusdam locis praeter sensum literalem mysticum tribuisse [3]). Ratio vero ac indoles

hujus antiquissimae interpretationis mysticae nobis non minus incerta est, quam ea, qua utebantur literalis expositionis fautores. Primae notitiae historicae de ratione expositionis biblicae demum occurrunt post exilium in fragmentis Judaeorum Alexandrinorum, quae a ss. Patribus nobis asservata ostendunt, quomodo illi scrutando allegorias in explicandis legibus Mosaicis versati sint [4]).

[1]) Conf. Deut. XXXI, 9—13.

[2]) Conf. Deut. XVII, 8—12. coll. XXI, 5. II. Chron. XVII, 7. sqq. XIX, 8. sqq.

[3]) Loco non uno A. T. scriptores innuisse, suis relationibus praeter sensum literalem subesse realem, sublimiorem, supra §. 191. not. 1. diximus, ubi etiam hujus rei exempla habentur.

[4]) Ad Judaeos Alexandrinos, quos hoc loco commemorare oportet, inprimis spectant Eleazarus et Aristobulus, qui Ptolomaei Philadelphi aetate floruerunt, quorum expositiones legum Mosaicarum ab Eusebio (Praeparat. Evangel. Lib. VIII. Edit. Coloniae 1688. pag. 370 sqq.) asservatae manifestant, eos allegoriis ultra modum delectatos fuisse, dum in verbis legis simplicibus ac claris, e. g. de animalibus puris et impuris praeter sensum obvium simul occultas ac sublimiores veritates ac leges morales quaererent. Conf. de eadem re Eusebii Histor. eccles. lib. VII. cap. 32. Clementis Alexand. Stromatt. I. pag. 342. Edit. Sylb. et Cyrilli Alexand. Opp. T. VI. pag. 143. Edit. Lutet.

§. 228. Tempore Christi.

Allegoriarum studium, quod inter Judaeorum interpretes Alexandrinos jam inde ab Alexandri M. tempore valde viguit, aetate Christi Philo Alexandrinus ad summum fastigium perduxit, quippe qui totam legem Mosaicam spiritualiter explicaret et statueret, verba legis non esse nisi corpus, cui anima, ab oculo illuminato quaerenda, insit; sensum literalem sufficere solum rudibus et incultis, cultioribus vero, philosophiae lumine illustratis, ad interiorem legis indolem penetrandum, quo major sapientia percipiatur. Quam rationem secutus eo processit, ut ubique allegorias mere arbitrarias, imo plane ineptas atque absurdas captaret [1]).

Palaestinenses, nominatim Pharisaeos, literae legis firmius adhaesisse constat [2]), licet neque ipsi sensum allegoricum penitus neglexerint [3]). Quae tamen in N. T. deprehenduntur doctorum Judaicorum interpretationes, ipsos micrologiis et inanibus speculationibus occupatos fuisse ostendunt [4]).

[1]) Ut mittamus *sacrarum legum allegoriarum* libros, qui vitiosis allegoriis pleni sunt, brevitatis causa solum exemplum adducimus e libro de *Mundi*

opificio, ubi Vol. I. pag. 107. Edit. Pfeiff. Philoni *paradisus* a Deo plantatus est principalis vis animae (τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν), quae est plena, ceu plantis, innumeris opinionibus; per *arborem vitae* intelligitur pietas, inter omnes virtutes eminentissima, per quam immortalis redditur anima, sicut per *arborem cognitionis boni malique* prudentia, quae discernit res natura contrarias. *Serpens*, qui seduxit protoplastos (ibid. pag. 109), est voluptas, quia ille, utpote pedibus destitutus, pronus ventre nititur, terrae glebis pro cibo utitur, et venenum gestat in dentibus, quo solet morsos necare. Quibus omnibus malis obnoxius est homo voluptati deditus etc.

[3]) Hinc e. g. legem de amore proximi Levit. XIX, 18. ita ad verbum capiebant, ut solos amicos, cognatos, populares ac religionis socios diligendos praeciperent, et odium inimicorum licitum esse autumarent Matth. V, 43. Conf. Luc. X, 30. sqq. Pari modo legem de abstinendo a laboribus die sabbati Exod. XX, 8. sqq. ita ad literam premebant, ut prohiberent eo die evellere paucas spicas, easque palmis confricare ad famem sedandam, sanare aegrotum etc. Matth. XII, 1. sqq. coll. Luc. VI, 1. sqq.

[4]) Josephus Flavius allegoricam interpretandi rationem Pharisaeorum attestatur (Bell. Jud. II, 8. 14. Antiqq. XVII. 2. 4.); imo ipse sectae Pharisaeorum addictus illa utitur. Conf. Prooemium Antiqq. §. 4. coll. Antiqq. III. 6. 4. III. 7. 7. Bell. Jud. V. 6. 4.

[5]) Vestigia ejusmodi interpretationum habes Matth. V, 33. sqq. et XXIII, 36. sqq. coll. Levit. XIX, 12. Matth. XXIII, 5. coll. Exod. XIII, 16. et Deut. VI, 8. etc.

§. 229. Post Christum.

Expositiones Judaeorum, quae e proximis post Christum saeculis nobis restant, depositae sunt in *Talmude*, qui legis Mosaicae ratione habita praecepta complectitur, ad omnes Judaeorum conditiones vitae tum civilis tum religiosae spectantia. Quae commoda ex eo hauriri possunt, fere ad cognitionem usus loquendi biblici et antiquitatum Judaicarum redeunt, ut suo loco observatum est (§. 38. et §. 103); interpretationes V. T. in eo occurrentes allegoricae, ad opiniones Judaeorum accommodatae, imo haud raro plane ineptae et ridiculae sunt [1]).

Talmudem sequitur *Cabbala*, quae est expositionis biblicae genus, quo non solum sententiae et integrae orationes s. Scripturae explanantur, sed et voces, syllabae ac singulae quoque literae separatim, vel etiam secundum valorem suum numericum expensae examinantur, et variis tam historicis quam mysticis sensibus magis artificiose et argute, quam vere exponuntur [2]).

Praeter Talmudem et Cabbalam sunt Judaeis etiam multi *Commentarii biblici*, qui inde a saeculo XI. usque ad saeculum XVI. prodierunt, nec sine laude Biblia partim literaliter partim mystice exposuerunt, et ad meliorem interpretationem etiam inter Christianos contulerunt[3]), licet rei christianae fere omnes sint infensiores.

[1]) De ineptis et ridiculis interpretamentis Talmudicorum plura habet Loehnis, Hermeneutik und Kritik, pag. 410—412.

[2]) Qui de *Cabbala* plura scire cupit, adeat Sixti Senensis Bibliothecam sanctam, Lib. III. Originem interpretationis cabbalisticae a Daniele V, 25. derivandam esse volunt, licet inter expositionem hujus loci a Daniele factam et inter interpretationes cabbalisticas Judaeorum posterioris aetatis id discriminis intercedat, quod Propheta voces in pariete scriptas divina revelatione illustratus exposuerit, posteriores contra proprio ingenio indulgentes similes expositiones edere conentur. Cabbalae tres species distinguunt, *traditionalem*, *artificialem* et *practicam*. Prima, quia in systemate theologico Judaeorum, quod complectitur, doctrinas catholicas continet, genuina esse vix potest. Altera mysteria e vocibus, syllabis, literis, imo et accentibus eruere conatur. Sic e. g. I. Reg. II, 8. in voce נִמְרֶצֶת e singulis literis singulas maledictiones, quibus Semei Davidem est prosecutus, petunt, fingentes ex eis voces: נֹאֵף, מוֹאָב, רוֹצֵחַ, צָרוּעַ, תּוֹעֵבָה, ita ut Davides dictus sit: *adulter*, *Moabita*, *homicida*, *leprosus* et *abominatio*. Sed quis non videt, talia non esse, nisi merum phantasiae lusum! Practica dicitur, quae in morbis tollendis et aliis miris patrandis occupatur. Caeterum Cabbala plura complectitur opera, quorum praecipue commemorari meretur liber *Sohar* (זֹהַר *splendor*), quem Judaei absque argumento sat firmo perantiquum faciunt.

[3]) Melioris notae interpretes Judaei sunt:

Aben-Esra, Hispanus, qui circa medium saeculum XII. florens, in Pentateuchum, Prophetas et alios libros edidit Commentarios, ob accuratam linguae hebraicae cognitionem, miram in sensu eruendo sagacitatem, sanasque, quas in praefatione in Pentateuchum tradit, regulas laudatus, licet valde obscurus.

Maimonides (Rabbi Moseh Ben Maimon), etiam Hispanus. et ejusdem fere cum priore aetatis, in opere מוֹרֶה נְבֹכִים (Doctor perplexorum) dicto difficillimos Scripturae locos expedit, cui tamen ex Aristotele subtiles notiones metaphysicas infert. Cum traditionem tollere videretur, primum vituperatus, postea vero inter Judaeos magnam celebritatem nactus est.

R. Davides Kimchi, Gallus, ab initio saeculi XIII. in subsidium vocata etiam dialecto arabica Scripturam literaliter exposuit, solummodo ob subtilitates grammaticas reprehensus. Ejus Commentarii saepius editi sunt. Versio latina Commentarii in Psalmos curis Ambrosii Janvier, Benedictini ex Congregatione s. Mauri prodiit Parisiis 1666; Commentarium in Jesaiam, translatum in sermonem latinum Caesar Malanimeus typo vulgavit Florentiae 1774.

R. Salomon Isaac, Jarchi dictus, qui saeculo XII. in Gallia floruit, laudatur ob conservatas antiquorum interpretationes, unde non raro convenit cum s. Hieronymo. In interpretatione magis theologiam Judaicam, quam minutias grammaticas consectatur, sed nimis traditionibus et mythis talmudicis indulget. Latine versus edebatur a Breithaupt, Gothae 1710 sqq. in III voluminibus.

R. Levi Ben Gerson, Gallus, Provincialis, saeculi XIV. philosophus, haud raro narrationes miraculorum extenuans et detorquens.

R. Moses Ben Nachmann, qui Pentateuchum exposuit, interpres mysticus et cabbalisticus est, nonnumquam tamen grammatice et literaliter interpretatur.

R. Bechai pariter Pentateuchum literaliter, allegorice et caballistice exposuit. Partem expositionis, quae literalis est, Richardus Simon typis dignam habet.

Celebrior fuit Isaac Abarbanel, natus Ulyssipone in Lusitania 1437., stylo quidem puro et facili, sed fusiori et oratorio praeter alia opera etiam Commentarios in s. Scripturam elucubravit, in quibus collatis antiquorum laboribus, quos magna libertate dijudicat, ex sui ipsius eruditionis thesauro multas sanas expositiones addit, insertis etiam pluribus quaestionibus subtilioribus et inanibus, quibus haud pauca aspersa sunt, quae inimicum ipsius in Christianos animum produnt.

R. Mardochai Ben Eliezer, Constantinopolitanus saeculi XIV., Commentario Pentateuchum literaliter exponere studet, et aliorum doctorum Judaicorum interpretationes dijudicat.

R. Lombroso edidit Biblia hebraica, quibus breves, sed sanas expositiones adjecit.

R. Aben Ben Melech, Hispanus, optimis interpretationibus literalibus, praesertim ex R. Juda, R. Jona, Aben Esra et Kimchio aliisque collectis Commentarium perpetuum in totam s. Scripturam edidit, qui judice Jahnio forte plerisque aliis praeferendus est. Editio ejus Constantinopoli 1554. nomine מִכְלַל יֹפִי *(Perfectio pulchritudinis)* prodiit. Alios, sensus allegoricos et cabbalisticos fere solum quaerentes mittimus.

Haec opera exegetica interpretum Judaeorum lingua rabbinica sat difficili exarata, adeoque a paucis intellecta sunt. Multa eorum separatim prodierunt; multa in sic dictis *Bibliis rabbinicis*, quae Bromberg Venetiis 1525—1526. et Buxtorf Basileae 1618—1619. typis vulgarunt, extant; multa denique a doctoribus christianis in alias linguas, latinam praesertim, translata et explicationibus instructa comparuerunt. Expositiones Judaeorum in suum usum converterunt Christiani, inprimis interpretes Judaeo-Christiani, puta, Sixtus Senensis, Nicolaus Lyranus et Paulus Burgensis.

CAPUT II.

CHRISTIANORUM EXPOSITIO A TEMPORE CHRISTI USQUE AD REFORMATIONEM.

§. 230. Interpretes christiani primis aerae nostrae saeculis.

Cum libri sacri in conventibus religiosis populo christiano inde ab origine Ecclesiae nunquam non praelegerentur, profecto jam primis aerae christianae temporibus non potuit prorsus deesse aliqua expositio biblica. Expositio haec pertinebat ad Episcopos et Presbyteros, ad quos Magisterium ecclesiasticum a Christo Apostolis suis concreditum fuerat delatum [1]). Ex illis vero temporibus non exspectes nisi exigua interpretationis stricte talis specimina. Uberiores enim ac eruditas ad sensum eruendum et exhibendum elucubrationes neque ratio institutionis christianae, nec Bibliorum lectores exigebant. Institutionem doctores religionis illius aevi iis, quae per os ad se transmissa ab Apostolis habebant fideles, superstruebant, et scripta sacra non tam ad erudiendum populum ac probandam doctrinam aliunde certam, quam potius ad ipsius illustrationem et ad aedificationem populi praelegebant, in quem finem simplex applicatio verborum biblicorum plerumque sufficere videbatur. Dein primis Christianis ad Biblia legenda subsidio doctae interpretationis propterea vix opus fuerit, quod sensum s. Scripturae ipsi longe facilius invenire potuerunt, quam nos tot primae Ecclesiae subsidiis destituti. Hinc mirum non est, quod ex antiquissimis temporibus continuae interpretationes non restent, sed tantum singulorum locorum plus minusve aptae explicationes, a Patribus eo fine datae, ut obscuriora dilucidarent, male intellecta recte exponerent, et eorum, quae a perversis hominibus in suos sensus fuissent detorta, verum genuinumque sensum vindicarent [2]). Et si etiam postea a quibusdam prolixiores expositiones elaboratae fuerunt, eae injuria temporum perierunt, ut ex fragmentis, quae scriptores subsequentis aetatis asservarunt, intelligitur [3]).

Ex instituendi ratione primae aetatis etiam facile conjici potest, modum interpretandi s. Scripturam, quem illius temporis doctores sequebantur, potius *allegoricum* fuisse, quam literalem. Et revera, si Auctorem Recognitionum et Tertullianum excipias, qui sensum literalem eruere conati sunt, licet non ubique

felix successus responderit, reliqui, ut Justinus M., Irenaeus, Clemens Alexandrinus et Cyprianus interpretatione allegorica, quae a Judaeis ad Christianos translata ingenio aetatis inprimis arridebat, et fini praefixo congruebat, valde delectabantur. Attamen in rebus fidei minime suo ingenio confidebant, sed probe cognoscentes intimum doctrinae biblicae nexum cum deposito fidei illum sensum habuerunt genuinum, qui in Ecclesiae docentis sinu custodiebatur [4]). Unde patet, quos commemoravimus Patres non tam qua commentatores legendos, quam potius eatenus commendandos esse, quatenus depositum fidei fideliter conservarunt.

In historia autem expositionis biblicae primorum aerae christianae saeculorum etiam mentio facienda videtur *antiquarum versionum*, quae haud raro perquam accurate sensum rectum exhibent, varietate ingenium in meliori dijudicando acuunt, et si a Catholicis profectae et ab Ecclesia receptae sunt, testes sensus, quem Ecclesia in diversis locis tenuit, constituunt [5]).

Post prima vero aerae christianae saecula interpretes jam in diversas scholas abierunt, de quibus singulis pauca dicemus.

[1]) Confer supra §. 172 sqq.

[2]) Origenes fuit primus, qui integros V. et N. T. libros perpetuis Commentariis illustravit.

[3]) Ad expositiones Christianorum antiquas, quae perierunt, referre oportet, quas Heracleon, sectae Valentinianae addictus scripsit, quarum fragmenta Origenes Comment. in Joan. Tom. XIII. c. 25—59. Edit. Oberthür asservavit; porro epistolam Julii Africani ad quemdam Aristidem, ex qua Eusebius locum, quo Matthaei et Lucae genealogiae proposito inter patres naturales et legales discrimine inter se conciliantur, refert (Hist. eccles. lib. I. cap. 7).

[4]) Conf. §. 191. 3. §. 192. 1. not. 1. §. 231. coll. §. 174.

[5]) Ejusmodi versiones sunt latinae, quae jam ante Hieronymum prostabant, inprimis vero, quae ab Augustino (de doctrina christ. Lib. II. c. 15.) laudatur Itala et versio syriaca Peschito.

§. 231. Schola interpretandi Alexandrina.

Mox post initium aerae vulgaris literae haud parum floruerunt Alexandriae, ubi jam saeculo II. et III. Pantaenus, Clemens Alexandr. et Origenes doctrina eminebant [1]).

Interpretationem s. Scripturae quod attinet, Patres Alexandrini eorumque sequaces, quos Scholam Alexandrinam nun-

cupant, id sibi proprium habuerunt, ut sensum allegoricum, jam a Judaeis et fere ab omnibus religionis christianae doctoribus prioris aetatis valde adamatum [2]) nimis extenderent, sensum literalem parum curantes. Allegoristarum facile princeps erat Origenes, vir subtili ingenio praeditus, sacris et profanis omnis generis literis excultus, linguae quoque hebraicae non ignarus, atque ampla eruditione instructus, ab Hieronymo *Ecclesiarum post Apostolos magister* dictus. Is ad nimium allegoriarum studium propterea potissimum perductus fuit, quod quasdam sectas heterodoxorum, nominatim gnosticorum, quae pluribus narrationibus, legibus et ceremoniis V. T., quas Deo indignas existimabant, offendebantur, alia ratione refutari non posse crederet, nisi allegoria ad eas excusandas adhiberetur, et quod ipsi quoque persuasum esset, multas s. Scripturae partes tales esse, quae rationis principiis repugnarent, populumque offenderent, si in sensu literali sumerentur. Quibus rationibus permotus, quidquid in sacris literis literaliter sumtum a sanae rationis effatis alienum esse videbatur, id secus, quam verborum potestas poscat, intelligi, et in allegoriam converti debere statuit, eadem interpretandi ratione, quam Platonici et Stoici in mythologia exponenda et excusanda secuti sunt, ad s. Scripturae expositionem translata [3]). Distinxit quidem Origenes triplicem s. Scripturae sensum, *literalem, moralem* et *mysticum seu spiritualem*. Ast sensum literalem vilem habuit, et tantum non sprevit; in morali vero ac mystico sectando omnem modum excessit [4]). Sectatores ejus, praesertim medio aevo adhuc longius progressi tandem eo pervenerunt, ut sensum literalem prorsus eliminarent, solo sensu mystico et, qui cum eo cohaeret, morali retento. Caeterum Scholae Alexandrinae non tantum graecae sed etiam latinae Ecclesiae Patres addicti erant. Post Origenem celebriores hujus Scholae interpretes sunt: Hilarius Pictaviensis, Basilius Magnus, Ambrosius et Cyrillus Alexandrinus; quibus, si placet, Gregorios addere potes [5]).

[1]) Pantaeno magistro usus est Clemens Alexandrinus, Clemente Origenes; omnes tres, alius post alium, celeberrimae Scholae catecheticae Alexandrinae fuerunt praefecti.

[2]) Conf. §§. 227—230.

[3]) Ita si Anthropomorphistae quasdam Bibliorum dictiones de Dei auribus, oculis, adventu et discessu, poenitentia ac ira exardescente proprie

interpretabantur, vel si Gnostici miris, quae in A. T. hinc inde occurrunt, sententiis, cujus generis est, Deum esse aemulatorem, reddentem iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem, offendebantur, vel denique si Chiliastae imagines apocalypticas de diabolo per mille annos alligando, et de sanctis cum Christo mille annos regnaturis plus minusve crude intelligebant, Origenes et qui eum sequebantur, difficultates inde oriundas nonnisi interpretatione allegorica removeri posse arbitrabantur, licet eas etiam expositio literalis facile tollat, dummodo indolis orationis biblicae orientalis ac rudi populo judaico accomodatae, nec non ornatus poëtici debita ratio habeatur, atque loci paralleli et analogia doctrinae in subsidium vocentur.

4) Rationem, qua sensum biblicum dividendum censuit Origenes, ipse assignat. Quemadmodum, inquit, homo tribus partibus constat, *corpore*, *anima* et *spiritu* (ἐκ σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ πνεύματος), ita etiam Scriptura s. triplicem habet sensum: *historicum et literalem* (corpus), *moralem* (animam) et *mysticum ac spiritualem* (spiritum). — Opera Origenis, quorum maxima pars periit, exegetica complectuntur Scholia, Homilias et Commentarios. Pleraeque ejus interpretationes sunt morales et allegoricae; rariores et quasi per transennam adspersae grammaticae.

5) Quod laudatos Patres attinet:

Hilarius Pictaviensis, mortuus anno 368., praeter alia scripsit Commentarios in *Psalmos* et in *Evangelium Matthaei*. In priori teste Hieronymo (in Catal. Script. eccles. c. 100.) imitatus est Originem, et nonnulla ex suo ingenio addidit. Sed etiam in Commentario in Evangelium Matthaei sensum allegoricum sectatur, sensum literalem rarius assequutus. Ast in disputationibus contra Haereticos interpretationi literali plerumque inhaeret. Sic e. g. in libro II. de Trinitate statim ab initio verba Domini: „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti," ad defendendam orthodoxam fidem expositione literali urget.

Basilius M., Caesaraeae in Cappadocia Episcopus, anno 379. vita defunctus, in interpretando secutus est Origenem, ut Socrates Libr. IV. c. 26. et Sozomenus Libr. VI. c. 17. testantur, mutatis duntaxat, quae ipsi non arridebant. Inter ejus homilias notatu digniores sunt novem in Hexaëmeron seu historiam creationis in Genesi enarratam.

Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, qui anno 397. obiit, praeter multa alia opera etiam exegetica reliquit, quorum quoad libros V. T. commemoramus *Hexaëmeron* seu *opus sex dierum* (creationis) in sex libris, et *expositionem Psalmi 118.* (hebr. 119.), quoad N. T. *expositionem Evangelii secundum Lucam*, quae ostendunt, eum magis allegorica et moralia, quam sensum literalem sectatum esse. In libris de opere sex dierum fere tantum Origenem et Basilium latinum reddidit.

Cyrillus Alexandrinus, mortuus anno 444., cujus opera exegetica praestantiora sunt: Γλαφυρὰ, id est *interpretationes venustae*, quibus selecti Pentateuchi loci potissimum allegorice et anagogice, proxime

de Christo, ejusque religione et Ecclesia exponuntur; *Commentarii in Jesaiam*, et *in duodecim prophetas minores*, quibus sensus literalis potissimum indagatur, denique *11 libri Commentariorum in Evangelium Joannis*, quibus hinc inde expositiones allegoricae inseruntur, in locis tamen non paucis interpretatio quoque literalis non negligitur.

Gregorii, qui merito etiam inter discipulos Scholae Alexandrinae referri possunt, sunt: Gregorius Thaumaturgus, ab urbe patria etiam Neocaesareensis cognominatus, qui Origenis in Palaestina docentis discipulus *paraphrasin in Ecclesiasten* scripsit; dein Gregorius Nazianzenus, etiam Theologus dictus, qui reliquit praeter alia *orationes sacras*, diversis occasionibus habitas (conf. supra §. 174. not. 2.); denique Gregorius Nyssenus, de cujus laboribus exegeticis praeter *librum de vita Mosis*, qui interpretationes allegoricas et tropologicas historiae Mosis continet, commemorari possunt: *Tractatus duo in Psalmorum inscriptiones*, et *Homiliae in Ecclesiasten et Cantica Canticorum Salomonis*, *in orationem dominicam et octo beatitudines*. Omnes ad Origenis exemplum morali potissimum et allegorica interpretatione usi sunt.

§. 232. Schola interpretandi Antiochena.

Schola interpretandi Antiochena nomen accepit ab *Antiochia*, totius Syriae metropoli, quae jam tempore, quo religio per Christi Apostolos propagari coepit, eximia artium et scientiarum cultura celebris erat [1]. Hinc mirum non est, teste historia Evangelium in hac urbe postea, cum annuntiaretur, hilari cum promtitudine admissum, mox tantam multitudinem ad signa Christi perduxisse, ut discipuli hic primum Christiani vocarentur. Paulus et Barnabas, per integrum annum continuo inter Antiochenses commorati et iterato ad illos regressi, haud dubie suum spiritum et prudentem rei christianae tractationem ad muneris apostolici in hac urbe successores transmiserunt, ut propterea etiam post eorum discessum longiori adhuc tempore in religiosam Ecclesiae Antiochenae institutionem virtutem exercerent [2].

S. Scripturae interpretationem quod attinet, *Schola Antiochena* allegoriarum studium non quidem prorsus reprobabat, sensum tamen literalem inprimis sectabatur ad maximum commodum scientiae theologicae, cui ejusmodi expositio apta ad dogmata fidei et morum comprobanda argumenta e sacris literis suppeditat. Ad praestantiores Scholae Antiochenae interpretes numerantur: Joannes Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Theodoretus,

et qui hos secuti sunt, Theophylactus et Euthymius Zigabenus [3]).

[1]) Cicero in oratione pro *Archia* c. 3. Antiochiam urbem celebrem et copiosam atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluentem vocat.

[2]) Conf. Act. XI, 19. sqq. XIII, 1. sqq. XIV, 25—27. XV, 22—35. XVIII, 22. 23. Gal. II, 11.

[3]) Joannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus, Diodori Tarsensis discipulus et Theodori Mopsuesteni condiscipulus, anno 347. Antiochiae natus, anno 407. in exilio obiit, qui quamquam Commentarios proprie dictos non scripsit, magnam tamen partem V. et N. T. *homiliis* illustravit. Quod V. T. attinet, supersunt ejus homiliae in *Genesin*, in aliquot *Psalmos* et in octo priora capita *Jesaiae;* quoad N. T. reliquit homilias in *Evangelium Matthaei et Joannis*, in *Actus Apostolorum* et *Pauli epistolas omnes*. In quibus ita procedit, ut textum grammatice et historice explicet, atque adhortationes ad mores formandos jam praemittat, jam subjungat, haud raro etiam ad dogmata digrediatur et haereticos refutet. Allegoricam interpretationem minime quidem spernit, magis tamen sensum literalem sectatur, quam caeteri illius aetatis Commentatores, quorum scripta exegetica supersunt. In explicando V. T. passim utitur versionibus graecis Aquilae, Symmachi et Theodotionis, nonnunquam etiam ad textum hebraicum provocat, quem ex scholiis, margini editionis Pamphili et Eusebii adjectis, noverat. S. Chrysostomus non tantum optimis s. Scripturae interpretibus accensendus est, sed Theologiae candidatis aeque ac sacerdotibus etiam qua eximius concionator commendari meretur, qui textus biblicos ad usum homileticum aptissime convertere docet.

Isidorus, Abbas monasterii prope Pelusium in Aegypto, unde Pelusiota dictus, mortuus circa annum 440., eximius s. Joannis Chrysostomi cultor, imitatorque scriptorum ejus, praeter alia plurimas epistolas scripsit, quarum adhuc 2000 supersunt. In iis, quae exegetici sunt argumenti, sensum grammaticum eruit, et ab allegorica interpretatione sibi cavit. Conf. Isidorianae Collationes, editae a Petro Possino, Romae 1670.

Theodoretus, Cyri in Syria Episcopus, qui anno 457. obiit, literalem s. Scripturae sensum acri persaepe judicio explorat, et sensum mysticum ad styli fere dumtaxat ornatum et ad illustrationem dictorum usurpat. Usus est operibus Theodori Mopsuesteni et Chrysostomi ac antiquis versionibus; hinc inde etiam textum hebraicum laudat. Quod attinet ejus opera exegetici generis, scripsit praeter Commentarios in *Psalmos*, *Prophetas majores et minores* (eorum tamen, quos in Jesaiam exaravit, nonnisi fragmenta supersunt) et omnes *Pauli epistolas* etiam *quaestiones* in libros historicos V. T., in quibus plura nimis quaesita observantur.

Theophylactus, Achridensis Bulgarorum Archiepiscopus, mortuus anno 1107. reliquit Commentarios in aliquot *Prophetas minores*, in *quatuor*

Evangelia, *Actus Apostolorum* et *epistolas Pauli*, in quibus quidem plurima ex interpretibus antiquioribus, praesertim Chrysostomo excerpsit, sed et suas observationes adjecit. Idem fere valet de

Euthymio Zigabeno, saeculi XII. scriptore, cujus supersunt Commentarii in *Psalmos*, in *quatuor Evangelia*, in *epistolas Paulinas et Catholicas*. Cum Theophylacto inprimis sensum literalem sectatur, breviter, dilucide tamen referens, quae ad grammaticam interpretationem faciunt.

§. 233. Interpretes neutri scholae addicti.

Praeter laudatos Scholae Alexandrinae et Antiochenae asseclas floruerunt eadem fere aetate plures alii celebres interpretes, quos in singularem ordinem referimus, non tam ideo, quod quasi media inter allegoricam et literalem interpretandi rationem via incedebant, quam potius, quod neque Origenis neque Chrysostomi discipulis adnumerari possunt, utpote qui in exponendi munere neutri pressius adhaerebant, sed ab auctoritate utriusque discedendum putabant.

Caeteris praeferendi sunt: Hieronymus Stridoniensis [1]), Ephraëm Syrus [2]) et Augustinus [3]), quos quam plurimi medii aevi interpretes imitandos censuerunt.

[1]) Sophron. Eusebius Hieronymus, Stridonii in Dalmatia natus circa annum 331., Gregorii Nazianzeni discipulus, mortuus Bethlehemi anno 420., si quaeris expositionem biblicam, caeteros Patres omnes superavit, propterea inter interpretes sacros princeps ab ipsa Ecclesia nostra salutatus, quae die ejus festo publice ita precatur: *Deus, qui Ecclesiae tuae in exponendis sacris scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es etc.* Nec mirum hoc est; nam praeter acre judicium et indefessum sacrarum literarum studium, etiam subsidiis, quae ad rectam interpretationem requiruntur, melius quam quispiam alius provisus fuit. Callebat praeter linguam latinam et graecam etiam hebraicam; chaldaicam didicit jam senex; doctissimos sui temporis Judaeorum magistros consulebat; versiones graecas Hexaplorum examinabat; in auctoribus Graecorum et Latinorum classicis bene versatus erat; historiam et geographiam Palaestinae, in qua multos annos commoratus est, apprime noverat; consuetudines Orientalium, quibus antiquitates biblicae illustrantur, facile in vita communi observabat, atque antiquiores interpretes sedulo legebat. In interpretando vero ita versatus est, ut sensui literali inprimis studeret, mysticum autem seu potius allegoricum non raro quidem, sed fere tantum ad illustrationem ac orationis ornatum usurparet, et hinc inde etiam reflexiones morales adspergeret. Dolendum sane, quod multitudine laborum saepius coactus fuerit, raptim et festinanter scribere, de quo ipse non semel conqueritur,

uti in prooemio in Matthaeum, in prooemio in librum III. Comment. in epist. ad Galatas, et in prooemio in librum II. Comment. ad Ephesios. Inde est, quod quibusdam eruditis saepius minus sibi constare, imo secum ipse pugnare videatur, utpote qui vel ipse aliam alio tempore sententiam adoptavit, vel aliorum sententiam suae contradicentem, aut tamen minus convenientem notario dictavit, quia prae nimia celeritate lectores hac de re monuerit. Quod attinet opera exegetica ab ipso edita, praeterquam quod plerosque libros V. T. ex textu hebraico in sermonem latinum transtulit, et versionem latinam N. T. graecae fidei restituit, Commentarios reliquit in *Ecclesiasten*, in *omnes Prophetas tum majores, tum minores*, porro in *Matthaeum*, in epistolas ad *Galatas*, *Ephesios*, *Titum*, et ad *Philemonem*. Praeter hos Commentarios Hieronymus alia quoque scripsit, quae ad s. Scripturae interpretationem faciunt. Quo pertinet liber de *nominibus Hebraicis*, liber de *locis Hebraicis*, et denique liber *Quaestionum Hebraicarum in Genesin*. Commentariorum caeteris praeferuntur, qui scripti sunt in Prophetas minores.

[a]) Ephraëmus Syrus, Ecclesiae Edessenae Diaconus, obiit 378. Praeter scripta moralia composuit etiam exegetica, quae complectuntur explanationem plerumque V. T. librorum adeo planam et ad institutionem populi aptam, ut in multis ecclesiis post s. Scripturam publice praelegeretur.

[b]) Aurelius Augustinus, Episcopus Hipponensis, Tagastae in Africa natus anno 354., Hippone regio mortuus anno 430. praeter plurima opera omnis generis disciplinarum theologicarum etiam multa exegetica reliquit. Praeterquam enim, quod in libris de doctrina christiana primus Catholicorum regulas recte interpretandi tradidit (conf. supra §. 11), ei debentur: *De Genesi ad literam libri XII; Locutionum libri VII ex Heptateucho; Quaestionum libri VII in Heptateuchum; Annotationes in Job*, et *Enarrationes in Psalmos*. Scriptorum exegeticorum, quae ad N. T. pertinent, facile primum locum tenent *Libri IV de consensu Evangelistarum*. Dein huc spectant: *De sermone Domini in monte libri II; Quaestionum Evangeliorum libri II; Quaestionum septemdecim in Evangelium secundum Matthaeum liber unus; in Joannis Evangelium Tractatus XXXIV; in epistolam Joannis ad Parthos* (i. e. I. Joan.) *Tractatus X; Expositio quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, liber unus; Epistolae ad Romanos inchoatae expositionis liber unus*, et *Expositionis epistolae ad Galatos liber unus*. — Quodsi de s. Augustini interpretandi ratione ac merito quaeritur, fatendum est, eum hebraicae linguae ignarum fuisse (conf. Confess. lib. XI. 5. et De doctr. christ. lib. II. 23.) graecam vero, quam a juventute odisse ipse profitetur, nihilominus sat bene calluisse, monendum est. Quapropter in explicandis libris sacris V. F. versionibus graecis, praecipue Alexandrina, quam summopere probatam sibi habebat, et in libris N. F. textu graeco, utriusque praeterea translationibus latinis, nominatim Itala, quam caeteris praeferebat, ei uti licebat. Quodsi vero communia interpretationis subsidia ei minus in promtu fuerint, ingenii acumine, subtilitate ac fer-

tilitate, quibus omnes Patres superavit, et praesertim accuratiore doctrinae christianae cognitione, ex traditione hausta, defectum supplevit, minus tamen sensum literalem, quam allegoricum, dogmaticum et moralem sectatus. — Plura de hoc interprete scire cupienti commendari meretur opusculum: Aurelius Augustinus Hipponensis, s. Scripturae interpres, a H. Nicolao Clausen. Havniae 1827.

§. 234. Interpretes medii aevi.

Licet modum nobis excedere videantur recentiores, qui medio aevo scientias et artes omnes plane neglectas jacuisse clamitant, id tamen facile largimur, exegesin biblicam ea aetate suo Marte, certe si interpretationis literalis ratio habetur, vix aliquid eximii praestitisse. Quotquot enim hujus aetatis doctores scriptis exegeticis majorem nominis celebritatem nacti sunt, colligendis potius antiquiorum interpretationibus, quam docta expositione, suis viribus tentata, quae sanis Hermeneuticae regulis respondeat, et allegoriis captandis, vel s. Scripturae effatis ad aedificationem christianam applicandis occupati fuerunt. In hunc censum, ut Theophylactum et Euthymium, quos sectatores Chrysostomi Scholae Antiochenae adscripsimus, mittamus, sequentes imprimis veniunt: Cassiodorus, Gregorius Magnus et Venerabilis Beda [1]); porro Alcuinus, ejusque discipuli Rabanus Maurus et Haymo [2]), denique Thomas Aquinas et Bonaventura [3]).

Hoc loco etiam commemorare juvat auctores, quibus sic dictae *Catenae* et *Glossae* in acceptis referendae sunt. Ad priores spectant collectiones variarum explicationum, quae ex omnis generis interpretibus sacris, Patribus praecipue, per seriem librorum biblicorum excerptae sunt, propterea ita nuncupatae, quia continua et quasi catena colligata serie multorum explanationes in unum congestas exhibent; posteriores vero sunt collectiones brevium tantum annotationum in totam s. Scripturam, pariter ex operibus ss. Patrum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum haustae [4]).

Sub finem aetatis mediae, id est seculo XIV. extiterunt duo doctores Judaeo-christiani, Nicolaus Liranus et Paulus Burgensis, qui exegesin biblicam ad meliorem rationem reducere egregie conati sunt, quorum prior *Postillas*, posterior *Annotationes* in eas edidit [5]).

1) Aurelius Cassiodorus et Gregorius Magnus ex Augustino potissimum hauserunt. Prior, qui antea sub regibus Gothicis in Italia

amplissima munera publica administraverat, anno 539. in monasterium Vivariense se recepit, ubi inter pietatis exercitia et literarum studia ad annum usque 565. (al. 575.) vixit. Reliquit praeter alia *Expositionem in Psalmos*, interpretationibus mysticis, doctrinis dogmaticis et moralibus, imo et subtilitatibus dialecticis plenam, porro *Complexiones in epistolas et Actus Apostolorum et in Apocalypsin*, quae sunt breves nonnullorum locorum ex illis libris sacris petitorum interpretationes. — S. Gregorius M., mortuus 604., qui pluribus scriptis inclaruit, nec non exegetica plura reliquit, uti XXXV *libros expositionis in librum Job*, qua triplex hujus libri interpretatio exhibetur, historica nimirum, allegorica et moralis, ita tamen, ut nonnullis locis omnia tria interpretationis genera, aliis nonnisi unum alterumve, historicum quidem rarissime, morale autem frequentissime adhibeatur. Simili fere modo, nisi quod moralia minus frequentia sint, Gregorius versatus est in duobus libris *Homiliarum in Ezechielem*. In duobus libris *Homiliarum in Evangelia* pericopas evangelicas breviter tantum per sensum literalem illustrat, et maximam partem expositiones allegoricas et morales ac doctrinas practicas adfert.

Beda, Anglus, ordinis s. Benedicti, qui obiit anno 735., expositiones, quas dedit, ex pluribus excerpsit, quibus et suas illustrationes adjecit. Reliquit *Explanationem in plerosque libros historicos V. T.*, *Commentarios in Psalmos*, et fere *in omnes libros N. T.*, in quibus Patribus graecis et latinis ita utitur, ut magis in admonendo et hortando atque in mystica explicandi ratione versetur. Nec quae Beda adjecerit sua, et quae aliis debeat, accurate discernere licet, omissis librariorum negligentia nominibus eorum, ex quibus explicationes petierat.

[2]) Alcuinus, natione Anglus, Diaconus et Scholae Eboracensis Magister, senio confectus anno 796. a Carolo M., qui ejus consilio et opere in literis restaurandis et Clero reformando usus fuerat, impetravit, ut in Turonensi monasterio s. Martini quietem agere sibi liceret, ubi etiam anno 804. diem supremum obiit. Inter ejus scripta exegetica commemorari merentur *Commentarii in Ecclesiasten*, ne mutatis paene verbis ex simili s. Hieronymi opere desumti; *libri VII Commentariorum in Evangelium Joannis*, maximam partem ex Augustino et Beda haustorum; *Expositio in epistolas ad Titum*, *Philemonem et ad Hebraeos*.

Rabanus Maurus, monachus, postea Abbas monasterii Fuldensis, et demum Archiepiscopus Moguntinus, mortuus anno 856. reliquit *Commentarios in plerosque V. T. libros*, *in Matthaeum* et *epistolas Pauli*, sed fere totos ex s. Hieronymo aliisque antiquis interpretibus, qui ei praesto erant, collectos, et nonnisi hinc inde suis interpretationibus, iisque mysticis auctos.

Denique Haymoni, monacho, postea Episcopo Halberstadiensi, mortuo anno 853., ab eruditis attribuitur *Commentarius in Psalmos, Jesaiam et in epistolas Pauli*, qui anno 1536. Coloniae impressus ab interpretandi ratione, ea aetate consueta, non discedit.

[3]) S. Thomas Aq. et s. Bonaventura, Theologiae scholasticae addicti, plurima scripta elucubrarunt, inter quae exegetica magnam partem ex antiquioribus hausta, magis quidem sensui mystico quam historico inquirendo operam navant; simul vero data occasione diversis quaestionibus dogmaticis ventilandis, et praecipue locis biblicis ad excitanda pia animi sensa et mores formandos applicandis bene atque utiliter occupantur. Ex operibus Thomae hoc loco notanda veniunt: *Expositio in librum Job*, *in L priores Psalmos*, *in Canticum Canticorum*, porro *in Joannem* et *in omnes Pauli epistolas*. Opera exegetica Bonaventurae recensentur: *Expositio in Hexaëmeron*, *in Psalmos*, *in Ecclesiasten*, *in librum Sapientiae*, *in Lamentationes Jeremiae*, *in Caput VI. Matthaei*, *in Evangelium Lucae* et *in Evangelium Joannis*, quae posterior *Postilla* dicitur.

[4]) Auctores *Catenarum* quod attinet, nominamus Procopium Gazaeum et Nicetam Heracleensem. Prioris, qui saeculo VI. floruit, Catena complectitur *Commentarios in Octateuchum*, *Scholia in libros Samuelis et Regum atque in duos libros Paralipomenon et Commentarium in Jesaiam*. Has scripturae expositiones auctor ex antiquioribus interpretibus graecis ita collegit, ut eorum lucubrationes multum abbreviaret, suasque hinc inde observationes intexeret. Posterior, qui saeculo XI. vixit, habet *Expositiones graecas in librum Job*, quibus tamen quaedam ipsius auctoris explicationes interspersae sunt.

Ad *Glossas* hujus aevi pertinent: *Glossa Ordinaria*, quae a Walafrido Strabone, qui praeter Augustinum inprimis Rabanum Maurum secutus est, saeculo IX. edita, frequentissimum usum nacta est, et tantum valuit, ut a Petro Lombardo κατ' ἐξοχὴν *auctoritas* appellaretur. Subsequenti tempore ei plures aliae, tum ex antiquis Ecclesiae scriptoribus, tum ex recentioribus auctoribus, ut ex Nicolao Lirano, Paulo Burgensi aliisque excerptae annotationes insertae sunt, ita ut Glossa paulatim in Commentarium excresceret. Vide Biblia sacra cum Glossa ordinaria a Strabone Fuldensi et Postilla Nicolai Lirani, additionibus Pauli Burgensis ac Matthiae Thoringi (Doringi) replicis, Theologorum Duacensium studio emendatis. VI Tomi, Antverp. 1634. — Sequitur *Glossa interlinearis*, cujus auctor priori saeculi XII. dimidio erat Anselmus Laudunensis, propterea sic dicta, quod inter lineas versionis Vulgatae inserta est, quae non minus quam prior comprobata fuit, licet sit brevissima, et non tam vocabulis obscurioribus explicandis, quam potius sensibus mysticis sectandis immoretur, et interdum circumlocutiones superfluas aut ineptas nec non etymologias plane ridiculas afferat. Denique hoc loco adhuc nominandus est s. Thomas Aquinas, cui praeter opera exegetica supra laudata in acceptis quoque referenda est *Glossa continua* (etiam *Catena aurea* dicta) *in quatuor Evangelistas*, ita appellata, quod in singulos versus aut majores sectiones interpretationes ex optimis antiquioribus plus quam octoginta graecis et latinis scriptoribus petitas una cum auctorum nominibus, ipsis eorumdem verbis exhibet.

5) Nicolaus Liranus († 1340.) et Paulus Burgensis († 1435.) non tantum graecae sed et hebraicae linguae periti, nec non Rabbinorum alumni et sectatores, in sensum literalem diligentius penetrarunt. Ille, Lirae in Normannia natus, qui, postquam a Judaismo ad religionem christianam transiisset, ordinem s. Francisci ingressus est, cum in Commentariis suis soleret primo loco verba textus s. Scripturae, et *post illa* suas et aliorum notas apponere, inscripsit opus nomine *Postillae*. Licet vero in his notis sensus grammaticus et historicus praefertur, allegoriae tamen non prorsus desunt, et magna illarum pars in disquisitionibus dogmaticis et moralibus versatur. Fuit vero hujus operis suo tempore tanta celebritas. ut diceretur: „*Nisi Lira lyrasset, totus mundus delirasset.*" Paulus Burgensis, ita dictus, quia, postquam quadragenarius lectione Summae s. Thomae ex Judaeo Christianus factus fuisset, tandem ad archiepiscopatum *Burgensem* in Hispania evectus est. Scripsit *Annotationes ad Postillas Nicolai de Lira*, in quibus quidem sensum literalem universim, non tamen in singulis locis mystico praefert, caeterum autem Liranum, Bibliorum interpretem varias ob causas reprehendit.

§. 235. Sanctorum Patrum in exegesin merita contra adversarios vindicantur.

Cum interpretes Christiani, quos praecipuos, qui inde a tempore Christi extiterunt, laudavimus, maximam partem ad venerabiles Ecclesiae Patres referendi sint, non abs re esse arbitramur, si in fine hujus capitis ad vindicanda sanctorum Patrum merita exegetica contra adversariorum criminationes generatim pauca dicamus. Fuerunt enim inde a saeculo proxime praeterlapso plures, qui Richardum Simonem secuti, sibi in vituperanda sanctorum Patrum expositione placebant, ita ut illos bene de s. Scriptura interpretanda meruisse negarent. Imo nonnuli eo progediebantur, ut vel optimos quosque Patres, si non haereticis ejusdem aetatis, certe recentioris temporis interpretibus longe inferiores esse dicerent [1]). Id vero factum esse videtur, quod fere omnes ex una parte necessariis interpretandi adminiculis, praecipue idiomatum orginalium peritia et rerum biblicarum cognitione destitutos, et proterea ad interpretationem grammaticam et historicam minus idoneos fuisse, ex altera autem parte nimio allegoriarum studio, neglecto fere prorsus sensu literali, indulsisse arbitrarentur.

Quam injustum vero sit hoc de interpretatione sanctorum Patrum judicium, facile ostenditur. Et primum quidem defectus notitiarum, quae ad proficuam Bibliorum interpretationem requiruntur, minime erat tantus, quantum adversarii Patribus objectant.

Etenim si usum loquendi biblicum spectas, praeterquam quod linguarum orientalium peritia non omnes carebant [2]), lingua graeca Patrum graecorum erat vernacula, Patribus latinis vix non omnibus satis nota [3]). Itaque ratione quoque V. T. fuerunt, qui possent adire textum originarium; hebraici vero idiomatis imperitis versione Alexandrina, quae magna pollebat auctoritate, vel aliis translationibus hexaplaribus uti datum erat. Ratione N. F. textus originarius per se vix alicui impervius fuit. Et si fors uni alterive accuratior sermonis graeci peritia defuisset, praesto érant versiones latinae, inter quas saltem Itala commode et cum securitate adhiberi poterat, utpote quae teste Augustino erat verborum tenacior cum perspicuitate sententiae. Quae cum ita sint, defectus cognitionis linguarum non potuit impedire, quo minus in sensum s. Scripturae penetrare possent. Nec minus certe affirmare licet, etiam notitias historicas, quae expositionem biblicam praeparant atque adjuvant, Patribus praesto fuisse, utpote quibus res biblicas, partim quod loca regionesque, quae in Scriptura commemorantur, invisere, partim quod veterum Judaeorum consuetudinem, vel recentem majorum traditionem consulere liceret, discere melius quam nobis erat concessum [4]).

Nec quod nimio allegoriarum studio traherentur, et sensum literalem justo plus negligerent, eos generatim accusare licet. Et imprimis quidem haec accusatio de ea sanctorum Patrum interpretatione, qua sensus mystici explorationi, quam justae suadebant rationes, operam dederunt, minime valet. Etenim si verum est, quod alio in loco firmis argumentis demonstrasse nobis videmur, auctores biblicos revera saepius a Spiritu sancto ita directos fuisse, ut orationi suae praeter sensum grammaticum et historicum, alium sublimiorem subjicerent, profecto Patres, qui talem sensum, ubi sufficientibus rationibus ducti eum sub rebus litera expressis latere intellexerunt, expositione proferendum existimarunt, servatis justis, quos leges hermeneuticae praescribunt, limitibus, bene processerunt, ideoque non reprehendendi, sed laudandi sunt.

Deinde quamvis plures eorum, praesertim qui Origenis vestigia presserunt, quod non inficiamur, sensu mystico, qui certis indiciis proditur, non contenti eo progressi sint, ut eventibus quoque sensus sublimiores tribuerent, quibus tales ab auctoribus subjectos fuisse ostendi nequit, non minus verum est, plures alios,

praecipue Scholae Antiochenae asseclas, magis sensui literali vel mystico, qui a loquentibus vel a Spiritu sancto reapse intentus fuit, quam arbitrariis allegoriis sectandis operam dedisse. Sed neque acriores allegoriarum patroni temere et absque ratione justa, vel plane ob ignorantiam interpretationis literalis illis inquirendis tantopere insudabant[5]). Etenim, praeterquam quod sensum literalem pro fundamento ponere, eique expositiones allegoricas superstruere solebant[6]), ii quoque, qui hoc interpretandi genus ultra modum sectabantur, ideo allegoriis delectabantur, quia earum studio tum genio aetatis indulgendum, tum sanctitati et auctoritati s. Scripturae consulendum esse existimabant[7]). Nec allegorias ad probandum et demonstrandum, ad quod eas aptas non esse bene noverunt, sed ad doctrinas fidei et morum illustrandas et ad pietatis sensa excitanda et nutrienda, ad quod idoneae erant, adhibebant[8]). Quae s. Scripturae applicatio, cum haud sine magno fructu aedificationis, ut vocant, fieret, minime reprobanda est[9]).

Ex quibus facile intelligitur, quam immerito sanctorum Patrum interpretatio vilipendatur, licet fatendum sit, nequaquam omnia eorum opera exegetica, si ad communes interpretandi leges, prout successu temporis in systema redactae et mire excultae nostra aetate habentur, et ad doctum, qui nobis praesto est, apparatum exiguntur, omnibus numeris absoluta esse. Ast eximia, quae laboribus sanctorum Patrum exegeticis a nullo aequo rerum aestimatore denegari possunt merita in praestantibus potissimum ingenii et animi dotibus, atque in peculiari, qua utebantur, interpretandi ratione, divinae indoli s. Scripturae attemperata, quaerenda sunt, quibus solis via ad genuinam divinorum eloquiorum intelligentiam munitur. Cum singulari perspicacitate, mente ab omni praejudicio libera, ardente veritatis amore, et spiritu divina gratia disposito conjungebant sacrarum literarum studium per multos annos, saepe per totam vitam continuatum, in quo ita versabantur, ut doctrinam Ecclesiae a viva Apostolorum concione derivatam pro norma haberent, cui suam expositionem accommodarent[10]). Inde eo pervenerunt, ut nullus detur majoris momenti locus biblicus, cujus sancti Patres non egregiam nobis reliquerint expositionem, et ut eorum opera exegetica omnibus subsequentium temporum interpretibus exemplo sint, quod modo in sensu genuino explorando ac exponendo, modo in applicandis sacris literis ad veritates religiosas illustrandas at-

que ad mores formandos saluberrime sequantur [11]). Id adeo manifestum est, ut ipsi protestantes, nostrae potissimum aetatis caeteris aequiores, praestantiam Patrum in exegesi biblica disertis verbis praedicent atque eo potissimum comprobent, quod in explicanda s. Scriptura saepe illos duces adhibeant [12]).

[1]) Haec justo severior et iniquior censura interpretationis sanctorum Patrum in operibus, supra §. 226. in nota recensitis, praecipue in Rich. Simon Hist. crit. du V. T. B. III. et J. G. Rosenmüller Hist. interpretat. T. II. et III. habetur. De priori non minus vere, quam facete Bossuetus scribit: „Pour venir aux Interprètes latins M. Simon est de si bon goût, qu'il ne paraît estimer veritablement, que le Diacre Hilaire schismatique Luciferien, et Pelage l'hérésiarque — ajoûtant même, qu'il y a peu d'anciens Commentaires sur les epîtres de S. Paul, et même sur tout le N. T., qu'on puisse comparer à celui-là. — Voilà donc les deux auteurs de M. Simon, et je ne sais lequel des anciens, selon lui, on leur pourrait comparer dans l'explication des livres saints. S. Chrysostôme n'apprend pas la lettre, S. Jerôme ne raisonne pas; S. Ambroise — est — mis beaucoup au-dessous du diacre Hilaire. — Que reste-t-il donc à l'église, si non Hilaire, et Pelage, qui joints avec Socin et Grotius lui apprendront le sens litteral?" Defense de la Tradition et des S. Perès. Liv. IV. chap. 14. Tom. I. p. 304 sqq.

[2]) Profecto Origenes linguae hebraicae non fuit rudis, Hieronymus in ea fuit versatissimus. Et quis credat, Ephraëmum Syrum, qui dialecto linguae hebraicae adeo affini utebatur vernacula, hujus fuisse imperitum? Conf. §. 231 — 233.

[3]) Inter Patres latinos Hieronymum et Augustinum linguae graecae peritos fuisse, §. 233. nota 1. et 3. monuimus. Sed quis dicet, illam non etiam eruditissimos episcopos, Hilarium Pictaviensem, Ambrosium, Gregorium M. aliosque calluisse, cum ea aetate in imperio Romano non tantum inter cultiores, sed in vulgo quoque esset usitatissima.

[4]) Sic Origenes et Hieronymus, qui in Palaestina multos annos sedem habuerunt, et Gregorius Thaumaturgus, qui diuturniori tempore Origenis Caesareae in Palaestina discipulus fuit, geographiam et historiam terrae sanctae et vicinarum regionum, nec non mores et consuetudines Orientalium, quibus res biblicae illustrantur, tum ex aspectu, tum ex commercio cum incolis probe noscere debuerunt. Alii, uti Ephraëm Syrus et Cyrillus Alexandrinus, theatro biblico, ut ita dicam, tempore et loco propinqui, ex antiquiorum, nominatim Palaestinensium traditione illas notitias archaeologicas haud difficulter petierunt.

[5]) S. Basilius, caeterum Scholae Alexandrinae addictus, homilia III. nro. 9. in Hexaëmeron ita disserit: „Aliquis etiam nobis adversus ecclesiasticos quosdam scriptores de discretis aquis (Genes. I, 7.) habendus est sermo, qui anagoges et sublimioris intelligentiae nomine confugerunt ad allego-

rias, adeo ut spirituales et incorporeas virtutes asserant per aquas tropice designari. — Tales sermones veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas rejicientes *aquam intelligamus aquam* etc." Item homilia IX. nro. 1. „Novi leges allegoriae. — Scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quamdam naturam, et plantam et piscem secundum suam ipsorum sententiam (πρός τό ἑαυτοῖς δοχῦον) interpretantur; quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt, ut quidem rerum sese imaginationi per somnium objicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium consilium accommodant. Ego vero *cum foenum audio*, *foenum intelligo*, et plantam et piscem et bestiam et pecus, *omnia sicut dicta sunt*, *sic accipio*. Non enim erubesco Evangelium." S. Basilii M. Opp. Tom. I. edit. Maur.

[6]) Testes hujus rei sint s. Augustinus et Gregorius M., qui ceterum expositionibus allegoricis magis favent. Ille in Sermone de tentatione Abrahae scribit: „*Admonemus*, *quantum possumus*, *et praecipimus*, *ut*, *quando auditis exponi Sacramentum Scripturae mandantis*, *quae gesta sunt*, *prius illud factum esse credatis sic gestum*, *quomodo lectum; ne subtracto fundamento rei gestae quasi in aëre quaeratis aedificare*." Alter in Evangel. lib. II. hom. XL. in Dom. II. post Pentecost. dicit: „*In verbis sacri eloquii*, *fratres carissimi*, *prius servanda est veritas historiae*, *postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur*, *cum prius per historiam in veritatis radice solidatur*."

[7]) Hoc consilio ductos *Origenem* ejusque discipulos, vestigia Judaeorum et Christianorum prioris temporis sequentes, sacras literas exposuisse, dictum est §. 231. not. 3.

[8]) Id s. Hieronymus, ipse sensus literalis magis studiosus, de ejusmodi explicationibus allegoricis attestatur. Cum enim in Comment. in Matth. XIII, 33. arbitrariam quamdam explicationem parabolae de fermento, qua quidam tria farinae sata ad fidem mysterii ss. Trinitatis pertinere ajebant, retulisset, subjungit: „*Pius quidem sensus*, *sed nunquam parabola et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere*."

[9]) Huc pertinent, quae Joannes Obstraët, Loc. theol. Tom. III. Diss. VI. §. 1. de allegoriarum studio ss. Patrum scribit: „Cum toti in scopum divinarum Scripturarum, id est in aedificationem caritatis Dei et proximi intenti forent, nec tam studerent instruere intellectum, quam cor accendere, opus esse non existimabant, grammaticalibus et criticis circa sensum literalem quaestionibus populum defatigare, sed credebant satis esse ea proponere, quae ad morum aedificationem faciebant, sensu literali aut penitus praetermisso, ubi clarus erat, aut nude proposito, ubi obscurus." — Confer etiam Frint's Theol. Zeitschrift. Jahrgg. XIII. pag. 5 sqq.

[10]) Diuturnum ac indefessum studium, quod plures sanctorum Patrum, e. g. Gregorius Nazianzenus et Basilius, Hieronymus et Au-

gustinus sacris literis impenderunt, notum est. Quam arcte Patres conjunctam esse voluerunt expositionem biblicam cum deposito fidei, uberius ostendimus §. 174.

[11]) Quam ob rem Lud. Ant. Muratorius (De moderat. ingeniorum in negotio religionis, Libr. III. cap. XVI. p. 612. Edit. Aug. Vindel. 1779.) confidenter asseruit, Patres ad justam expositionem omnium gravioris momenti locorum dogmaticorum ac moralium pervenisse, et ad hoc negotium eis vulgatum textum graecum aut latinum satisfecisse. Ipsum audiamus. „*Constanter, ait, affirmare licet, nullum vel de Deo, divinisque legibus et decretis, vel de Christo, ejusque adventu, operibus ac documentis e sacra Scriptura dictum produci posse, ad quod intelligendum, explicandum et propugnandum non pervenerunt sancti Patres, ut satis non sit, ac perpetuo satis non fuerit ad ejus intelligentiam graeci aut latini textus vulgata fides.*" — Quae cum ita sint, non minus vere quam apte ad rem nostram Bossuetus scribit: „Quiconque veut devenir un habile theologien et un solide interprête, qu'il lise et relise les Pères."

[12]) Non possumus praetermittere, quae hac de re J. Chr. W. Augusti, ipse e Protestantium numero, in opere laudato: Versuch einer historisch-dogmatischen Einleitung, pag. 107 sqq. dicit: „Es war lange beliebter Ton, von der Interpretation der Kirchenväter verächtlich zu sprechen. — Jetzt fängt man aber schon wieder an, sich der verrufenen Väter anzunehmen und einzuräumen, dass die meisten unter ihnen, wenn sie auch mit dem Buchstaben nicht so vertraut waren, als man es wünschen möchte, den Geist der biblischen Schriftsteller weit besser aufzufassen und darzustellen wussten, als die meisten neueren Ausleger, welche ungeachtet ihrer gepriesenen Vergeistigungs-Methode dennoch als ψυχικοί, πνεῦμα μὴ ἔχοντες (Jud. 19.), oder wohl auch gar als πνευματομάχοι oder θεομάχοι (Act. V. 39. XXIII, 9.) erscheinen." — Exempla interpretum acatholicorum, qui in explicando sacro codice ad opera exegetica ss. Patrum recurrerunt, vide infra §. 247. nota * I.

CAPUT III.

CHRISTIANORUM EXPOSITIO A REFORMATIONE USQUE AD NOSTRA TEMPORA.

§. 236. Separatio expositionis biblicae Christianorum per sic dictam reformationem in duas partes vere diversas.

Quemadmodum tempore reformationis societas Christianorum ipsa in duas partes discessit, quarum altera, quae Catholicos complectitur, antiquam doctrinam, ex Apostolorum praedicatione derivatam, et in sinu Ecclesiae apostolica successione gaudentis sine omni erroris admixtione servatam fideliter retinuit, altera

reformatorum signa secuta, relicto antiquae Ecclesiae Magisterio, nova illorum dogmata admisit, ita etiam ab eodem tempore intra utramque quoad s. Scripturae interpretationem directio prorsus diversa invaluit. Licet enim praeter universales interpretandi leges etiam divinam Bibliorum originem interpreti sancte respiciendam esse cum Catholicis Protestantes longiori adhuc tempore plane consenserint; attamen jam inde ab initio reformationis in re gravissimi momenti illos penitus reliquerunt. Etenim Catholici ea principia, quae quidem, utpote ex divina ad doctrinam revelatam propagandam et conservandam dispositione derivata, inde ab Apostolorum aetate pro interpretatione biblica normam dederunt, a Concilio vero Tridentino demum ob temporum acerbitatem diserta declaratione sancita sunt, firmiter custodientes, praeter Scripturam etiam *traditionem* revelationis fontem, et *Ecclesiam* a Christo constitutam, totius fidei depositi, scripto non minus, quam viva voce transmissi *infallibilem custodem*, *judicem ac interpretem* venerari non desierunt [1]; contra Protestantium coetus, qui antiquae Ecclesiae valedixit, Scripturam unicum et plenum fontem, seu, ut expressione symbolica utamur, *solam normam* et *unicum judicem* in rebus fidei et morum esse voluit [2], atque remota etiam in interpretationis biblicae negotio Ecclesiae auctoritate summam cuilibet in scrutandis et exponendis Scripturis concessit libertatem [3]. Quae cum ita sint, nos in interpretationis historia hujus periodi prius de interpretibus catholicis, dein de interpretibus acatholicis seperatim loqui opportunum existimamus.

[1]) Conf. §. 135. not. 1. §§. 173 sqq.

[2]) Confess. August. Art. 15. Apolog. Art. 8. Epitom. Comp. §. 1. p. 543. „Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata omnesque doctores judicare oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica tum V. tum N. T. scripta." Conf. Solid. declarat. forma dijudic. controv. §. 2. p. 605. — Artt. Smalc. P. II. Art. 2. p. 308. Formul. Concordiae p. 570. V. 1. — Confess. Helvet. II. c. 1.

[3]) Lutherus, Opp. lat. Tom. II. Jenae 1557. p. 155. ita loquitur: „In his, quae sunt fidei, quemlibet Christianum sibi Papam et Ecclesiam esse." Idem de instit. ministr. eccles. Opp. lat. Tom. II. p. 584. dicit: „His locis — totius Scripturae — docemur, ut nostrae propriae quisquis pro se salutis rationem habens certus sit, quid credat et sequatur, ac judex liberrimus sit omnium."

§. 237.

I. CATHOLICORUM INTERPRETATIO.

Licet Catholici normâ interpretandi, quam Concilium Tridentinum ex antiquorum Patrum doctrina et continua Ecclesiae praxi derivatam expressa definitione praescripserat, usi in rebus fidei et morum ab omnibus erroribus praeservati ac peculiari ad sensum genuinum inveniendum auxilio muniti fuerint, longiori tamen adhuc tempore defectus perfectioris cognitionis linguarum biblicarum, artis criticae, nec non archaeologiae eos impedivit, quo minus melius in exponendis sacris literis procederent. Haud dubie etiam studia polemica, quae ob crebrius pullulantes haereses inter theologos medii aevi multum invaluerant, et venatio allegoriarum, quas eadem periodo inprimis adamaverant [1]), diutius adhuc vim suam exercuerunt, ut simul proficuo s. Scripturae studio ac melioris interpretationis progressui obessent.

Restauratis vero primum in Italia, et inde a posterioribus saeculi XV. annis etiam in alias Europae regiones propagatis literarum antiquarum, graecarum et latinarum studiis sensim etiam linguarum biblicarum studium, quod eximii Catholicorum viri jam ante reformationem praeparaverant, efflorescere et ad exponendam s. Scripturam adhiberi coepit [2]). Aliquo modo linguarum, caeterorumque accuratioris expositionis adminiculorum perscrutationem Patres quoque Tridentini excitarunt, dum versionem Vulgatam latinam, cujus auctoritatem Protestantes minoris habebant, in rebus fidei et morum quidem authenticam declararent, caeterum vero corrigendam, et quantum fieri posset, emendatius edendam decernerent [3]).

Nec dissimulandum est, controversias quoque, quae Catholicis cum Protestantibus erant, ad expositionem biblicam diligentius excolendam perficiendamque contulisse. Cum enim Protestantes, qui s. Scripturam unicam fidei et morum normam statuerant, imprimis solliciti essent de universis, quae ad illius illustrationem aliquid conferrent, adminiculis, et multas interpretationes novas, doctrinae catholicae oppositas in medium proferrent, profecto etiam Catholici necessaria rectae et accuratae interpretationis subsidia sibi comparare, et genuino s. Scripturae sensui, literali imprimis, quo solo contra Protestantes utendum erat, eorum ope

eruendo omni diligentia studere debebant, ut illorum perversis expositionibus, quibus locos biblicos ad suos sensus contorserant, rectam interpretationem opponere, et per eam antiquam Ecclesiae fidem contra adversariorum commenta vindicare possent.

Prodierunt revera saeculo XVI. et XVII. plures Commentarii, qui sensum literalem diligentius consectabantur, et mysticum ibi tantum, ubi sufficientia ejusdem adsunt indicia, sobrie adstruebant. Ast hi labores propterea adhuc minus fausti fuerunt, quia magnam partem ampliori et exactiori linguarum cognitione et eruditione necessaria, praesertim si archaeologiam et criticam spectas, destituebantur, et aliena immixta habebant [4]).

Qui vero inde a saeculo XVIII., praesertim altero ejusdem dimidio, et initio saeculi XIX. in sacra Biblia commentati sunt interpretes Catholici, cognitionibus, quae ad rite interpretandum requiruntur, et diligentia antiquioribus generatim longe praestant [5]). Dolendum solummodo, nonnullos eorum hac periodo etiam ad liberiorem, quae inter Acatholicos inde ab aliquo tempore invaluerat, interpretandi rationem plus minusve declinasse [6]). Recentissima tamen aetate Catholicorum interpretum iterum major sollicitudo observatur, in exponendis sacris literis non solum Hermeneuticae universalis legibus, sed et iis satisfaciendi, quas divina s. Scripturae indoles et Magisterium Ecclesiae ratas volunt [7]).

[3]) Confer §. 234.

[4]) Fuerunt quidem jam posterioribus aetatis mediae annis, qui ad restaurandam linguarum biblicarum cognitionem excitabant, ipsique aliqua ejusdem initia faciebant. Sic Clemens V. Pontifex anno 1311. in concilio Viennensi decrevit, ut Parisiis, Oxonii, Bononiae et Salamanticae, nec non apud sedem pontificiam pro quavis linguarum Orientalium, Hebraica scilicet, Chaldaica, Arabica et Graeca duo professores constituerentur, quod decretum saltem ex parte effectui datum est. Iterato laudatus Haneberg, Gesch. der bibl. Offenbarung, p. 763 sqq. plures Catholicorum recenset, qui majore fervore inde a dimidio saeculo XIII. studio linguarum orientalium incubuerunt. Et quamquam hae linguae ad convertendos Judaeos et Mohammedanos docebantur, earum tamen gnari Bibliis rectius intelligendis aptiores erant. Plura et quae propius ad studium biblicum faciebant, praestiterunt:

Joannes Reuchlinius (Capnio) Pforzhemii natus, juris consultus, professoris et variis aliis muneribus publicis diversis in locis functus, linguae graecae et hebraicae peritissimus, qui praeter alia anno 1506. edidit libros tres de rudimentis hebraicis, i. e. grammaticam cum voca-

bulario, cum jam an. 1478. Micropaediam sive grammaticam graecam scripsisset.

Desiderius Erasmus Roterodamus, qui anno 1516. N. T. graecum e quatuor manuscriptis codicibus graecis collatis Basileae typis impressum edidit, cui vivente adhuc auctore quatuor aliae novis collationibus auctae editiones successerunt.

Augustinus Justinianus, Genuensis, Episcopus Nebbiensis, ex ordine Praedicatorum, qui eodem anno textum hebraeum Psalmorum, additis ad latus pluribus versionibus, vulgata et alia latina verbali, Alexandrina, arabica et paraphrasi chaldaica, pariter in latinum translata, publici juris fecit. Denique

Franciscus Ximenes, Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, qui jam ab anno 1505. per plures viros eruditos et linguarum orientalium gnaros comparatis undequaque emendatis Bibliorum codicibus manuscriptis ingentibus sumtibus Polyglotta Complutensia conficienda curavit, quod opus anno 1517. sex tomis in fol. absolutum, ob varia impedimenta anno demum 1520. in summum rei biblicae emolumentum vulgatum est. Referre juvat, quae de meritis eximii hujus viri Ig. Aurel. Fessler, unus e Protestantium numero in opere suo: Ansichten von Religion und Kirchenthum, Berlin 1805. Tom. III. p. 33. notavit: „Nicht Luther, sondern der unerschrockene Mönchs- und Kirchenreformator, Cardinal Ximenes hat die Lehrer der Kirche zuerst wieder auf die Bibel aufmerksam (i. e. aufmerksamer), und ihnen das gründliche Studium derselben durch sein Polyglottenwerk möglich gemacht." Ipse Ximenes operis sui finem in prologo seu dedicatione Leoni Pontifici facta hunc esse voluit: „Ut originalia in promtu haberet quicunque divinarum literarum studiosus, possetque non solis rivulis esse contentus, sed ex ipso fonte salientis aquae in vitam aeternam sitim pectoris extinguere."

[3]) Ad emendationem Vulgatae a Synodo Tridentina ordinatam vetustissimi codices manuscripti consulti, Patrum testimonia collata, ipsi fontes hebraici et graeci in auxilium vocati, caeteraque philologiae et critices subsidia, jam antea sensim collecta in usum deducta fuere. Quapropter non potuit fieri, quin decretum Tridentinum impelleret, ut tunc et deinceps linguarum orientalium studium omnisque philologiae sacrae disciplina magis excoleretur, variaque alia adminicula, quae ad rectam Bibliorum interpretationem faciunt, uberius perpolirentur. Conf. Ungarellii Praelectiones de N. T. et historia Vulgatae Bibliorum editionis. Romae 1847.

[4]) Qui saeculo XVI. et XVII. integram s. Scripturam aut maximam saltem ipsius partem explanarunt, notari merentur:

Cardinalis Thomas de Vio a Cajeta, urbe patria, vulgo Cajetanus dictus, mortuus 1534., ope Judaei et Christiani, linguarum biblicarum, quas ipse non callebat, peritorum. magnam Bibliorum partem de verbo ad verbum in linguam latinam transtulit, et Commentarium in totam s. Scripturam, excepta Apocalypsi, exaravit, in quo nonnisi sensui lite-

rali inhaesit, a Patribus, quod hunc neglexerint, frequenter recessit, et Vulgatam tanquam minus fidam interpretem saepe ad textum originalem emendavit, quam ob rem Melchior Canus eum graviter reprehendit.

Jacobus Tirinus, Jesuita, mortuus an. 1636., edidit Commentarios in totam s. Scripturam, saepius et saeculo XVIII. adhuc recusos et in germanicum translatos, atque calculis chronologicis et indicibus materiae instructos.

Cornelius a Lapide, Leodiensis, et ipse ex Societate Jesu, Romae anno 1637. mortuus, in universam s. Scripturam V. et N. T. exceptis Psalmis et Jobo commentatus est. Ejus Commentarii, licet multas digressiones dogmaticas ac polemicas nec non interpretationes mysticas justo frequentiores contineant, eruditione, rerum copia, sermonis perspicuitate Catholicis prae caeteris usque ad recentiora tempora probati fuere.

J. Stephanus Menochius, Ticinensis, e Societate Jesu, anno 1655. Romae mortuus, brevi expositione sensus literalis totius s. Scripturae maturum judicium prodidit, et a digressionibus sibi cavit. Edit. emend. comparuit Antv. 1679.

Quod attinet interpretes hujus periodi, qui aut integrum V. vel N. T. aut hujus vel illius partem tantum interpretandam sibi sumserunt, praestantiores quosdam nominasse sufficiat. Ejusmodi sunt:

Jacobus Faber Stapulensis (Jaques le Févre d'Estaples), qui initio saeculi XVI. Commentarios literales in Evangelia, in epistolas Apostolorum, in Psalmos et in Ecclesiasten scripsit.

Gaspar Sanctius, Hispanus e S. J., anno 1628. Madriti mortuus, qui exaravit Commentarios in plerosque libros V. T. et quidem praeter plures historicos in prophetas majores et minores, in Jobum, in Canticum et in Actus Apostolorum, inter quos prae caeteris ille in Jobum doctis probatur.

Hieronymus Pradus et J. Bapt. Villalpandus, pariter e S. J., qui ediderunt in Ezechielem explanationes et apparatum urbis et templi Hierosolymitani, Commentariis et imaginibus illustratum, Romae 1596—1604. III Tomi in fol.

Joannes de Pineda S. J. scripsit Commentarios in Jobum XIII libris, et Thomas le Blanc S. J. in Psalmos Davidicos VI tomis, quorum priores Coloniae 1600., posteriores ibidem 1726. recusi sunt, et pro complemento operis supra laudati Cornelii a Lapide habentur.

Joannes Maldonatus, Hispanus S. J., mortuus an. 1583, qui suis Commentariis in quatuor Evangelistas vix non omnes hujus periodi interpretes superavit. Is enim primum Hebraismos, praesertim difficiliores, bene expedivit, dein sanctorum Patrum interpretationes diligenter allegavit, licet ab his, sicut a Vulgata frequenter recesserit. Pro more aetatis suae etiam controversias theologicas haud raro immiscendas putavit. — Eandem laudem meretur

Guilielmus Estius, priori saeculi XVII. tempore Cancellarius Universitatis Duacensis, qui praeter Adnotationes in praecipua s. Scripturae loca supra commemoratas (§. 213.) etiam in omnes Paulinas et Catholicas epistolas usque ad I. Joan. V. 6. conscripsit Commentarios, cujus laborem prosecutus est et ad finem perduxit Bartholomaeus Petri, Doctor Duacensis. Tum Maldonati tum Estii Commentarios recentissimo tempore denuo recudendos curavit Franciscus Sausen, Moguntiae 1840—1845. Denique.

Bernardus Lamy, Oratorii presbyter, mortuus anno 1715, cujus Commentarius in Harmoniam quatuor Evangelistarum cum apparatu chronologico et geographico prodiit Parisiis 1699.

Porro hac aetate de edendis *symbolis et catenis* graecorum Patrum in quatuor Evangelia meriti sunt Petrus Possinus et Balth. Corderius. Symbolae in Matthaeum prodierunt edent. Petr. Possino et Balth. Corderio Tolos. 1646—1647; catena in Marcum coll. Petr. Possino. Rom. 1673; catena in Lucam illustr. a Balth. Corderio. Antverp. 1628; catena in Joannem ab eodem Antverp. 1630.

Nec defuerunt, qui eadem fere periodo ex omnibus aut praecipuis Commentariis *Collectiones* contexuerunt. Huc referenda sunt *Biblia magna et maxima* auctore Joanne de la Haye, Franciscano. Is primo complurium veterum et recentiorum Commentarios junctim edidit; hinc *Biblia magna* V Tomis Parisiis 1643. comparuerunt. Deinde idem alio opere multo plurium interpretum libros integros edidit, inscripsitque *Biblia maxima*. Parisiis 1660. XIX Tomis formae maximae. Opus posterius, licet longe prolixius, ratione tamen utilitatis priori, in quo meliora ex Commentariis Emanuelis Sa, Menochii, Tirini, Estii et Gagnaei sat apte extracta habentur, postponendum est.

5) Eorum, qui saeculo XVIII. et XIX. sacra Biblia exposuerunt, praestantiores sunt, et quidem ratione integrae s. Scripturae:

August. Calmet, Commentaire litteral sur tous les livres de l'ancien et du nouveau Testament. Paris 1707—1716. XXIII. Tom. in 4. Hoc opus, quod per Dominicum Mansi in linguam latinam translatum et variis in locis saepius recusum est, licet haud pauca ad rem non facientia complectatur, ob amplissimam eruditionem, singularem diligentiam, praecipuum studium sensus literalis et sanum judicium omnium fere eruditorum et ipsorum Protestantium suffragia tulit. Conf. Ed. Reuss, Geschichte der heil. Schriften. Halle 1842. pag. 247.

Thomas de la Fossée, qui Commentationem in Biblia ab Isaaco Ludovico le Maître de Sacy, anno 1684. mortuo, coeptam ad finem perduxit, et anno 1715. IV Volum. edidit. Quod opus, notis literalibus, sed multo pluribus moralibus instructum, in quo etiam multae interpretationes allegoricae exhibentur, a Benedictinis quibusdam Banzensibus ex gallico sermone in germanicum translatum ab anno 1787—1793. XII Tomis in 8. cum inscriptione prodiit: Die heilige Schrift sammt der Erklärung nach dem buchstäblichen und geistlichen Verstande aus den

heiligen Vätern und andern bewährten Schriftstellern gezogen. Eundem Commentarium, quatenus est in libros N. T., aliorum interpretum explicationibus et propriis adnotationibus locupletatum, usui Concionatorum et Catechetarum accomodatum, et approbatione Ordinarii Ratisbonensis munitum denuo edidit Franz Xav. Massl sub titulo: Erklärung der heil. Schriften des N. T. Straubingae et Ratisb. 1831 — 1849. XIII Tomi.

Henricus Braun, Canonicus Monachiensis, qui postquam jam anno 1786. s. Scripturam V. et N. T. ex Vulgata in idioma germanicum translatam et brevibus annotationibus pro indoctis instructam edidisset, inde ab anno 1788. Augustae Vind. majus opus biblicum, XIII tomis in 8. comprehensum publicavit, inscriptum: Die göttliche heilige Schrift des A. und N. T. in lateinischer und deutscher Sprache, durchaus mit Erklärungen nach dem Sinne der heiligen römisch-katholischen Kirche, der heiligen Kirchenväter und der berühmtesten katholischen Schriftsteller, nebst eigenen Bemerkungen. Editio secunda a M. Feder, Norimbergae 1803. Haec Bibliorum explanatio ad pietatis sensum in lectoribus excitandum praecipue inserviet. — Plus eruditionis complectitur opus biblicum

Dominici Brentano, Canonici Campodunensis, qui annis 1790. et 1791. edidit: Die heilige Schrift des Neuen Testamentes, quod opus tribus tomis in 8. comprehensum praeter versionem e textu graeco factum, paraphrasim supra §. 211. nota 1. et 2. laudatam et notas explicantes ac morales continet. Idem ab anno 1797. Pentateuchum et alios quosdam V. T. libros pariter ex textu originali in linguam germanicam transtulit. Post ejus mortem Thaddaeus A. Dereser opus illud eadem methodo, at ratione versionis ac notarum praestantius continuavit, et J. M. Augustinus Scholz ad finem perduxit. Totum opus a Deresero et Scholzio emendatius editum Francofurti 1820—1835. V. et N. T. XVII tomis comprehendit, et ratione versionis, et paraphraseos N. F. a Brentano profectae, nec non Commentarii ob eruditionem et sana interpretationis principia plerumque rite applicata merito laudatur.

Praeter Commentarios in totam s. Scripturam saeculo XVIII. et XIX. plurimae expositiones prodierunt, quae aut integro V. vel N. T., vel singulis libris sacris explicandis occupantur. Notatu digniores sunt:

Daniel Tobenz, Canonicus reg. Claustroneoburgensis, qui edidit Commentarium in s. Scripturam N. T. pro animarum curatoribus elucubratum, Vindobonae 1804—1806. II Tomi in 4.

Bonifacius Mart. Schnappinger integrum N. T. in idioma germanicum vertit et notis illustravit, annis 1797—1801. Editio III. Manhemii 1817. IV. Graecii 1818. IV tomis comparuit. Idem fecit J. H. Kistemaker, qui Monasterii 1818. edidit: Die heiligen Schriften des neuen Testamentes, übersetzt und erklärt. Editio II. ibid. 1825 — 1826. VII tomis. Uterque praeter notas exegeticas plurimas observationes dogmaticas et morales subministrat, et propterea inprimis sacris curionibus commendandus est.

Inter plurimos, qui singulos tantum s. Scripturae libros dilucidarunt, praecipue commemorandi videntur:

Bernardinus a Piconio (Piquigny) Minorita, Capucinus, qui scripsit Epistolarum B. Pauli Apostoli triplicem expositionem, i. e. „Analysi, Paraphrasi, Commentario" constantem, Parisiis 1703., opus a viris doctis magnis laudibus celebratum. Nova editio prodiit Vesontione et Parisiis 1847, quae etiam Oeniponti apud Bibliopolam Wagner praesto est. Antonius Vogt, cujus Commentarium in Evangelia et s. Pauli epistolas, post mortem auctoris recognitum, emendatum atque in locis quam plurimis auctum eddidit Daniel Christoph. Ries, Moguntiae 1790 sqq. — Petrus Fourerius Ackermann, Canonicus reg. Claustroneoburgensis, qui Prophetas minores perpetua annotatione illustravit, Viennae 1830. J. Leonard. Hug, Das hohe Lied in einer noch unversuchten Deutung, Freiburg 1813. et: Schutzschrift für dessen Deutung, und weitere Erklärung, ibid. 1815. J H. Kistemaker, Canticum Canticorum illustratum ex hierographia Orientalium: Monast. 1818. Henr. Klee, Commentar über das Evangelium nach Johannes, Moguntiae 1829.; über das Sendschreiben an die Hebräer, ibidem 1833. Mart. Jos. Mack, Commentar über die Pastoralbriefe des Apostel Paulus, Tübig. 1836, qui inprimis laudatur. — Dr. Frid. Windischmann, Erklärung des Briefes an die Galater. Mainz 1843. Conradus Lomb, Commentarius in divi Pauli Ap. ep. ad Hebraeos. Ratisbonae 1843. Dr. Adalbert Maier, Commentar über das Evangelium des Johannes, II Bde. Freiburg 1843. 1845; über den Brief an die Römer. 1847. — Jos. Schetta Bohuslav edidit Oeniponti 1847. Praelectiones (Commentarium) in Evangelium s. Matthaei, quae ob contextum et locos parallelos recte in subsidium vocatos tironibus exemplo esse possunt.

[6]) Ad interpretes Catholicos justo liberiores hujus temporis merito referendi sunt: Richardus Simon, cujus versio gallica N. T. anno 1702. IV tomis emissa, cum a Vulgata nonnumquam recesserit, et plures locos ita reddiderit, ut eorum vis probandi doctrinas catholicas enervata esset, ab Archiepiscopo Parisiensi Noaillio damnata fuit. Dein J. Laurentius Isenbiehl, presbyter Archidioecesis Moguntinae, ab anno 1773. liguarum orientalium et exegeseos in Universitate Moguntina professor, qui locum Jsaiae Prophetae VII, 14. „*Ecce virgo concipiet et pariet filium*" non de Beata Maria Virgine et Salvatore ab ea concipiendo et pariendo, sed de alia quadam virgine, regi Achazo nota, et forte, cum Propheta coram eo loqueretur, praesente explicavit, Matthaei vero citatum I, 23. ex accommodationis ratione salvare conatus est. Quae interpretatio, cum postea etiam typis impressa fuisset, non solum a pluribus Universitatibus et singulis Theologis impugnata, sed etiam Bulla summi Pontificis anno 1779. edita damnata fuit. Non minus hac periodo translationes germanicae in lucem prodierunt ad principia sensui catholico minus consentanea elucubrata. Ejusmodi erat, ut alios taceam, editio I. Dominici a Brentano, ita comparata, ut auctor ipse jam in praefa-

tione ad edit. II. 1792. sibi quaedam retractanda et emendanda fuisse fateatur. — Nec mirum est, eo tempore ejusmodi liberiores Catholicorum interpretationes prodiisse, cum generatim etiam inter illos, praesertim inde ab altero saeculi XVIII. dimidio principia hermeneutica liberiora invaluissent. Quo spectat inprimis principium a recentioribus Protestantibus statutum (conf. infra §. 238. nota 2.) Biblia non secus, ac quemcumque alium librum humanae originis interpretanda esse. Vide Joan. Jahn, Enchiridion Hermeneut. p. 96 — 100. Dein pariter a Protestantibus primum adoptatum sequebantur principium accommodationis dogmaticae ad tenues et erroneas Judaeorum opiniones (conf. §. 120. not. 1.), cujus rei exemplum habes in Jahnii Archaeologia biblica germanice edita ab anno 1796 sqq. et in ejusdem opere posthumo: Nachträge zu seinen theologischen Werken, Tübingen 1821. ratione Daemoniacorum N. T. Denique hoc loco commemoranda est omnis sensus mystici repudiatio, cui etiam Catholicorum quidam consenserunt. Conf. 194. not. 1.

7) Majorem curam interpretum catholicorum recentissimae aetatis ad leges quoque interpretationis s. Scripturae peculiares attendendi, eorum scripta hermeneutica, versiones et Commentarii suo loco recensiti comprobant.

§. 238.

II. ACATHOLICORUM INTERPRETATIO.

Licet antiquiores Protestantes sacra Biblia, a reformationis auctoribus pro unica credendorum et agendorum norma statuta, maximi facerent, fidem de divina illorum origine sancte custodientes; quia tamen spreta Ecclesiae catholicae auctoritate summam cuilibet in illis scrutandis ac exponendis libertatem concedendam putabant, fieri non potuit, quin mox inter illos gravissimae, eaeque in praecipuis novae doctrinae capitibus controversiae enascerentur [1]. Quam ob rem jam sub finem saeculi XVI. Protestantium, qui reformatores secuti fuerant, Theologi, quibus conformitas et stabilitas novae doctrinae cordi erat, necessarium esse existimarunt, ut remedia providerentur, quibus dissidia in religionis negotio jam exorta compescerentur, et deinceps enascitura impedirentur. Quem in finem *symbolicos*, ut vocant, *libros*, qui fundamentalia novae doctrinae capita, ut quaeque privata singulorum reformatorum intelligentia e sacris literis hausta fuerant, continebant, ea auctoritate induerunt, ut basis essent, cui religiosae, in quas Acatholici derelicta Ecclesia catholica discesserant, societates innixae communi fidei confessione inter se cohaererent. Quia vero conformis et stabilis fidei confessio, e s. Scriptura qua unico et

pleno fonte derivata et libris symbolicis consignata cum illimitata s. Scripturam interpretandi libertate a reformatoribus cuivis concessa stare non poterat, Protestantium, Lutheranorum inprimis, doctores mox opus esse intellexerunt, ut exegesis biblica symbolis Ecclesiae subjiceretur, atque suarum partium interpretes ad ea respicere tenerentur. Quae interpretationis norma, conjuncta cum fide divinae originis s. Scripturae, quamdiu duravit, effecit, ut Acatholicorum exegesis cum quadam circumspectione ac moderatione procederet, nec omnem sensum mysticum repudiaret, et generatim longe aliena esset ab ea audacia omnem modum excedente, quae recentiori aevo inter illos invaluit.

At altero saeculi XVIII. dimidio nova inter Protestantes ratione interpretationis biblicae coepit epocha. Cum enim hoc tempore singulari studio auctores classici colerentur, et ad eos interpretandos regulae hermeneuticae statuerentur, principia, quibus haec interpretatio profana regi solebat, etiam ad explicandos libros sacros transferebantur, posito principio generali: Scripturam sicut quemvis alium librum tractandam ac exponendam, et proin nullam plane sublimioris ejus indolis ac fidei Ecclesiae rationem esse habendam. Nova interpretandi schola inde orta, quam *grammatico-historicam* quasi per eminentiam, utpote a subsidiis hermeneuticis altioris ordinis liberam dicebant, licet ex una parte haud parum utilitatis praestiterit, quod ad studium Hermeneuticae universalis excitaret, eamque ad interpretationem biblicam applicare doceret, ex altera tamen parte plurimum nocuit, quod illis solum interpretandi legibus, quae exegesi biblicae cum profana communes sunt, insistens s. Scripturam divina, quae ei peculiaris est, indole ac sanctitate exueret, eam sensim sua efficacia privaret, et rejecta quavis auctoritate in exegesin biblicam tantam quidlibet audendi licentiam introduceret, ut eliminata omni doctrina revelata in Bibliis nonnisi quaedam incerta religionis naturalis placita remanerent[a]), cordatiores Protestantium doctores, qui hanc indignam s. Scripturae tractationem, qua ad literas mere profanas devocabatur, improbabant, ut huic abusui interpretationis grammatico-historicae mederentur, in alterum extremum devenerunt, quod ubique nonnisi Scripturae spiritum quaerentes, illam interpretationem negligerent aut plane repudiarent, arbitraria interpretandi ratione

mystico-allegorica, quam vario modo recoxerant, substituta. Quo factum est, ut eorum expositiones spirituales speciosis quidem verbis exornatae, at fundamento grammatico-historico destitutae, non essent, nisi inania somnia et figmenta, quae nulli sano rerum aestimatori arridere possunt.

Utraque interpretatio a suis asseclis diverso modo exculta fuit, dum alii grammatico-historicam, alii mystico-allegoricam aut moderarent, aut longius, imo usque ad extremas partes extenderent, alii alteram cum altera ratione minus apta conciliare conarentur[1]). Recentissima aetate inter Acatholicos extitisse, qui, cum exegesis, qua confessionis suae sectatores in diversas partes distractos viderent, ipsis non satisfaceret, ad methodum veterum et usum sanctorum Patrum reverterentur, alio loco videbimus[2]). Hoc loco notiores, quas Protestantes excoluerunt, interpretandi rationes plus minusve a recto tramite alienas paucis recensere ac dijudicare juvat. Ad finem potiores illorum interpretes subjiciemus, et cautelas in iisdem usurpandis observandas assignabimus.

[1]) Profecto illimitata s. Scripturam interpretandi libertate factum est, ut jam reformatores ipsi eorumque primi sectatores in perpetuo inter se conflictu essent, et quidem circa praecipuos doctrinae articulos, quo spectant dogmata de Christi praesentia in Eucharistia, de baptismo infantium, de justificatione, praedestinatione aliisque non paucis.

[2]) Inde a tempore, quo singularum Ecclesiarum confessiones libris symbolicis stabilitae fuerunt, usque ad alterum saeculi XVIII. dimidium omnes fere Protestantium doctores uno ore profitebantur, Biblia esse divinae originis, et interpretem Ecclesiae fide teneri. Caeteris ferventiores hac in re erant theologi Jenenses, inter quos Joh. Gerhard, Loc. theol. Francof. et Jen. 1610 — 22. Tom. II. p. 422 sqq. septem canones de interpretatione s. Script. proposuit, quorum sequentes adducere juvat:

II. Omnis Scripturae interpretatio debet esse fidei analoga.

VII. In Scripturae interpretatione tum veterum, tum recentiorum Ecclesiae doctorum laboribus grata mente uti et possumus et debemus.

Ast aliquot annis post medium saeculum XVIII. extiterunt duo viri, quorum scriptis magna ratione interpretationis biblicae mutatio adducta est.

Alter erat Jo. Aug. Ernesti, qui sua institutione interpretis N. T. anno 1761. primum edita grammaticam potissimum interpretationem commendavit, statuens sensum in divinis libris non alio modo neque quaerendum neque confirmandum esse quam in humanis, licet caeterum

sublimiorem Scripturae indolem et analogiam fidei superioris aetatis, diversa tamen ratione restrictam adhuc respiceret.

Alter, Jo. Sal. Semler, ulterius progressus historicam interpretationem adeo promovit, ut omnia ex adjunctis historicis et opinionibus Judaeorum aetatis biblicae explicanda esse statueret, Jesu et Apostolis accommodatione dogmatica imputata et analogia fidei ab interpretatione Scripturae penitus exclusa. Praecipua ejus Scripta, quae huc pertinent, sunt: Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem. Halae 1776. Item, Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem. Ibid. 1773. Dein: Vorbereitung zur theologischen Hermeneutik. Ibid. 1760—1769. Denique: Abhandlung von freier Untersuchung des Kanons. Ibid. 1771—1774., et alia. Eum secutus est J. Gottfr. Eichhorn, ita ut magistrum discipulus superaret, dum, quae Semlero verbis tegere adhuc opus esse videbantur, ea palam proferret, ac magna cum libertate proponeret. Id fecit in operibus: Einleitung ins A. T. Lips. 1780—1783.; Einleitung in die apocryphischen Schriften des A. T. ibid. 1795. et: Einleitung in das N. T. ibidem 1804—1814. Eandem viam ingressi sunt plures, qui principia Semleriana magis magisque excoluerunt, inter quos praeprimis G. L. Bauer, qui primus Hermeneuticam s. V. T. solius conscripsit, Lips. 1797.; Th. Guil. Mayer, qui edidit: Versuch einer Hermeneutik des A. T. Lübeck 1799 et alii. Conf. Augusti, Einleitung p. 28 sqq. 53 sqq.

[3]) Conatum interpretum acatholicorum, pravis consectariis interpretationis grammatico-historicae ad sublimiorem sacrarum literarum indolem plane non attendentis varia ratione occurendi vides infra apud recentiores mysticos, imo etiam apud sectatores interpretationis moralis et panharmonicae §§. 244—246. Confer quoque Augusti op. cit. §. 103. 318—321.

[4]) Exempla interpretum acatholicorum, qui recentissimo tempore ad interpretandi rationem veterum et usum ss. Patrum recurrendum esse existimarunt, invenis infra §. 247., ubi opera Acatholicorum recensentur.

§. 239. Interpretatio rationalistica.

Ut jam praecipuas, quibus Acatholici utuntur, perversas interpretandi rationes singillatim recenseamus, eas praemittimus, quae methodum grammatico-historicam ultra modum extendunt, illas vero subjungemus, quae magis directionem mystico-allegoricam sequuntur, vel hanc cum ista plus minusve conjungere et moderare student. Ad priorem classem primum interpretatio, quam *rationalisticam* vocant, referenda videtur.

Equidem hoc nomine, si significatu latiori accipitur, interpretatio Acatholicorum generatim nuncupari potest, utpote quae rejecta omni auctoritate solius cujusvis interpretis intelligentiam, nempe ipsius rationem vel phantasiam sequitur. Imo ita accepta est supremum erronearum, quibus Acatholici adstipu-

lantur, interpretandi rationum genus, cujus reliquae nonnisi diversae species seu immutationes sunt, et ex ipso primario Protestantismi principio prodit, quo s. Scripturae unica fidei norma statuitur, ad quam interpretandam insuper summa cuivis libertas a reformatoribus concessa est [1]). Et licet Protestantium interpretibus mox post reformationem per fidem suae Ecclesiae, libris symbolicis consignatam, aliquod frenum injectum fuerit, quo, quamdiu ad illam respiciendum existimarunt, a gravioribus, quibus ratio humana sibi soli relicta obnoxia est, excessibus munirentur, quia tamen haec fides ipsa rationi humanae tantum innitebatur, utpote privata Theologorum, qui Symbola conficiebant, intelligentia e sacris literis desumta; patet, Acatholicorum interpretationem ne tunc quidem, quando ad confessionis suae fidem respiciunt, a rationalismo penitus liberam esse [2]).

Ast hoc loco interpretatio rationalistica, significatu strictiori accepta, perstringenda est, per quam eam sacras literas tractandi et exponendi rationem intelligimus, quae recentiori tempore orta libros sacros cum profanis ejusdem generis esse vult, et in iis explicandis non solum fidei analogiam et Ecclesiae Symbola repudiat, sed etiam cuncta, quae complectuntur, seclusa omni immediata Dei actione, revelatione ac inspiratione ad solius rationis humanae captum ita exigit, ut quae hunc superant, puta mysteria, miracula et vaticinia, paucis quidquid supernaturale redolet, aut plane eliminet, aut modo naturali, adhibitis etiam, ubi opus fuerit, artificiis criticis vel exegeticis interpretetur.

Quantopere reprobanda sit ejusmodi s. Scripturam exponendi methodus, facile patet, quia per eam pia, quae sacris utriusque foederis documentis scriptis eorumque auctoribus debetur, et inde ab illorum origine per plurima saecula a cultissimis orbis terrarum nationibus exhibita est, veneratio plane evertitur, verbis loquentium non is, quem intenderunt, sed qui praeconceptis rationalistarum opinionibus respondet, sensus tribuitur, imo obtruditur, quod profecto primariis sanae Hermeneuticae legibus e diametro adversatur, et denique omnem positivam religionem e s. Scriptura exturbat [3]).

[1]) Confer supra §. 236. not. 2. et 3.

[2]) Conf. dicta §. 238. nota 2. collatis, quae de auctoritate analogiae fidei generatim acceptae §. 158. in nota, et §. 170. not. 2. monuimus.

[3]) Indolem hujus interpretandi rationis et pessima consectaria, quae Protestantismo ipsi inde parantur, Protestantium cordatiores satis perspecta habent et deplorant. Sic I. A. Fessler in opere supra (§. 237. not. 2.) citato, Tom. III. p. 99. haec scribit: „Die Freiheit der Schriftbehandlung war nicht mehr zu begrenzen, nachdem Semler seinen Grundsatz von der Perfectibilität der *göttlichen* Offenbarung in ihrem Inhalte *durch Menschen* gelehrt, und die Adoption desselben die Geburt einer neuen Theologie begonnen hatte. Das künstlich erzeugte Kind führte in seiner Entstehung den Namen: *rein biblische Theologie* und gab sich alle erdenkliche Mühe, seine wunderbare Gestalt in der heiligen Schrift abzudrücken und sie hernach als das unverkennbare Urbild der Bibel zur gefälligen Aufnahme darzustellen. In seinem Jünglingsalter hiess es *Exegese*, und es beschäftigte sich in seinem kräftigsten Muthwillen damit, aus der heiligen Urkunde des Kirchenglaubens mit der Fackel einer weltweisen Kritik ein Wunder nach dem andern, jetzt dieses kirchliche Dogma, und dann ein anderes wegzubrennen. Gegenwärtig steht der Mann als *Rationalismus* in seiner vollen Kraft da, im innigen Bunde mit der Weltweisheit, frei und muthig kämpfend gegen Bibel und kirchliches Dogmen-System, mit kühner Hand die evangelische Kirche zu demjenigen Ziele hinleitend, welches ihre berühmtesten Repräsentanten im fleissigen Gebrauch ihrer Lehrfreiheit bereits aufgesteckt haben. Sie wird nun fortfahren, die Offenbarungs- und Inspirationslehre, das Glaubensgeheimniss der Dreieinigkeit, die übernatürliche Heilsordnung, das Versöhnungswerk Jesu, die geistliche Wiedergeburt der Menschen durch die Gnade, die Auferstehung der Todten etc. noch eine Weile nach den Ansichten der Weltweisheit *aufzuklären*, und sich sodann ganz in die Arme derselben werfen müssen, um wenigstens in der Form einer *reinen Moral-Schule* fortzudauern."

Exempla interpretationis rationalisticae in biblicis recentiorum Protestantium Commentariis frequentissima occurrunt; unum adduxisse sufficiat. Joannes II, 1 — 11. narrat, Jesum, cum Canae Galilaeae una cum matre et discipulis suis convivio nuptiali interesset, aquam in vinum convertisse. Usus loquendi, omnis orationis complexus et contextus, diserta denique ipsius auctoris inspirati declaratio eum miraculum enarrare voluisse, sat evidenter docent. Quapropter si nihilominus factum narratum non qua miraculum, sed qua singulare humanitatis specimen exponitur, qua ductus Jesus ad minuendam patris familias inopiam atque angustiam nocturno tempore, insciis convivis, clam per apparitores largam vini copiam apparasset, profecto hujusmodi violenta explicatio non sanae Hermeneuticae regulis, sed rationalismi studio attribuenda est. Conf. §. 201. not. 7.

§. 240. Interpretatio psychologica.

Non minus libera atque perversa est ea, quam Dr. Henr. Eberh. Gottl. Paulus invexit atque excoluit, interpretatio,

quae ad miracula in historia evangelica occurrentia expungenda legibus psychologiae abutitur, propterea *psychologica* dicta [1]).

Equidem haec interpretatio veritatem historicam factorum prodigiosorum, quae Evangelistae ita referunt, ut manifestum sit, eos miracula narrare velle, tueri videtur; at ea per leges psychologicas ita explicare conatur, ac si plane naturali modo evenissent. Quem in finem, qui hanc interpretandi methodum sequuntur, innixi arbitrariis conjecturis, additis etiam, ubi opus fuerit, aut immutatis absque justa ratione, imo invito textu variis adjunctis, loquentem vel eum, ad quem eventus narratus spectat, ita animo affectum fuisse fingunt, ut, quae ipsi contingebant, prodigiosa esse putaret, licet reapse non essent, nisi effectus illius animi status, quo tunc occupatus erat. Quare ejusmodi narrationem ad leges psychologiae exigendam esse volunt eo fine, ut intelligatur, rem narratam non revera, sed in imaginatione solum loquentis vel ejus, de quo agitur, miraculosam esse [2]).

Quam vitiosa sit haec interpretandi ratio, nemo rerum peritus non videt, cum textui sacro vim inferat, et historiam evangelicam pervertat, miraculis, quae ei ex certis Hermeneuticae legibus inesse cognoscuntur, pro libitu effervescentis cerebri figmenta substituens. Hinc mirum non est, quod Dr. Paulus, auctor hujus interpretandi methodi, non solum a Catholicis vehementer impugnatus fuerit, sed Protestantes quoque caeteris moderatiores acerbius in eum inveherentur [3]).

[1]) Praecipua opera, in quibus Paulus Heidelbergensis hanc pravam sacras literas ad sensus rationalismi detorquendi methodum exercet, sunt: Philologisch-kritischer und historischer Commentar über das N. T. Edit. II. Lübeck 1804 — 1805. IV Tomi. Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien. Heidelb. 1830. III Tomi. Das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristenthums. Heidelb. 1828. II Tomi. Hanc suam psychologicam interpretandi rationem Paulus ipse his verbis declarat atque commendat: „Diese Ansicht ziehet uns aus dem Felde des Unglaublichen auf das Gebiet der Seelenlehre zurück, ohne dass der Neigung, was als Factum umständlich erzählt wird, auch als solches zu deuten, Gewalt geschähe. Ist doch das Meiste, was der Mensch Thatsache nennt, inneres Factum,'' Comment. T. I. p. 20. — Quodsi vero hanc psychologicam, quam Dr. Heidelbergensis ad historiam evangelicam pervertendam adhibebat, interpretandi methodum vehementer reprobamus, consideratis tamen, quae §. 83. de contextu psychologico et §. 123. not. 4. de affectu cognoscendo diximus, psychologiam rite applicatam interpretationis biblicae subsidium esse, minime negamus.

[2]) Juvat exemplum hujus expositionis psychologicae adferre ex Commentario citato in Lucam I, 5 — 25. de apparitione et colloquio genii coelestis cum Zacharia, ubi Dr. Paulus narrationem Evangelistae sequenti modo in suos sensus detorquet: Sistit Zachariam, qui jam dudum frustra sibi optaverat filium, enixis precibus plenum et variis adjunctis ad animum commovendum valde aptis adeo occupatum, ut extra se raptus genium coelestem, nuntium exoptatum afferentem, se conspicere opinaretur. Correptus ecstasi cogitationes in animo subortas voces angeli esse credit, eique respondet. Hac ratione Dr. Paulus angeli apparitionem ejusque nuntium, quae ab Evangelista referuntur, in summa rei ad lusum phantasiae, et colloquium Zachariae cum semet ipso habitum ad sui ipsius deceptionem revocat. Defectus loquelae, quo juxta textum sacrum Zacharias ab angelo punitus fuit, ei non est nisi silentium voluntarium, quod vir religiosus sibi ipse in poenam imposuerit, cum reputaret, se sua fluctuatione inter spem et metum, fiduciam et dubitationem peccasse. Quam arbitraria et primis sanae Hermeneuticae principiis adversa haec sint, in promtu est.

[3]) Praecipui, qui inter Catholicos hanc interpretandi rationem impugnarunt, sunt: Al. Sandbichler, Eine Stimme des Rufenden in der Wüste, oder Bemerkungen zu dem philologisch-krit. und histor. Commentar über das N. T. von Herrn H. E. G. Paulus. I. Heft, Linz 1805. II. Heft, München 1811. III. und IV. Heft, Salzburg 1814. 1816; et J. L. Hug, qui (Zeitschrift für d. Geistl. Freiburg 1828. II. Heft, p. 91 sqq. III. Heft, p. 158 sqq. VII. Heft. p. 115 sqq.) docet, quam arbitraria sit haec methodus, quantisque contradictionibus involvatur. Confer etiam: Handbuch der christlichen Kirchengeschichte von Dr. J. N. Hortig, fortgesetzt und beendigt von Dr. J. J. Ig. Doellinger, Landshut 1828. Tom. II. Sect. II. pag. 937 sqq. — E Protestantium numero magni nominis viri huic methodo totis viribus adversantur. Sic C. F. A. Fritzsche in Comment. in Matth. Lips. 1826. p. 332. ad Cap. VIII. 28 — 34. scribit: „Eorum portenta, qui hoc miraculum sibi credibilius reddere annixi sunt, reticeo, quae ejusmodi sunt, ut non homines, qui Matthaeum interpretentur, sed histriones, qui suam quamdam fabulam doceant, audire tibi videare." Item p. 505. ad Cap. XIV. 13. sqq.: „Frustra sunt, qui miraculorum impatientes haec loca in omnes partes versant, ut emergat res, quae ipsis fieri potuisse videatur. Quae ratio omni est destituta fundamento, — quum grammaticas linguae leges, quod eos pudere oporteat, violarent, tum suas quasdam narrationes componerent, non Evangelistarum explanarent, ut hoc loco fecisse videmus Paulum, contra quem non est, ut fusius disputem." A. Tholuk vero (Literar. Anzeiger, Halle 1836. p. 11.) haec habet: Diese Methode vollendet sich in demselben Manne, in dem sie sich endet, und sogar begraben wird, in Doctor Paulus." Mittimus alios.

§. 241. Interpretatio mythica.

Interpretationem mythicam, quae longius adhuc in libera interpretandi ratione progreditur, narrationes V. et N. T. charactere

historico, si ita nobis dicere licet, plane exuendo, recentiori tempore introducere, haud pauci conati sunt, statuentes, plures factorum biblicorum relationes non esse, nisi vel involucra doctrinarum philosophicarum, physicarum et moralium, (eo fere modo, quo *Stoici* et postea alii philosophi antiqui, e studio nimirum excusandi absurditates mythologicas, alium, quam quem litera prae se fert, sensum mythologicis narrationibus subesse alucinati sunt), vel monstrosas fabulas, in quas simplicia facta per ora hominum tradita successu temporis abierint. Utrumque dicendi genus dicunt *mythicum*.

Mythi itaque non sunt, nisi *narrationes, quas aut ingenium scriptoris qua veritatis involucra effinxit, aut traditio in portenta convertit.* Priores, qui etiam *philosophemata* audiunt, in *mythos philosophicos* et *historicos* dividunt, prout nempe ad ideam repraesentandam aut ad factum vel statum explicandum fuerint effictae [1]).

Licet jam ejusmodi mythos sacris literis attribuere, adeo absurdum sit, ut mythica eas interpretandi ratio nulli sano rerum aestimatori arridere possit, quia tamen inter Acatholicos haud obscuri nominis patronos habet, et nuperrime eo processit, ut totam historiam evangelicam in fabulam romanensem convertere tentaret [2]), minime a nostro munere alienum esse videtur, in maturius rei examen descendere, quo facilius intelligatur, mythicae interpretationi in sacris literis exponendis locum dari minime licere, sive duplex commemoratum mythice dicendi genus generatim consideretur, sive ad praecipuas mythorum species singulatim respiciatur.

[1]) *Mythus philosophicus* esset, si Phaëton, currum solarem male regens, nonnisi cautae prudentiae specimen praebere nobis diceretur, ne nimia audeamus; aut si cui per narrationem diluvii et eversionis vallis Siddim solummodo doctrina de justitia Dei punitiva repraesentata videretur, quin eventus ipsi unquam contigerint; aut si narratio jejunii et tentationis Jesu inventa poneretur ab iis, qui existimabant, notionem Messiae ad exemplum Mosis et Eliae tale vitae publicae initium postulare. *Mythus historicus* vero esset, si narratio de *Tereo*, ejusque uxore *Procne*, in hirundinem conversa (Ovidii Metamorph. lib. VI.) explicaret tantum, cur hirundines in hominum domibus nidos construere soleant; aut si seductio primorum parentum per serpentem tandummodo ad explicandam naturae humanae corruptelam excogitata diceretur. Porro hujus generis mythus esset, quo laudata narratio jejunii et tentationis Jesu inventa esset ab iis, qui inquirerent, qui factum sit, ut Jesus per quadraginta dies in deserto commoraretur, antequam doctoris partes susciperet.

[2]) Postquam consiliarius aulicus Hayne in Comment. in Apollodor. P. III., pag. 923. Göttingae 1783. statuerat, omnem historiam prodire ex mytho, et propterea narrationes antiquitatis involucro mythico exuendas esse, ut si quae vere historica subsint, retegantur, alii hanc sententiam, primum pro explicanda antiquissima Graecorum historia in medium prolatam, mox ad primos Hebraeorum libros interpretandos transtulerunt. Licet ei viri docti, uti Herder (Aelteste Urkunde des Menschengeschlechtes. Sämmtliche Werke, zur Religion und Theologie. Stuttg. und Tübing. 1827. V. Th. p. 98. VI. Th. p. 19.), antistes Hess (Bibliothek der heil. Geschichte, II. B. p. 152 — 254. Zürich 1792.), aliique adversarentur, et mythos in s. Scriptura minime admittendos esse accurate demonstrarent, conatus tamen mythicam interpretandi rationem in Biblia non solum V. sed etiam N. T. introducendi continuo redierunt. Praecipui hujus interpretationis fautores fuerunt: J. G. Eichhorn in operibus: Repertorium der bibl. und morgenl. Literatur, Leipzig 1777 — 1786. XVIII Theile; Allgem. Bibliothek der bibl. Literatur, Leipz. 1787 — 1801. X Tomi, et Einleitung in das A. T. Edit. IV. Götting. 1823 — 1824. V Tomi; G. L. Bauer, Hebräische Mythologie des A. u. N. T. Leipz. 1802. P. Bohlen, Die Genesis, historisch-kritisch erläutert, Königsberg 1835. Nuperrime Dr. D. Fr. Strauss, omnem modum excessit, qui in opere suo: Das Leben Jesu, kritisch bearbeitet, Tübing. Edit. II. 1837., ut ipse profitetur Tom. I. p. X., interpretationem mythicam non tantum ad singulas, sed ad omnes historiae evangelicae partes applicare conatus est.

§. 242. Cui in s. Scriptura non potest dari locus, sive

a) *mythicum dicendi genus generatim consideratur.*

Quodsi jam duo commemorata mythica dicendi genera generatim consideramus, facile intelligemus, ea s. Scripturae minime esse attribuenda. Prius quod attinet, licet negari nequeat, historiam, qua vitae magistram locupletissimum suppeditare utilissimarum veritatum et doctrinarum thesaurum, minime tamen concedimus, facta biblica mythice esse interpretanda ita, ut non vera facta historica, sed tantum involucra alterius veritatis ab auctoribus efficta esse dicantur. Nam

1. per se patet, ad summum possibilitatem quandam hujus mythici dicendi generis adstrui posse, a qua ad ejus veritatem non licet concludere, nisi graves rationes, quales pro imaginibus, typis et symbolis biblicis assumendis prostant, facta, quae mythica esse praetenduntur, revera ita accipienda esse, manifesto suadeant. Tales autem rationes desunt.

2. Si ad profanas et mythologicas narrationes provocant statuentes, narrationes biblicas more illarum non esse, nisi involucra diversarum doctrinarum, sat infirma argumentantur ratione, quia minime constat, illas narrationes primitus eum in finem, ut sublimiorum veritatum signa sint, fuisse excogitatas, eum potius posteriore tempore, ut observatum est, studio eas ab absurditatibus purgandi ejusmodi explicationem sint nactae. Dein jam dicendi ratio s. Scripturae, quae brevitatem et simplicitatem sine omni fuco sectatur, atque consilium introducendi et conservandi veram religionem (§. 133.) eam cum gentilium mythologia in eundem cumulum referri non patiuntur, imo aperte notam factorum biblicorum mythicam respuunt. Denique

3. si plurima facta, quae in s. Scriptura occurrunt, veris factis accensentur, quia ab auctoribus qua talia referunter, quo jure asseritur, alia ab ipsis eodem modo narrata mythica esse, licet cum illis arctissime cohaereant, et sine omni mutati consilii indicio narrentur?

Ratione alterius mythorum generis, quos in adulteratis factorum narrationibus ore traditis reponunt, Introductionis in s. Scripturam provincia est, fidem ipsius historicam probare, et contra dubia defendere. Hic pauca in hunc finem adnotasse sufficiat.

Si ex *analogia cum historia profana*, quae teste Varrone apud antiquas nationes in tres aetates, nempe *aetatem obscuram*, quo nomine appellabatur antiquissima, *mythicam*, quae illi successit, et falsa admixta veris refert, et *historicam* dispescitur, historiam sacram ejusdem cum illa indolis esse autumant, non tantum minus recta argumentandi ratione utuntur, sed praeterea, ad ingens, quod sacram inter et profanam historiam ratione materiae et formae intercedit discrimen, non attendunt. Id enim tale est, ut qui tum res narratas, tum narrandi rationem s. Scripturae cum antiquissimis aliarum gentium relationibus vel obiter comparaverit, non possit non videre, illas ab his adeo discrepare, ut aetas obscura et mythica s. Scripturae minime conveniat, sed in eà omnia historica habenda sint. Ita in Hebraeorum libris, qui licet ratione aetatis multo priores, quam aliarum nationum libri, non a polytheismo, uberrimo mythorum et fabularum fonte ordiuntur, non occurrunt Dearum Deorumque connubia, adulteria atque

obscoena non solum inter se et cum hominibus utriusque sexus, sed etiam cum pecudibus habita commercia; nec in iis Deorum bella et seditiones narrantur, nec homines in aves et lupos, lapides in homines, dentes in exercitum conversi referuntur. In illis occurrit potius purissima unius Dei cognitio, qui semper a creaturis in immensum distinguitur, ubivis spiritualis, sapiens et sanctus sistitur; miracula biblica semper Deo dignissima existunt, cum nunquam non ad conservationem et propagationem cognitionis et cultus veri Dei inter homines patrata, et in hunc finem necessaria esse intelligantur.

Nec minus conformatio et propagatio narrationum biblicarum ea esse deprehenditur, ut manifestum sit, illas a mythis esse alienissimas. Antiquiores enim aliarum gentium narrationes ea potissimum ex causa adulteratae et in fabulas conversae creduntur, quod per longum tempus orali tantum traditione conservabantur. Ast vel antiquissimae Canonis Judaeorum partes non continent res, ore tantum propagatas. Sic Pentateuchus, si prima Geneseos documenta excipias, ea refert, a quibus auctor Moses non longe distabat, imo maximam partem facta, quorum ipse non tantum spectator, sed et particeps fuit. Sed neque quae ex praecedentibus, inde a primis parentibus elapsis saeculis mandavit scriptis suis, cum homines illis temporibus adeo longaevi essent, per ora multarum generationum transire debuerunt, donec scriberentur. Accedit, quod religionis studiosissimi Judaeorum majores et patriarchae antiquas librorum suorum notitias, utpote fundamentum religionis et rei publicae maximi fecerunt, filiis sedulo commendaverunt et centies repetierunt, ita ut suspicioni vix detur locus, quod minus recte intellectae vel mythicis figmentis adulteratae fuerint. Et profecto tale quidpiam non contigisse probat praesens antiquorum librorum hebraicorum conditio. Historiae profanae quo sunt vetustiores, eo copiosiores sunt, eo plura minus solita et mirabilia immixta habent; contra antiquissima Hebraeorum monumenta, quae omnia aliarum gentium scripta aetate longe superant, pauca referunt, et praesertim per illos 1656 annos usque ad diluvium, quod temporis spatium monstrosis fingendis ingens fuisset campus, non solum pauca prodigiosa habent, sed insuper singulari narrationis simplicitate et brevitate adeo distinguuntur, ut facile intelligatur, auctorem omnia incerta

et suspecta, quae deesse non poterant, sollicite repudiasse et ab omnibus artificiosis ornamentis abstinuisse [1]).

Quodsi vero historia V. T. et quidem vel antiquissima a mythicis adulterationibus, quae narrationibus ore propagatis facile irrepere potuissent, merito immunis censetur, multo magis N. T. documenta a mythis remotissima dicenda sunt. Praeterquam enim quod tempore Christi aevum mythicum jam dudum elapsum erat, perbreve temporis spatium, quod inter ascensionem Domini et inter rerum ab eo gestarum consignationem intercessit, prohibet, quo minus concedatur, narrationes earum fama adulteratas ab Apostolis et discipulis, qui simul fuerant earundem testes oculati vel auriti, aut certe aequales, et ita spuria a veris, dubia a certis non dignoscere non potuerint, fuisse in sua scripta cooptatas. Praeterea historia Jesu minutissimis temporis, loci et personarum circumstantiis adeo convenit, et simul tanta simplicitate commendatur, ut ab omni fictione alienissima esse intelligatur [2]). Nihil dicam, quod omnia, quae de modo docendi et agendi Salvatoris nostri narrantur, tam sublimia sunt, ut ne potuerint quidem fingi [3]).

[1]) Inde est, quod Cl. Wagner in suo libro: Ideen zu einer allgemeinen Mythologie der alten Welt, Francf. 1808., cum intellexisset, religionem sacri codicis Judaeorum jam inde a rerum primordiis ab omni polytheismo non modo puram, sed huic plane adversam et inimicam fuisse, solos Hebraeos a generalis mythologiae contagione immunes fuisse pronuntiet, apud quos pura religionis ratio ipsam quoque historiae rationem puram conservaverit, ut si alicubi antiquitatis sit veri nominis historia, haec apud illos omnino reperiatur, utpote quum sola istorum religio se ipsam a mythis, progrediente etiam tempore, penitus puram praestiterit.

[2]) Quam multum discriminis intercedat historias biblicas inter et fabulas gentium, praeter alios docet Jos. Pletz in Dissertatione: Ueber die Nothwendigkeit und den Nutzen eines fleissigen Forschens in den heiligen Schriften des alten und neuen Bundes (in Frint's theologischer Zeitschrift, III. Jahrgg. T. I. p. 309., ubi comparat historiam trium angelorum ab Abrahamo hospitio exceptorum Genes. XVIII. cum fabula de Philomene et Baucide, Ovidii Metamorphos. l. VIII). Inprimis vero hac de re legi merentur, quae J. H. Kistemaker in Commentatione de nova exegesi, praecipue V. T. Monasterii 1806. praesertim §. 8. de distantia Graecos Romanosque inter et Hebraeos egregie scripsit.

[3]) De doctrina et moribus Jesu lectu dignissima sunt, quae habentur in L. Hug, Einleitung in die Schriften des N. T. Edit. III. Stuttg. 1826. T. I. p. 101 sqq.

§. 246. Sive

b) *ad praecipuas mythorum species singillatim respiciatur.*

Quo vero clarius adhuc innotescat, narrationes librorum sacrorum nullo modo in numerum mythologiarum gentilium referri posse, praecipuas mythorum species singullatim considerare juvat.

Equidem si relationes s. Scripturae ad mythos referre liceret, tales profecto inprimis exspectandi essent in rebus physicis et astronomicis, commenti eum in finem, ut quidam eventus singulares et praesertim rerum novarum et artium inventio inde explicarentur. Verum ubicumque ejusmodi rerum mentionem faciunt sacrae literae, mythorum vestigia minime adparent. Contra ipso statim mundi exordio naturae rei convenienter commemoratur, quamcunque plantam et omne animal suae propagationis semen insemet ipso habere [1]); ubi diluvium Noachicum describitur, immensitas aquarum, quindecim cubitis montium cacumina superantium, ex causis mere naturalibus repetitur [2]).

Rei oeconomicae initia aeque simplici modo exponuntur: Abel primus ovium pastor, Cainus primus agrorum cultor fuit, Noacho vini cultura originem debet [3]). Eadem simplicitate artium inventio refertur: Jubal fuit pater canentium cithara et organo, Tubalcain fuit malleator et faber in cuncto opere aeris et ferri [4]). Nullibi nec Pan, nec Ceres, nec Apollo, nec Bachus, nec Vulcanus, nec alius Deus vel Semideus prodit, cui homines notitias istas proficuas debeant.

Sed etiam quod res astronomicas attinet, sacrae literae, quantum illas attingunt, a deliriis gentilium sunt alienissimae, qui, praeprimis Orientales, ut notissimum est, sideribus interpretandis operam dederunt, diversis constellationibus in res humanas vim tribuerunt, imo astra divino in honore habuerunt; qui error adeo invaluit ut ab ipsis philosophis probaretur et defenderetur. Tantum vero abest, ut Biblia isti suffragentur errori, ut eum sicut idololatriam omnis generis summopere improbent, et divinationes e nubibus petitas omnino morte plecti jubeant [5]).

Nec minus certum est, Biblia sacra aliena esse a mythis historicis, qui praecipue in *Genealogia, Chronologia* nec non in *Geographia* gentilium continuo reperiuntur. Et primum quidem *Genealogiam* quod attinet, apud Aegyptios, Graecos et alias gen-

tes, quo altius ascendit ultra aetatem historicam, eo plures recenset, qui a Diis traxerint originem; inprimis conditores civitatum, auctores stirpium illustrium, inventores rerum utilium, heroës principesque passim ii esse dicuntur, qui originem suam a genere Deorum aut Semideorum habuerint. Cujus insaniae tabulis genealogicis sacrorum librorum nihil aspersum legitur. Nullibi origines Deorum aut hominum illustrium a Diis repetitae occurrunt, potius omnes homines posteri sunt unius parentis per naturalem generationem [6]).

Nec *Chronologia* s. Scripturae mythica cognoscetur, si cum gentilium chronologia confertur. Haec inprimis se distinguit, quod stupendam mundo tribuat antiquitatem, et quaelibet natio originem suam ab aevo vetustissimo repetat, atque primaevae generationi plurium millium annorum spatium adscribatur. Sic annales Aegyptiorum, Babyloniorum et Indorum astrologicis deliriis innixi, ab origine mundi multa centena annorum millia elapsa esse, et homines antiquissimos plura millia annorum vixisse nugati sunt [7]); contra chronologia V. T. ea, quae refert, non aliunde quam ex historia repetit, et antiquissimis hominibus tantum vitae tempus tribuit, quantum pro recenti generatione, praeprimis ante diluvium, fuisse facile creditur. Quodsi major mundi aetas, quam quae juxta narrationem Mosis solet computari, e terrae nostrae indole statui debere asseritur, praeterquam quod argumenta hujus sententiae minus explorata reperiuntur [8]), id non contradicit Bibliis, quorum sex creationis dies, Genes. I. commemoratos, non omnes, quantum scimus, interpretes naturales esse dicunt, id est spatia temporis 24 horarum, sed tractus temporum, quorum durationem nemo hominum determinaverit [9]).

Denique non minus *Geographia* biblica ab omnibus figmentis mythicis libera invenitur. Non novit montem Deorum, sed Paradisum cum quatuor fluminibus et alia non abnormia refert. Et quae incidenter de situ, distantiis atque confinibus locorum, regionum, urbium, montium, fluminum atque marium notat, nostrae aetatis hominum itinerariis confirmantur [10]).

Demum *mythos religiosos* sacris literis inesse non posse, ex eo facile intelligitur, quod hi erroneis de Deo notionibus, praesertim polytheismo originem debent, quibus s. Scriptura non solum non suffragatur, sed potius doctrinam sanam ac Deo dignam opponit, tradens in exordio statim veritates fundamentales: *Esse unum*

Deum, creatorem et conservatorem omnium rerum, qui omnibus creaturis infinite sublimior, simplex, spiritualis, et sanctissimus mundi rector est[11]). Profecto ubi talis doctrina de Deo et nostra ad eum relatione proponitur, fabulae religiosae gentilium locum habere non possunt. Quodsi nihilominus adversarii apparitiones et allocutiones Dei, quae historice acceptae non placent, mythice interpretandas existimant, explicent quaeso, quomodo primi patriarchae ad notiones adeo sublimes et perfectas de Deo creatore et gubernatore antiquissimis temporibus sine revelationis adjutorio pervenerint, cum celebratissimi philosophi, Mose longe recentiores, si illa capita spectamus, in crassis ignorantiae tenebris versarentur [12]) ?

1) Genes. I, 11. *Et ait* (Deus): *Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* Conf. ibid. v. 12. 21 — 22. 28 — 29.

2) Haec aquarum immensitas inde derivatur, quod *omnes fontes abyssi magnae rupti et cataractae coeli apertae fuerint, et pluvia super terram quadraginta diebus et noctibus facta sit*, Genesis VII, 11. quin aliquid mythici figmenti *Deucalionis* et *Pyrrhae* admisceatur.

3) *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. — Coepitque Noë vir agricola exercere terram, et plantavit vineam.* Genes. IV, 2., IX, 20.

4) *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum. Et nomen fratris ejus Jubal; ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncto opere aeris et ferri.* Genes. IV, 19 — 28.

5) Huc spectant, quae apud Ciceronem (De natura Deorum Lib. II, c. 16.) leguntur, ubi Balbus nomine Stoicorum ait: „Quae (astra) qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si Deos esse neget. — Esse igitur — Deos, ita perspicuum est, ut qui id neget, vix eum sanae mentis existimem." Contra Jeremias X, 2. monet Hebraeos, ne coeli signa expavescant, quae terrorem injiciant gentibus. Conf. Jerem. XIX, 13. II. Reg. XXIII, 5—6. Deut. IV, 19. XVIII, 10 — 11. in quo posteriori loco inter diversas idololatriae et divinationis species, in quas poena mortis statuitur, etiam divinans e nubibus (מְעוֹנֵן) nominatur.

6) Primus, ex quo omne genus humanum originem ducit, *Adamus homo* dicitur, non *genitus a Deo*, sed *e limo terrae formatus*, Genes. II, 7. Nimrod potentissimus quidem vocatur venator, attamen tantum ab homine fuit genitus, Genes. X, 9, Nec Abrahamus, nec Moses, nec celeberrimi viri aut reges, uti Gedeon, Samson vel Davides alii fuerunt, quam homines ab hominibus geniti.

7) Commenta laudatorum populorum de stupenda mundi antiquitate et enormi antiquissimorum hominum vitae duratione speciatim enumerata invenies

in Joannis Jahn Einleitung in die Bücher des A. B. Tom. II. Sect. I. pag. 114 sqq.

8) Adversarii chronologiae Mosaicae praetendunt, mundum multo antiquiorem esse debere, quam est juxta narrationem Geneseos; quod ex reliquiis montium ignivomorum inferre conantur, ita ratiocinantes: Tempore Thucydidis montis Aetnae ignes urbem Siciliae, quae Naxos dicebatur, destruxerunt, et usque ad hodiernum diem nulla vegetatio in eodem loco invenitur: ex quo pronum est, inquiunt, concludere, aetatem mundi ultra Mosaicam esse extendendam, quia in multis locis, ubi plena vegetatio ab antiquissimis temporibus adest, vestigia montium ignivomorum deprehenduntur. Verum teste illustri Comite de Stollberg, qui ipse agros circa montem Aetnam et Vesuvium inspexerat, loca hujusmodi eruptionibus obtecta post 25 annos jam iterum aliquam vegetationem receperunt. Materia projecta, quae *Lava* dicitur, serius aut citius ut videtur, ad vegetationem apta redditur pro diversa natura rerum, ex quibus coaluit. Quare ex his neque pro, neque contra mundi aetatem aliquid inferri potest. Confer, quae contra chronologiam Mosaicam scripsit Anglus Brydone in opere: A Tour through Sicily and Malta. Lond. 1773. Objectiones refutarunt Angli Smyth et Hamilton. Prior opere: Memoir on Sicily and its Islands. Lond. 1821. p. 164, posterior opere: Philosophical Transactions. Vol. LXI. p. 7. et auctor gallicus Dolomieu libro: Memoire sur les isles Ponces. Paris 1788. p. 171. Praeterea ad defendendam chronologiam biblicam egregie inserviunt: Joannes Andreas de Luc, qui pariter auctor gallicus operibus suis (Lettres physiques et morales sur les montagnes et sur l'histoire de la terre et de l'homme, adressées à la Reine de la Grande-Bretagne, Haye 1778—80. et: Lettres sur l'histoire physique de la terre, adressées à Mr. le professeur Blumenbach, Par. 1798.) erudite ostendit, naturam terrae mirum in modum conspirare cum relatione biblica, et ex aetate mundi, quam Moses describit, omnes omnino naturae proprietates explicari posse. Porro Marcel de Serres, Die Kosmogonie des Moses im Vergleiche mit den geologischen Thatsachen. Aus dem Französischen (De la cosmogonie de Moïse. 1838.) übersetzt von Fr. Xav. Steck. Tübing. 1841. et Fr. L. Graf von Stollberg, Geschichte der Religion Jesu Christi. I. Th. Wien 1817. I. u. II. Beilage.

9) S. Augustinum sex dies creationis a Mose commemoratos non sensu literali accepisse, notum est. De ipsius aliorumque hac de re sententia vide Engelberti Klüpfel Institutiones Theol. dogm. Edit. IV. opera Gr. Th. Ziegler. Viennae 1821. Part. I. Tom. II. pag. 159. nota 2. Hac de re etiam legi merentur Dr. Will. Buckland Vindiciae Geologiae. Oxford 1820. p. 32. Buckland, Geologie und Mineralogie in Beziehung zur natürlichen Theologie. Aus dem Engl. übersetzt und mit Zusätzen versehen von Dr. L. Agassiz. Neuchatel, Bern und Chur 1838. II Tomi.

10) Ita, ubi Genes. XIV, 10. regio circa Pentapolim describitur, mentio fit cujusdam vallis silvestris, bituminis puteis abundantis, quae observatio

natura hujus regionis nostra aetate descripta confirmatur. — Ad veritatem s. Scripturae historicam generatim vindicandam, et speciatim ad mythos, quos adscribere gestiunt, physicos et historicos refellendos egregie servit opus erudite conceptum scripto periodico: Annali delle scienze religiose compilati dall' Ab. Ant. De-Luca: Conferenze di Monsig. N. Wiseman sopra la connessione delle scienze colla religione rivelata. Roma 1837. Art. VI. e. IX. Conferenza quinta e sesta sulle scienze naturali. 1838. Art. I. e V. Conferenza settima ed ottava sulla storia primitiva. Art. X. Conferenza nona sull' Archeologia, Traduzione dall' Inglese per G. Mazio. Germanice: Wiseman, Zusammenhang der Ergebnisse wissenschaftlicher Forschung mit der geoffenbarten Religion. Zwölf Vorträge gehalten zu Rom, und in deutscher Uebersetzung herausgegeben von Dr. Dan. Haneberg, Regensb. 1840.

[11]) Conf. §. 160. not. 1.

[12]) Plenior librorum recensio, qui s. Scripturam in genere a mythis vindicarunt, et in specie adversus D. Fr. Strauss editi sunt, habetur in Joannis Ranolder Hermeneutica p. 359 — 361. et in J. M. A. Loehnis Hermeneutik, p. 178 sqq.

§. 244. Interpretatio pietistica.

Quemadmodum recensitae interpretandi rationes Protestantium doctoribus, liberiori grammatico-historicae methodo arctius addictis originem debent, ita interpretatio *pietistica*, ut dicunt, ad directionem mystico-allegoricam, in qua diversae Pietistarum sectæ vario modo exorbitabant, referenda est, unde etiam nomen accepit. Singularis haec interpretandi ratio ita comparata est, ut s. Scripturae intelligentiam non a regulis hermeneuticis, quas vilipendunt, sed a praetensa interna Spiritus sancti institutione, singulis Christianis concessa, quam *lumen internum* dicunt, repetant. Haec sententia si vera esset, disciplinam Hermeneuticae biblicae plane inanem et omnino non necessariam, sed potius inutilem redderet interpretatione s. Scripturae genuina soli internae cujusvis hominis illustrationi relicta [1]). Ast eam omnino falsam censemus. Nam

1. innititur sinistrae verborum s. Scripturae interpretationi, cum Apostoli effata I. Joan. II, 20. 27., ad quae patroni hujus interpretandi rationis provocant, eis nequaquam patrocinentur. Ea autem sic sonant: „*Vos unctionem* (χρίσμα) *habetis a Sancto, et nostis omnia*" — „*Unctio, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. — Sicut unctio docet vos de omnibus — manete in eo.*" Profecto si in his verbis explicandis ad contextum, praesertim ad versum 24. attenditur, manifestum est, per *unctionem*

ab Apostolo non vagum sensum internum commendari, sed eam gratiam divinam, quae ipsis per doctrinam coelestem ab initio praedicationis apostolicae obtigit [2]).

2. Repugnat experientiae, quae testatur, homines, qui institutionem per lumen internum divinitus concessam ad sacras literas explicandas jactant, non magis consentire, quam alios, imo haud raro plane contradictoria proferre; quod tamen secus fieri deberet, si revera numine supremo sensum s. Scripturae docerentur.

3. Fanaticis erroribus latissimum aperit campum. Etenim ex rationibus psychologicis facile fieri potest, ut si qui ad literas sacras intelligendas internam illustrationem diu certo ac ardenter exspectant, eorum phantasia adeo incalescat, ut demum sua figmenta, somnia ac diliria pro voce ac revelatione Spiritus sancti habeant aliisque venditent, cujus rei tristia exempla historia ecclesiastica abunde exhibet.

Licet vero tam parum fundata sit haec pietistica interpretandi methodus, quae circa medium saeculum XVII. orta, cum mox pluribus variisque heterodoxorum sectis in deliciis fuisset post saeculum fere paulatim iterum decrescere coepit; nihilominus nostra aetate similia falsi mysticismi studia restaurata et varia ratione exculta ad interpretationem biblicam eo fine transferebantur, ut per ea interpretatio grammatico-historica, qua plures male utebantur, removeretur [3]).

[1]) Primi interpretationis pietisticae sectatores fuerunt Quakeriani in Anglia circa medium saeculum XVII. exorti, mox in alias quoque regiones propagati. Ipsis accesserunt posterioribus saeculi XVII. annis Pietistae aliique mystici fervidiores Lutheranorum in Germania, omnes in eo convenientes, quod s. Scripturam secundum Spiritum s. singulis hominibus ad internam institutionem concessum, seu ex lumine interno divinitus dato intelligi vellent.

[2]) Genuinum I. ep. Joan. II, 20. 27. sensum esse, quem exposuimus, meliores Catholicorum interpretes uberius ostendunt.

[3]) Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. I. Cor. XIV, 33.

De litibus, fanaticis erroribus ac deliriis varii generis Pietistarum et Mysticorum plura habet Ant. Klein, Historia Ecclesiae christ. Graecii 1828. Tom. II. p. 397 sqq. 430 sqq. 776 sqq. Conf. etiam Adelung, Geschichte der menschlichen Narrheit. V. Th. et Reinbecks Nachricht von Gichtels Lebenslauf und Lehren.

Praecipua opera hermeneutica et exegetica ad methodum interpretandi pietisticam spectantia sunt, et quidem

antiquioris aetatis: Ph. Jac. Spener, Paraphrases et expositiones quarumdam Pauli et Joannis epistolarum, inde ab anno 1697. vulgatae, praeter multa alia hujus generis scripta. — Praecipua sunt: A. Herm. Franke, Manuductio ad lectionem s. Scripturae. Hal. 1693. Ejusdem Praelectiones hermeneuticae ad viam dextere indagandi et exponendi sensum s. Scripturae. Ibid. 1717, J. J. Rambach, Institutiones hermeneuticae sacrae. Jen. 1723. Ejusdem Erläuterungen dazu, herausgegeben von E. F. Neubauer. Giesen 1738. Joach. Lange, Hermeneutica sacra. Hal. 1733. J. Alb. Bengel, Erklärte Offenbarung Johannis. Stuttg. 1740. Ejusd. Gnomen N. T., in quo ex nativa verborum vi simplicitas, profunditas, concinnitas, salubritas sensuum coelestium indicatur. Tübing. 1742.

Nostrae aetatis duorum opera nominasse sufficiat, nempe: J. Arn. Kanne, Christus im A. T. Untersuchungen über die Vorbilder und messianischen Stellen. Nürnberg 1818. et Rud. Stier, Andeutungen für gläubiges Schriftverständniss. Leipz. 1824. IV. Th. Conf. Dr. Benkert's Allgem. Religions- und Kirchenfreund. I. Jahrgg. I. B. 3. Heft. Würzburg 1828. p. 81. et Theologische Quartalschrift, herausgegeben von Dr. Drei, Herbst, Hirscher, Feilmoser und Moehler. Tübing. 1827. 3. Heft. p. 547.

§. 245. Interpretatio moralis.

A pietistica interpretandi ratione progredimur ad eam, cujus auctor est notissimus philosophus Regiomontanus Immanuel Kant, quem mox alii secuti sunt, e quae vocatur *moralis*.

Quodsi finem, quem sibi esse vult, attendimus, rationalismi studio attribuenda, si vero spectamus, quam ad illum finem consequendum init rationem, ad methodum mystico-allegoricum referenda est. Etenim philosophus ille cum suis sectatoribus s. Scripturae interpretationem ad rationis purae principia practica redigendam esse praecepit, ita quidem, ut sensus moralis illis principiis conformis omnibus Scripturae locis, sive historici, sive prophetici, sive alterius cujusque argumenti sint, subjiciatur, quamvis ejusdem nulla ratio hermeneutica adsit, sed potius manifesto alius a loquente intendatur sensus [1]). Verum haec methodus tolerari minime potest; ea enim loquentibus non is, quem intendebant, sed alius, de quo non cogitabant, sensus obtruditur. Quam ob rem non est interpretatio, sed vaga et violenta s. Scripturae conversio ad placita philosophica, qua, quia nullis regulis coërcetur, etiam quaecumque imaginationis somnia et portenta Bibliis affingi possunt, et ipsa eorum auctoritas divina

in gravissimum discrimen adducitur. Inde non est mirum, quod plures ex ipso Protestantium numero viri cordati et docti in eos, qui hanc interpretandi regulam sequebantur, graviter invecti sint, ostendentes, eorum agendi ratione religionem christianam ac positivam destrui, ejusque loco disciplinam morum mere rationalem temere substitui [2]).

Quae tamen minime valent de ea interpretatione morali, qua ad pietatis sensus fovendos et morum integritatem promovendam locis biblicis literaliter expositis sensus moralis adjicitur, qui illis ad leges hermeneuticas aestimatis, non inest; haec enim Scripturae applicatio semper in usu fuit, et, si recte instituitur, nihil habet, quod reprehendas, licet veri nominis interpretatio non sit [3]).

[1]) Hanc suam de sacris literis exponendis mentem explicat Kant in libro, cui titulus: Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, Königsberg 1793. p. 134 sqq. II. Edit. 1794. p. 158 sqq. Conf. ejusd. Streit der Facultäten. 1798. p. 49 sqq. — Aliorum, qui in eandem sententiam descenderunt, praecipui sunt: J. H. Tieftrunk, Ueber die Auslegungsarten der in der heil. Schrift geoffenbarten Religionslehren. Vorr. zum II. Theil. s. Censur des prot. Lehrbegriffs. Berl. 1791 — 93. — C. H. L. Poelitz, Beitrag zur Kritik der Religion, Philosophie und Exegese unsers Zeitalters. Leipz. 1795. — Chr. W. Flügge, Versuch einer historisch-kritischen Darstellung des bisherigen Einflusses der Kantischen Philosophie auf alle Zweige der Theologie, Hanov. 1796 — 98. I. T. p. 98 sqq. II. T. pag. 7 sqq. — J. W. Schmid, Ueber christl. Religion, deren Beschaffenheit und zweckmässige Behandlung als Volkslehre und Wissenschaft. Jena 1797. p. 420 sqq. Duo posteriores etiam pleniorem eorum recensionem exhibent, qui hac de re scripserunt. Adde D. C. F. Ammon, Ueber die Aehnlichkeit des innern Wortes einiger neuen Mystiker mit dem moral. Worte der kantischen Schriftauslegung. Götting. 1796.

[2]) Praecipui Acatholicorum, qui perversam Kantii interpretandi rationem oppugnarunt, sunt: J. G. Rosenmüller, Bemerkungen, das Studium der Theologie betreffend. Nebst einer Abhandlung über einige Aeusserungen des Hrn. Prof. Kant, die Auslegung der Bibel betreffend. Erl. 1794. — J. A. Noesselt, Animadversiones in sensum literarum sacrarum moralem. Hal. 1795. — Φιλαλήθης Ἐριδαίνων (Hebenstreit), Observationes ad moralem seu practicam literarum sacrarum interpretationem. Lips. 1796. — Omnibus vere praeferendae sunt D. G. C. Storr, Annotationes quaedam theologicae ad philosophicam Kantii de religione doctrinam. Tüb. 1793. Deutsch nebst Bemerkungen über Fichte's Kritik aller Offenbarungen. Tüb. 1794.

[3]) Confer §. 235. not. 9.

§. 246. Interpretatio panharmonica.

Denique commemoranda est interpretatio *panharmonica*, qua ille sensus doctrinae biblicae, quae Christo attribuitur, tanquam verus accipitur, qui cum aliis Christi effatis, de quorum sensu nullum est dubium, inter se collatis et cum iis universalibus principiis, quae aliunde vera et certa sunt, totus consentit. Itaque haec interpretandi regula pro fundamento habet systema theologicum, ex certis principiis tum s. Scripturae tum sanae rationis coactum, et eo fine invecta est, ut dissensionibus, in quas interpretes principiis grammatico historicis solum confisi discesserant, sublatis, et rationalismo, in quem illa principia sine cautione usurpata in dies magis magisque deduxerant, obice posito, exegesis cum antiqua Ecclesiae fide utcunque reconciliaretur [1]).

Negari non potest, methodum panharmonicam ita spectatam subsidium suppeditare ad sensum s. Scripturae in rebus fidei et morum explorandum, aut potius exploratum examinandum et vel approbandum, vel reprobandum, cum non sit nisi peculiaris ratio analogiae doctrinae, ex certis sacrarum literarum et religionis naturalis veritatibus congestae; quam ob rem de ea valent, quae de analogia doctrinae generatim sumta, et de consensu revelatarum, quae in Bibliis habentur, sententiarum cum veritate ipsa diximus [2]). Quia tamen in constituenda hac analogia omnia nonnisi a singulorum interpretum intelligentia pendent, non potest fieri, quin varii in varias partes discedant, et hanc ob rem analogiam, quae interpretationis norma sit, alius aliam sibi ratam habeat. Unde patet, hac interpretandi ratione exegesin non cum ea, quam antiquior Protestantium Ecclesia profitebatur, fide, sed cum ejus, qui interpretatur, systemate theologico conciliari; nec mirum est, si teste experientia neque componat lites, neque ipsa a rationalismo prorsus aliena sit.

[1]) Auctor hujus interpretationis est Frid. Henr. Germar, praedicator aulicus Augustenburgensis, qui eam sequentibus operibus proposuit et commendavit: Die panharmonische Interpretation der heil. Schrift; ein Versuch zu einer klaren und gründlichen Auflösung der Streitigkeiten in der christlichen Kirche beizutragen. Schleswig 1821. — Beitrag zur allgemeinen Hermeneutik; ein Versuch zur näheren Begründung der panharmonischen Interpretation. Altona 1828. — Die hermeneutischen Mängel der sogenannten grammatisch-historischen, eigentlich aber der Tact-Interpretation. Halle 1834. Methodum huic in multis similem nuperrime adhuc commen-

davit H. N. Klausen opere: Hermeneutik des N. T. aus dem Dänischen übersetzt von C. O. Schmidt-Phiseldeck. Leipz. 1841.

²) Confer §. 158. nota §. 167. et §. 170. nota 2.

§. 247. Praecipua Acatholicorum opera exegetica.

Cum auctores sic dictae reformationis sacra Biblia solum revelationis fontem esse vellent, exspectandum erat, quod, qui illos sequebantur, theologi Scripturarum studio singularem curam impenderent, et praecipue in iis interpretandis seduli essent. Et revera ingens inter eos prodiit operum exegeticorum copia, quibus aut integram s. Scripturam, aut ejusdem partes majores vel minores illustrabant. Licet vero plurimis Protestantium interpretibus ratione eruditionis et accuratae, quam in Bibliorum interpretatione usui loquendi ac historiae applicuerunt, investigationis merito laus tribuenda sit, magni tamen momenti, si opera respicimus, quae ediderunt, inter auctores observatur discrimen. Alii, praesertim antiquiores, et qui recentissime ad illorum vestigia redierunt, agnita divina Scripturae indole, debitam ejusdem venerationem prae se ferentes, recta, si Magisterium Ecclesiae catholicae, quod omnes repudiant, excipias, principia sequuntur, nec non analogiam fidei suae Ecclesiae respiciunt; alii contra, recentiores potissimum, rejecta illa analogia scripta biblica ex auctorum profanorum genere vix eximunt, eaque sicut quaevis alia scripta tractanda et interpretanda praecipiunt, in ipsis principiis, quibus adstipulantur, hallucinati §. 238. Nos praecipua utriusque generis interpretum opera exegetica tum in integram s. Scripturam, tum in singulas ejus partes in nota subjecta recensebimus *).

(* Plura opera Acatholicorum exegetica per nostri operis decursum, praesertim §§. 240. 241. 244. 245. in notis subjectis jam commemorata sunt. Hoc loco quosdam adhuc tum Augustanae tum Helveticae confessionis interpretes potiores adjicere oportunum existimamus. Quo in negotio ut aliquem ordinem teneamus, modo supra assignato distinguemus inter auctores, qui ad divinam Bibliorum indolem plus minusve attendentes methodum rectiorem sequuntur, et inter eos, qui principiis liberioribus addicti sacris Scripturis in classem librorum profanorum rejectis interpretandi rationem mere rationalem applicant, et haud raro eo usque progrediuntur, ut rebus omnibus humanam rationem superantibus, quae displicent, eliminatis placita recentioris philosophiae, qua delectantur, textui sacro obtrudant. Quod tamen plures eorum attinet, sat incertum est, num ad priores an ad posteriores sint referendi, cum sibi parum constent, utpote qui modo ad interpretationem justae Bibliorum notioni attemperatam ac bonam adjiciunt,

quae purum rationalismum involvunt, modo aliorum perversas expositiones afferunt, quin iis debita ratione refutatis meliora substituant.

I. Ad opera rectiori interpretandi ratione elucubrata referenda videntur, et quidem quantum *ad totam Scripturam:*

Ludovici de Dieu Critica sacra, sive Animadversiones in loca difficiliora V. et N. T. Amstelod. 1693. quibus inprimis antiquae versiones excutiuntur, et voces et dictiones hebraicae ex dialectis orientalibus, quarum cultor peritissimus auctor fuit, bene illustrantur.

Hugonis Grotii Annotationes ad V. et N. T., quae ob amplam eruditionem magnam laudem tulerunt, licet auctori vitio verteretur, quod in scriptis propheticis nullibi fere Christum viderit. Caeterum Annotationes in N. T. eis, quas in V. T. scripsit, praeferuntur, Prodierunt vero Annotationes in V. T. Parisiis 1644. III T., recusae cum Dilucidationibus J. G. L. Vogel T. I., quas continuavit J. Ch. Doederlein, T. II. et III. Halae 1775 — 79. Annotationes in N. T. Tom. I. Amstelod. 1641. T. II. et III. Parisiis 1646 — 1650. Cum praef. Chr. de Windheim, Erlang. 1755 — 57. II T. et Halae 1769. II T. Denuo emendate editae Groningae 1826.

G. F. Hezel, cujus versio N. T. germanica liberior separatim emissa, supra §§. 209. 210. in notis commemorata est, edidit opus biblicum: Die Bibel des A. u. N. T. mit vollständig erklärenden Anmerkungen, in X Theilen. Lemgo 1786 — 91., quo versionem Lutheri, quam pro fundamento posuit, ad textum originarium ope uberioris, qua gaudebat, eruditionis, praesertim linguarum orientalium et archaeologiae cognitionis emendare et illustrare conatus magnam nominis celebritatem obtinuit, licet mendis non careat.

Quibus addere juvat celebriores Collectiones, quae plurium interpretum scripta complectuntur. Ejusmodi sunt: Critici sacri, etiam anglicani dicti, sive clarissimorum virorum in sacro-sancta utriusque Foederis Biblia doctissimae annotationes atque tractatus theologico-philologici. Londini 1660. IX Tomis. Amstelodami et Francofurti ad M. saepius recusi. — Matthaei Poli Synopsis Criticorum aliorumque s. Scripturae Interpretum et Commentatorum. Lond. 1669 — 75. V Tomis; cura J. Leusdenii, Ultrajecti 1685; cum praef. J. G. Pritii, Francofurti 1712. — Denique: La s. Bible — avec un commentaire litteral composé de notes choisies et tirées de divers auteurs anglois. Haye 1742 sqq. Deutsch von Roman Teller, J. A. Dietelmaier und Jacob Brucker. Leipzig 1749 — 70. XIX Th. 4.

Partes Bibliorum majores exposuerunt:

J. J. Wetstein N. T. cum lectionibus variantibus nec non commentario pleniore Amstel. 1751 — 52. II Tom. fol. Ob notas satis prolixas ad explicationem textus non parum conferentes magni habetur, licet principia liberiora, rationalismo faventia frequenter sequatur.

E. F. Car. Rosenmüller Scholia in V. T. Lipsiae 1788 — 1835. XXIV Tomis. Auctor merito ob principia grammatico-historica rite appli-

cata, vastam eruditionem et quam plurimas acutissimas laudatur observationes, quibus frequenter ipsa sanctorum Patrum aliorumque auctorum catholicorum verba transscribit. Plures tomi iterato et multo emendatius correctis quoque sententiis liberioribus recusi sunt.

J. G. Rosenmüller, Scholia in N. T. Norimb. 1777 sqq. V Tomis. Edit. VI. Tom. I. 1815. post auctoris obitum curavit et praefatus est E. F. Car. Rosenmüller, T. II.—V. Norimb. 1827—31. Quod opus meliora, quae hucusque ab Acatholicis in exegesi praestita fuerunt, exhibens, generatim media inter principia hermeneutica antiquiora et recentiora via incedit.

Hein. A. W. Meyer, krit. exeget. Kommentar über das N. T. Götting. 1832 — 1848. IX. Abtheil. Prodierunt hucusque Evangg. Act. App. et epistolae Paulinae usque ad epist. ad Coloss. cui adjecta est epist. ad Philem. Auctor ad fidem Ecclesiae ac libros symbolicos non respiciendum esse diserte profitetur (praefat. ad Matth. et ep. Coloss.), SS. Patres tamen non negligit, caeterum moderatior est, et eruditione philologica ac archaeologica, nec non dexteritate interpretandi excellit.

W. L. M. de Wette, kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum N. T. Leipzig 1836 — 1848. III Bände in XI Abtheilungen; qui auctor haud exigua eruditione gaudens multum in aliorum expositionibus afferendis ac dejudicandis versatur.

Singulorum librorum expositiones notatu digniores sunt:

Martini Geier, Commentarii in Ecclesiasten, Lips. 1647, et in Proverbia Salomonis, ibid. 1653. quorum auctor, caeterum a dexteritate non minus, quam ab eruditione philologica et historica laudatus, in captandis emphasibus nimius est.

J. Adami Osiander Commentarius in Pentateuchum, Tub. 1675—78. pro conditione culturae theologicae illius temporis sat bene elaboratus.

Martini Chemnitii Harmonia quatuor Evangelistarum, cum continuatione Polyc. Leyseri et Jo. Gerhardi, Hamb. 1652., cui Commentarius critico-philologicus insertus est, qui haud raro locos grammatice et philologice tractat, et propterea olim in magna aestimatione fuit, licet multa aliena, dogmatica potissimum, admixta habeat.

Seb. Schmid, cujus versionem latinam supra §§. 209. 210, citavimus, Commentarios in Josuam, librum Judicum, libros Samuelis et Regum, Jesaiam, Jeremiam, Hoseam, Psalmos, Ecclesiasten, nec non in plures epistolas Pauli exaravit, quibus potissimum sensum grammaticum, ast mere juxta explicationes antecessorum suorum eruere conatus est. Prodierunt Argentorati, Francof. et Hamb. 1684 et sequentibus.

Compegius Vitringa praeter alia Commentarium in Jesaiam edidit Leovardi 1714—20. II Tomis, in quo quidem saepius minutiis occupatur, attamen vaticinia accurate exponit, eorumque eventum ostendit.

Albertus Schultens in suis Commentariis in librum Job et Proverbia Salomonis, qui prodierunt Lugduni Bat. 1737. 1748. dictiones Hebraeas praecipue ex dialectis cognatis egregie illustrat, Arabicae tamen nimium tribuisse carpitur.

Christiani Theoph. Kuinoel Commentarii in libros historicos N. T. Lipsiae 1807 — 1818 IV T. Edit. III. 1824 — 27. aliis recentioris aevi moderatiores sunt, et propter diligens studium interpretationis grammaticae et varias variorum sententias sedulo expensas magni habentur, licet expositiones justo liberiores eis non desint. Ejusdem auctoris Commentarius in epistolam ad Hebraeos, ibid. 1831. et Commentarii in duas epistolas ad Thessalonicenses et in epistolam ad Galatas a J. A. Schott, et J. F. Winzer, qui Kuinoelium continuarunt, ibid, 1834 editi, ad eandem interpretandi rationem confecti sunt.

Guil. Gesenius, Der Prophet Jesaia übersetzt mit einem vollständigen philol. krit. und histor. Commentar, Leipz. 1820. ob philologicam et historicam eruditionem, nec non ob diligentem antiquorum interpretum collationem merito laudatur, licet caeterum plura probari non possint. Confer infra §. 248. nota 1 et 3.

C. F. A. Fritzsche, Quatuor N. T. Evang. rec. etc. commentariis perpetuis Lips. T. I. Evang. Matth. 826. T. II. Evang. Marci 830. Epist. ad Rom. Hal. 836. Auctor linguarum cognitione eminet; ast licet nonnunquam meliora principia prodat (conf. supra §. 240. not. 3.) saepius tamen ipse liberiori interpretationi indulget.

Recentissimo tempore majori fidei christianae, ss. Patrum aliorumque antiquorum interpretum studio eminuerunt:

Chr. Gf. F. Lücke, Commentar zu den Schriften des Johannes, Bonn 1820.

A. L. Chr. Heydenreich, Commentarius in priorem D. Pauli ad Corinthios epistolam. Marb. 1825.

A. Tholuk, Commentar zu dem Evangelio Joannis. Hamb. 1827. — Auslegung des Briefes Pauli an die Römer. 1824. — Auslegung des Briefes an die Hebraer. Hamb. 1836. J. F. v. Flatt, Vorlesungen über den Brief an die Römer, herausgegeben von Ch. D. F. Hofmann, Tübingen 1825; über die Briefe an die Corinther, herausg. von Hofmann, Tüb. 1827; über die Briefe an die Galater, Ephesier, Philippenser, Colosser, Thessalonicenser und an Philemon, herausgegeben von Chr. F. Kling, Tüb. 1828 — 29. Denique G. Ch. R. Matthaei, Auslegung d. Evangeliums Joannes, zur Reform der Auslegung desselben. Götting. 1837.

II. Quod attinet interpretes liberiori interpretandi rationi addictos, paucos nominasse sufficiat. In *totam sacram Scripturam* commentati sunt:

G. C. Horst, J. L. W. Scherer u. A. Bibel-Commentar zum Handgebrauch für Prediger und Laien nach den jetzigen Interpretations-Grundsätzen. Alt. 1799 sqq. VII. T.

Partes exposuerunt:

J. C. F. Schulz, Scholia in V. T. Tom. I. — III. continuat. a G. L. Bauer T. IV. — X. Norimb. 1783—85. et 1790—98. Conf. §. 238. nota 2.

J. O. Thiess, Das N. T. oder die heiligen Bücher der Christen, neu übersetzt mit einer durchaus anwendbaren Erklärung, Leipz. 1794 sqq. IV. T. — Ejusdem: Neuer krit. Commentar über das N. T. Hal. 1804. II. T.

J. E. Chr. Schmidt, Phil. crit. Clavis über das N. T. für Akademien. Giessen 1796 sqq.

Singulos libros interpretati sunt:

Sev. Vater, Commentar über den Pentateuch, mit einer Einleitung von Al. Geddes, Halle 1802—5. III T. In tractatu tertiae parti adjecto auctor contendit, Pentateuchum ex singularibus narrationibus et legibus successive exortis, quarum aliquae fortasse Mosi debeantur, brevi ante exilium tempore conflatum fuisse.

J. Gf. Eichhorn, Die hebräischen Propheten, Göttingen 1816—19. III. T. Confer §. 238. not. 2. §. 241. not. 2. — Quos recentissimo tempore secuti sunt:

Gust. Billroth, Commentar zu den Briefen des Paulus an die Korinther, Leipz. 1833.

Con. St. Matthies, Erklärung des Briefes Pauli an die Galater, Greifsw. 1833; an die Epheser, ibid. 1834; an die Philipper, ibid. 1835.

Leonh. Usteri, Commentar über den Brief Pauli an die Galater. Zürich 1833.

§. 248. Cautiones in Protestantium usu.

Quamquam multi Acatholicorum interpretes maxima eruditione, inprimis philologica et historica, ingenioque acri et sagaci praediti, insuper plures, praesertim antiquiores, imo nonnulli recentisimae quoque aetatis fidei christianae studiosi sint, et stupenda haud raro ad Scripturas perscrutandas incubuerint diligentia, usus tamen illorum Catholicis promiscuus commendari non potest. Nam

1. a partium studio, ut fieri solet, ne meliores quidem eorum interpretes sunt alieni. Unde haud raro data, imo etiam quaesita occasione sat inimico animo suis expositionibus adspergunt nonnulla, quibus Ecclesiae catholicae dogmata, instituta atque praecepta contemnantur et impugnentur, quo facile fieri potest, ut aliquid in animis imbecilliorum haereat, quod venerationem fidei et disciplinae catholicae minuat [1]).

2. Acatholici interpretes haud pauca suis placitis accommodare, et textus, qui recte expositi sat perspicua doctrinae catholicae subministrant argumenta, artificiose et argute ad suos sensus contorquere solent, quo imperitiores facile in dubia erroresque trahuntur [2]).

3. Imo ex quo tempore crassior rationalismus in Protestantium interpretationem introductus sensim majores progressus fecit, et demum omnem modum excessit, factum est, ut eorum

explicationibus dogmata rationem superantia in doctrinas ei pervias et miracula in eventus naturales psychologice vel mythice vel alia violenta ratione converterentur. Quae perversa sacras Scripturas ad rationalismi sensus contorquendi ratio tantum in Protestantium castris dominium occupavit, ut ne caeteris moderatiores quidem semper ab ea immunes exstiterint [3]). Quare fieri non potest, quin per eorum opera exegetica tam criteriis quam doctrinis revelationis divinae sensim extenuatis et demum plane sublatis incauti ad religionem mere naturalem pertrahantur, hujusque aemuli in dies augeantur.

4. Neque necessarius est recursus ad opera exegetica Acatholicorum, cum non desint interpretes catholici, qui vel difficillimas s. Scripturae partes ita accurate ac perspicue exposuerunt, ut ipsi Protestantes haud pauca ex iis excerpserint [4]).

Quae cum ita sint, mirum non est, fuisse antistites catholicos, qui suis subditis acatholicorum interpretum usum expresse interdicerent, bene gnaros, tironum inprimis animis facillima ratione pestiferi veneni guttam cito citius instillari. Quia vero usus interpretum acatholicorum lege universali prohibitus nunquam fuit, et eorum opera exegetica ob eximia, quae in iis haud raro latent, eruditionis specimina et ob genuina, quae plures eorum ad sensum inquirendum sat bene applicuerunt principia hermeneutica a Catholicis non sine utilitate consuluntur, adeantur eorum expositiones ab iis, qui maturiori judicio praediti atque in recta interpretandi disciplina satis obfirmati sunt, ut vera a falsis et bona a noxiis distinguere possint; et quo securius procedant, fragilitatis humanae perpetuo memores ad praesidia saluberrima, quae interpreti s. Scripturae provida ac benigna sapientiae divinae cura in Magisterio Ecclesiae in rebus fidei et morum concessit, grato animo nunquam non attendant. Quo fiet, ut scopulos, per quos multorum fides naufragium fecit, semper feliciter evitent.

[1]) Quam ironice et indigne, ut exemplo utamur, ipse Gesenius, eruditione philologica et historica inter confessionis socios vix alteri secundus, Comment. in Jesaiam, Parte II. ad Cap. LVIII. 5—6. in ceremonias et praecepta disciplinaria, uti in jejunia Ecclesiae catholicae graecae et latinae invehitur? Nec minus Dr. H. Aug. Schott, Comment. in epistolas ad Thessalonicenses et ad Galatas, Lips. 1834. II. Thess. II, 3. pag. 244 sqq. partium studium et animum hostilem prodit, dum antiquis calumniis contra Catholicos recoctis mirum non esse asserit, quod interpretes, qui

vaticinium apostoli de homine τῆς ἁμαρτιάς ad Pontificem Romanum seu imperium papale, totamque episcoporum Romanorum seriem continuam, sive ad totam Ecclesiam Romano-catholicam referrent, haud pauci exstiterint, licet ipse fateri cogatur, in verbis totius vaticinii Paulini et nexu sermonis plura inveniri, quae huic interpretationi minus conveniant.

²) Sic ad Matth. XVI, 18. jam antiquiores Protestantes verba ἐπί ταύτῃ τῇ πέτρᾳ de Christo exposuerunt, perperam fingentes eum cum illa verba edissererentur, manu vel digito semetipsum tetigisse, ut hac contorta et arbitraria interpretatione Primatum, Petro ejusque successoribus laudato loco concessum, qui displicebat, reprobarent. Conf. J. C. Suiceri Thesaur. ecclest. e Patribus graecis, ad vocem πέτρα, Ch. Wolfii Curas philologicas, et J. Ch. Koecheri Analecta philolog. et exegetica ad h. l. Quae fabula cum aliis sinistris interpretationibus in libello Lipsiae 1837. edito: Brevis in N. T. Commentarius auctore Fr. A. Naebe, Partic. I. p. 153. cum malitiosa annotatione denuo in medium prolata invenitur: „Perperam Pontificii ex hoc loco tyrrannidem suam defendere conati sunt, etc."

³) Quantopere plurimi interpretum acatholicorum, ii praecipue, qui inde a dimidio saeculo XVIII. principia Semleriana secuti sunt, desudaverint, ut ex s. Scriptura, omni, quae supra naturam esse videtur, re expulsa, purus rationalismus remaneret, ex dictis §§. 236. 238 sqq. patet. Imo quam parum vel illi, qui caeterum saniora principia tenuerunt, se ab interpretationibus rationalisticis immunes ubique servare valuerint, obvia exempla ostendunt. Sic Guil. Gesenio in Comment. supra laudato T. I. ad Jesaiam VII, 14. הָעַלְמָה est *juvenis mulier*, praesens et digito monstrata, per quam uxorem prophetae, sicut per Immanuelem ejusdem filium, nomine symbolico ita appellatum intelligit. J. G. Rosenmüller vero in Scholiis in N. T. ad Matth. IV, 1, sqq. διάβολον arbitratur hominem improbum et callidum, probabiliter quemdam ex primoribus Judaeorum, qui per intervalla, prout sese occasio offerebat, diversis temporibus explorare voluerit, an Jesus esset Messias.

⁴) Ut alios taceamus, E. F. Car. Rosenmüller in Scholiis in V. T. passim, praesertim in Prophetas minores, praeterquam quod ipsa s. Hieronymi verba transcripserit, haud raro interpretes catholicos, e. g. Gasparem Sanctium sequitur. Celeber Grotius ex Commentario Maldonati profecisse censetur; nec teste S. F. N. Moro (Super Hermeneut. Acroases academ. Vol. II. p. 277.) dissimulandum est, ipsi Luthero profuisse Nicolaum Liranum. Imo nuperrime ipse de Wette Estium diligenter in rem suum convertisse deprehenditur.

§. 249. Quae circa usum operum exegeticorum generatim observanda sint.

Descripta exegeseos historia et traditis specialibus cautionibus, quae pro usu operum exegeticorum Protestantium necessariae videbantur, monitiones quasdam generales, quae, ut aliorum interpretationes recta et congrua ratione in proprium emo-

lumentum convertantur, observandae sunt, addere adhuc juvat. Et quidem

1. nullus sane theologus existat, in cujus bibliotheca bonus integrae s. Scripturae interpres desideretur, quo duce intelligat locos difficiles et obscuros, quorum haud pauci in lectione s. Scripturae, vel etiam in citatis operum theologicorum ipsi occurrent, et qui proinde exegetica dilucidatione carere non possunt. At non quemcunque, qui in manus inciderit, sibi comparabit, sed optimum quemdam sibi provideat [1]). Praesertim qui in interpretatione biblica aliquando plus solito proficere velit, in illo eligendo eo cautior esse debet, quo facilius, ducis principia ac methodum frequenti lectione ac diuturno studio in suum ipsius usum convertet.

2. Duce selecto tiro ita utatur, ut eum non simpliciter legat, sed singulari studio examinet, quo nimirum modo sensum biblicum inquirat, quaesitum proponat, illustret, probet, et contra aliorum expositiones minus probatas vindicet. Hoc examine diligenter instituto non tantum copiosa imitationis materia comparabitur, sed etiam, qui auctori selecto ipsi hinc inde irrepserint errores, detegentur, a quibus in disciplina adeo difficili nemo satis sibi cavisse reperitur [2]), quosque sicut causas, quibus originem debent, nosse, utilitate minime carebit. Quo magis enim cognoveris, optimos quoque hinc inde interpretes ex subsidiorum sive defectu sive perversa applicatione allucinatos esse, eo majorem diligentiam tibi adhibendam esse existimabis, ut necessaria interpretationis subsidia tibi acquiras, principiis recte utaris, et scopulos, qui aliis occasio naufragii fuerunt, evitare discas.

3. Sive autem dictionum sensum, sive rerum explicationem spectaveris, uni alterive soli, licet optimo inhaerendum non est, sed alii quoque, utique praestantiores, conferendi sunt. Etenim praeterquam, quod hoc examine in quolibet quaedam bene, imo optime tractata invenientur, etiam ingenium acuetur, cum de auctorum, qui comparantur, pretio sententiam ferre oporteat, quae ut justa sit, rationes, quibus aliqua interpretatio debetur, examinandae sunt et expendendae. Qua solertia simul observabitur, qui interpretes alios exscripserint, quamque parum novi sive in bonam sive in malam partem ratione hujus quoque studii in medium sit prolatum. Reliquos quod attinet, qui alicujus momenti sunt interpretes, licet plane negligendi non sint, quia etiam mediocres passim

aliqua bene exposuerunt, cavendum tamen est, ne quis studium suum ad omnes extendere velit, quod fieri neque deberet, neque posset [3]).

4. In conferendis vero compluribus interpretibus tirones studeant singulorum praecipuas virtutes et notabiliora vitia cognoscere, ut eos consulant in iis, in quibus eminent, in reliquis vero consilium ac exemplum ab iis non petant [4]). In quibus vero obvii, qui in usum adhibentur, auctores eminere censendi sint, haud adeo difficile e praemissis sensus explorandi ac exponendi regulis dijudicandum erit, si aliquod exercitium et aliqua comparatio alterius praestantioris interpretis accesserit. Aliorum tamen, quae de operibus exegeticis, praeprimis in ephemeridibus et scriptis periodicis proferuntur censuris, non semper ita facile fides est habenda.

5. Proderit quoque notatos habere locos s. Scripturae sic dictos vexatos, qui expositione nondum ad liquidum perducta in varias sententias trahuntur. Etenim quum ejusmodi locorum interpretationem in Commentario, qui tibi in manus venerit, inspexeris, mox patebit, num quid novi ex ejus labore sperandum, an antiquiores tantum excerpserit, an difficultates intactas reliquerit, et quae sunt alia hujus generis.

6. Etiam monographiae quas dicunt, seu tractatus de singulis quibusdam locis eo majori cum fructu leguntur, quo accuratiori examini in iis omnia subjiciuntur, et quo diligentius singula considerantur [5]).

[1]) Pro duce ad interpretationem universae s. Scripturae a theologis catholicis caeteris omnibus praeferendus videtur Aug. Calmeti Commentarius in omnes V. et N. T. libros, vel propterea commendandus, quia diversas antiquiorum et recentiorum interpretationes collectas exhibet, quo tironibus occasio praebetur, diversa sensa eruditorum, inprimis sanctorum Patrum cognoscendi, sicque interpretationem caeteris praeferendam suo judicio deligendi. Ei ratione Evangeliorum J. Maldonati, ratione epistolarum J. Estii et Bernardini a Piconio Commentarios adjungimus. Conf. §. 237. not. 4. et 5. Qui nostrae aetatis labores praeferunt, etiam opus emendatius Thadd. Deresser, praesertim si fuerint exercitatioris judicii, deligere possunt.

[2]) „Nullus interpretum, ait cl. Jahn in Enchiridio herm. p. 155. nunquam peccat."

[3]) Antiquiores quod attinet, primum profecto conferendi sunt sancti Patres, praecipue ii, qui literalem interpretationem consectati sunt, uti s. Chry-

sostomus et s. Hieronymus. Conf. §. 232. not. 3. §. 233. not. 1. — Recentiores Catholicorum praeter eos, quos supra, nota 1.) duces commendavimus, praecipue conferendos vide §. 237. not. 4. et 5. Protestantium recentiorum prae caeteris F. Car. Rosenmüllerum, Alb. Schultensium, J. G. Rosenmüllerum, Wetstenium nominasse sufficiat. Conf. §. 247. nota. Quodsi tempus suppetierit, haud absque utilitate meliores etiam Rabbini conferentur, qui ob accuratiorem linguae hebraicae et dialectorum cognatarum cognitionem, prosperam in sensu eruendo sagacitatem ac sanas interpretandi regulas celebrantur, uti e. g. Aben-Ezra, David Kimchi et Aben ben Melech cum Christianis, qui ex iis hauserunt. Conf. §. 229. not. 3. §. 234. not. 5 Acatholicorum collationem quod attinet, tirones ne immemores eorum sint, quae supra §. 248. de protestantium usu monuimus. Quae ex iisdem fere rationibus etiam de conferendis interpretibus judaicis valent. — Ad ingenium acuendum bene comparabuntur etiam *Catenae*, utpote quae ad singulos versus vel sectiones majores minoresve s. Scripturae varias antiquorum interpretationes quasi sub uno obtutu exhibentes tirones excitant, ut de earum merito sententiam ferant. Conf. §. 234. not. 4. §. 237. not. 4.

[4]) Ex hoc capite, si cognoveris, alios in explicandis verbis et dictionibus, alios in exponendis rebus biblicis, alios in conferendis subsidiis, uti contextu, parallelismo vel analogia fidei, alios denique speciatim in explorando ac exponendo sensu Ecclesiae et sanctorum Patrum excellere, eos in ejusmodi virtutibus, quas exhibent, consules et sequeris, licet si alia quaeris, fors interpretes imperfectiores haberi debeant, et exemplo esse non possint.

[5]) Confer §. 214.

§. 250. Totius operis conclusio.

Finem operis tandem assequuti, supremum Hermeneuticae sacrae Principium, quod §. 8. statuimus, et per decursum nostrae tractationis in suas partes deductum uberius explanavimus, paucis adhuc in memoriam revocandum existimamus, quo veritas ejusdem et disciplinae, quam ipsi supertruximus, clarius elucescat. Licet enim ex dictis facile intelligatur, Hermeneuticam universalem, cujus est praecepta tradere, quae pro interpretatione cujusvis orationis humanae valent, etiam ad interpretandos sacros libros adhibendam esse, non minus tamen certum est, eam solam ad s. Scripturam applicatam, imperfectam, mancam ac minus firmam esse, quia illis maximi momenti subsidiis destituitur, quae considerata divina origine, qua Biblia praeter humanam indolem gaudent, interpreti sacro praesto esse, certis rationibus evicimus.

Quae cum ita sint, Principium nostrum merito postulat, ut in sensu biblico inquirendo et exponendo ad eas leges attendatur, quibus sacri scriptores in communicandis cogitatis cum lectoribus adstricti erant. Et quia istae leges duplici s. Scripturae indole, humana nempe ac divina fundantur, in promtu est, eam tantum Hermeneuticam biblicam recta via procedere, qua omnia subsidia, quae consideratione utriusque indolis se offerunt, amice consociantur. Qua conjunctione efficitur, ut praecepta interpretandi universalia per ea, quae s. Scripturae peculiaria sunt, perficiantur, compleantur et firmentur, praesertim, ubi benignissima divini Salvatoris dispositio, qua Ecclesiam totius depositi doctrinae revelatae infallibilem magistram, judicem ac interpretem constituit, in rebus fidei et morum suam efficaciam exserit, quo fit, ut omnis error excludatur et certitudo omni exceptione major obtineatur. Quapropter si interpretatio biblica normae disciplinae nostrae conformatur, non potest fieri, quin vera, cunctis, quae extant, subsidiis munita, paucis, omnibus numeris absoluta sit.

Corrigenda.

Pagina 27. linea 26. lege: *loquendi*, lin. 23 ἀλλα κατὰ. — Pag. 31. lin. 15. *structura*, lin. 35. radices. — Pag. 55. lin. 1. temperatum. — Pag. 60. lin. 15. *sanguine*. — Pag. 66. lin. 28. radices. — Pag. 72. lin. 3. Exemplo. — Pag. 77. lin. 10. referantur, lin. 37. generatim. — Pag. 106. lin. 34. mancipium. — Pag. 129. lin. 6. *impulsum divinum*. — Pag. 142. lin. 28. Qua de re. — Pag. 147. lin. 35. Hist. V, cap. 9. — Pag. 159. lin. 12. censuerunt. — Pag. 162. lin. 28. *sensualitas*. — Pag. 163. lin. 13. *anthropopathicae*. — Pag. 165. lin. 18. clarum. — Pag. 166. lin. 16. universalis. — Pag. 167. lin. 24. haud raro. — Pag. 179. lin. 40. alterutrius. — Pag. 211. lin. 30. indefessa insudarunt diligentia. — Pag. 219. lin. 9. nostra. — Pag. 220. lin. 26. in acceptis referimus. — Pag. 229. lin. 20. perculsos. — Pag. 233. lin. 2. sumtam. — Pag. 238. lin. 28. hucusque. — Pag. 246. lin. 30. vero. — Pag. 251. lin. 7. citerioris aetatis. — Pag. 256. lin. 31. de hisce duobus Patribus testatur. — Pag. 258. lin. 20. Quantopere. — Pag. 264. lin. 19. Oeniponti. — Pag. 273. lin. 14. quavis alia. — Pag. 277. lin. 5. interpretatione. — Pag. 280. lin. 36. Anagogicum. — Pag. 292. lin. 37. longo. — Pag. 295. lin. 18. et: De sensus etc. — Pag. 306. lin. 11. Textus prophetici. — Pag. 314. lin. 5. quae. — Pag. 317. lin. 29. referre. — Pag. 317. lin. 37. 1527. — Pag. 318. lin. 34. 1522—1532. — Pag. 319. lin. 11. hebraicam. — Pag. 324. lin. 12. Carthusianus, lin. 36. adhibentur. — Pag. 358. lin. 32. propterea. — Pag. 361. lin. 38. theatro. — Pag. 371. lin. 25. Schett a Behuslav. — Pag. 375. lin. 10. 1760—1769. — Pag. 382. lin. 5. cum potius. — Pag. 391. lin. 10. Gnomon, lin. 27. mystico-allegoricam. — Pag. 402. lin. 35. Dereser.



